






2
6
506











-20-

[illegible]

XXXVI

CASTR.

H. Virg. M.

KEEP

HISTORIA DEIPARAE VIRGINIS MARIÆ.

AD VERITATEM COLLECTA, & veterum Patrum testimonijs comprobata, accurateq́; discussa,

PER PATREM CHRISTOPHORVM de Castro, è Societate IESV Theologum.

TVA

TVI *TIBI*





OFFERIMVS.

COMPLVTI.

Ex Officina Ioannis Gratiani, apud Viduam.

Anno Domini M.DC.V.

EXTRACTVM EX literis Regijs.

PHILIPPI III. Catholici Hispaniarum Regis priuilegio cautum est, ne quis intra decem annos, absque Auctoris facultate librum hunc vel in lucem edat, vel quouis modo vendat, ni velit pœnis subijci contra eiusmodi in eo definitis: vt constabit ex regijs ipsis literis datis apud D. Laurentium Calendis Augusti anno. 1598.

TASSA.

YO Pedro Çapata del Marmol, Escriuano de Camara de su Magestad, de los que en el su Consejo residen, certifico y doy fee, que auiendose presentado ante los Señores del Consejo vn libro intitulado, *Historia Deiparæ Virginis Mariæ*, cópuesto por el P. Christoual de Castro de la Compañia de Iesus, que con su licencia fue impresso: los dichos Señores tassaron cada pliego del dicho libro a tres marauedis y medio, y al dicho precio mandaron se venda y no a mas; y que esta tassa se ponga al principio de cada vno de los dichos libros. Y para que dello conste doy la presente, que es fecha en la Ciudad de Valladolid, a treze dias del mes de Octubre, de mil y seyscientos y cinco años.

Pedro Çapata del Marmol.

ERRATA.

PAgina 14.linea 11. à fine personie, lege personis. linea.ꝰ.à fine. lib.octuagesimo, lege.octuaginta.p.18.l. 10. accuratione, lege.accuratiore.l.22.contractam. leg. contra tam. l.28. Galazarei. leg. Galarazeia.p.29.l.5.quod.leg. quot. p.63.l.1. docebat. lege. decebat.p.68.l.20. dicimus. lege.decimus.p.85.l.22.præmia. lege. procemia.p.91.l.14.thalami.leg. thalamis.p.105.l.6.à fin.sanctimonium, sanctimoniam. p.106.l.2.lib.11.leg.lib.1.p.116.l.10. à fine. c. 24.leg.c.2.4. p. 135. li. vltima Elisabethæ.leg.Elisabeth.p. 139. l.19.vt autem. leg.vt aiunt.p.154. l. 8.Nazarethæ.leg. Nazareth. p.166.l.20.suis.leg.tuis.p.171.l.11.q;.leg quam.p.185.l.20.in lucẽ leg.lucem.p.195.l.illa.leg.ille.p.193.l.2. nominis leg. numinis.p. 218.l.12.in Manrico.leg.in Marco. p.313.l.28. fartionum.lege. sationum. p. 411.l.19.gaudio.leg.in gladio. p.447.l.10. habiturus. leg.abiturus.p.457.l.16.in potu.leg.impetu. p.565.in Aegesippo l.7.dele;eius fragmenta. p.571. in Prudentio 391.leg.395.p. 588.l. vltima.111.leg.1119.

Hoc volumen Patris Christophori de Castro è Societate Iesu, correspondet suo exemplari, demptis his mendis. Datum Vallesoleti, die 10. Mensis Septembris.

Licenciatus Franciscus Murcia de la Llana.

APPRO-

APPROBATIO R. admodum Patris Fratris Magistri Ioannis Temporal.

LIBRVM Hunc historiæ Deiparæ Virginis Mariæ Doctissimi Patris Christophori de Castro, in Complutensi Collegio Societatis Iesu Sacrarum literarum interpretis, Regij mihi Senatus iussu commissum, qua potui diligentia euolui: in quo summam eruditionem, maximum ingenij splendorem, & tam variam, ac multiplicem omnium sanctorum lectionem, eorumque testimonia suis locis accommodatissima, reperio, vt quisque sine dubio iudicare possit auctorem grauissimum, & sapientissimum, in euoluendis Sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum voluminibus maxime esse versatum, & in hoc non exiguam operam, & studium impendisse: ita vt quamuis multa sint Deiparæ Virginis Mariæ in lucem edita, mirum est quanta cum ingenij dexteritate, reconditaq́ eruditione, nihil, quod ad vitã Deiparæ Virginis pertineat inexcussum, vel nõ elucidatum prætergressus fuerit. Quocirca illum tanquam deuotis Beatæ Virginis Mariæ, & Theologiæ studiosis, & sacrarũ literarum lectioni deditis necessarium,

& Reipublicæ vtilissimum, dignum iudico, quod typis excussum omnibus offeratur. Datis Madriti in nostro conuentu Beatæ Mariæ de Mercede Redemptione captiuorum nono Kalendas Augusti anno millesimo quingentesimo nonagsiemo octauo.

F. Ioannes Temporalis
Magister.

FACVLTAS PATRIS Prouincialis.

LVdouicus de Guzman Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à R. admodum P. N. Claudio Aquauiua Generali Præpoſito, facultatem concedo, vt *Liber Hiſtoriæ Deiparæ* à P. Christophoro de Caſtro eiuſdem Societatis compoſitus, & virorum grauium, atque ſapientum noſtræ Societatis iudicio examinatus, & approbatus, typis mādetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & noſtri officii ſigillo munitas dedimus. Matriti die duodecima Aprilis, anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi octaui.

Ludouicus de Guzman.

AD DEIPARAM Virginem.

Non tibi, sed de te scriptū sanctissima virgo,
Cuius subest immensus Orbis fascibus,
Augustæ committo tuæ, sed solius, umbra
Opus, tuos moresque, & acta continens.
Sceptrigeros etenim Reges, magnosq; Dynastas
Contemnit hic tuo liber prænomine:
Seque humana putat fastidia spernere posse,
Uni placere se tibi si intelligat.
Hinc ultro se se tibi dat, nobisque relictis,
Abire in Orbem te te gestit auspice,
Facta canens, annosq; tuos, ortusq; stupendos,
Et quæ Vetustas cumque de te prodidit.
Quare age Virgo tuū gemino cape iure volumē
tibi dicatum, facta recludens tua:
Tu tantùm aspicies, celsoque tuebere Cœlo:
Iuuenum, senumq; mille conterent manus.

ADMO-

ADMODVM R. P. N. CLAVDIO AQVAVIVÆ PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV.

CHRISTOPHORVS DE CASTRO ex eadem societate indignus filius.



Pusculum, quod succisiuis, & à quotidianis occupationibus vacuis horis peperi, aut (vt verius dicam) cuius amor succisiuas, & à quotidianis occupationibus vacuas mihi horas peperit, vel ob hoc sub nomine tuo in lucem emittere debui maximè, R. in Christo Pater, quo tibi studiorum meorum omnium, & laborum rationem ex instituti nostri disciplina constare oporteat. Nam vt opus exiguum fortaßis alicui videri poßit, haud tamen paruo labore, aut exigui temporis mora confici potuisse facile quisque concedet, si non tantum historiæ ipsius nar-

rationem, quæ breuis est, considerarit, sed innumeris patrum testimoniis, atque auctoritatibus singula, & minima quæque à me probari perpenderit: quod non nisi diuturna, & accurata diuersissimorum librorum inspectione, & assidua lectione fieri potuit. Qui quidem labor, quoniam per se honestus semper mihi visus est, non infructuosus etiam fuisse videbitur, si tibi opus ipsum, idest, operis structuram, & compositionem non displicuisse intellexero. Nam materiam operis tibi continuo, nec parum arrisuram esse, tam mihi certum est, quam quod certissimum. Est enim eorum omnium, quæ de Beatissimæ Virginis vita, & moribus, aut ex Euangelio, aut traditione nobis comperta sunt, breue, atq; absolutum compendium: quod eo gratius cuique esse debebit, quo sanctissimæ Virginis vitæ imitandæ, atque opis continuo implorandæ studiosus quisque fuerit. In vtroque autem horum te eximium esse, vt alia omittam, vel inde satis omnibus manifestum esse debet, quòd cum ab hinc annis circiter tredecim, secundam ad vniuersam nostram Societatem, de renouando spiritu, epistolam dares, maiorem epistolæ partem in excitandis animis nostris in Beatissimæ Virginis amorem, eiusdemque patrocinium continuò implorandum, nec immerito, nec frustra consumpseris. Nam quamdiu sub Dei Matris patrocinio Societas nostra fuerit, florebit sine dubio, ac fructus sibi pariet vberiores: florebit autem tam-

diu, quamdiu nos eamdem Dei matrem eximio quodam studio, & amore percolemus. Quo in studio, & eximiæ pietatis officio, te vnum & Principem, & absolutissimum exemplar habemus, quem non sine peculiari quodam Dei matris auxilio, atque ope tam feliciter Societati nostræ hactenus præfuisse vidimus, & diu præfuturum speramus. Habes itaque causam cur potissimum opusculum hoc tibi dicare voluerim, eamdem nimirum, quæ me ad idipsum conficiendum impulit, nempe Dei matris amorem: qui vt tibi, vna & mihi, ac omnibus Societatis nostræ hominibus, quos regis, perpetuus sit, etiam, atque etiam exopto. Vale. Compluti, ex Collegio nostro Societatis IESV, *7. idus Maij*

Anno 1599.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



ISTORIAM Deiparæ Virginis ſcripturus, rem quidem ſatis per ſe ipſam commendatam, nec meis laudibus indigentem, tibique, vt exiſtimo, valde iocundā, neceſſarium duxi, optime lector, de noſtro, in ea conſcribenda ſtudio, ac diligentia, te paucis admonere. Cum enim prima hæc lex contexenti hiſtoriam proponatur, aſſertio veritatis, ea quidé, ſi vſquam alibi, in Chriſtiana hiſtoria maxime obſeruanda eſt, in qua præclara ſanctorum geſta referuntur: ne vel temere fingamus quod eos geſsiſſe neſcimus, vel quæ ab aliis ficta ſunt, tamquam vera, ad poſterorum memoriam, non ſine gemino piaculo, transferamus. Quod ſi merito cauendum eſt in ea narratione, quæ de cuiuſuis ſancti vita ſuſcipitur, intexenda Virginis Deiparæ hiſtoria, quantam curam adhibere nos æquum fuerit, ne commentitiis narrationibus eius fidem, & auctoritatem imminuamus, vbi ſi vel leuiter à veritate receſſerimus, grauiter erraſſe conuincamur? Quare in hoc me nō exiguā operā, &

Prima hiſtoriæ lex veritas.

ſtudium

ſtudium impendiſſe fateor, vt quammaxima poſſem diligentia ſanctos Patres euoluerem, ſacros hiſtoriographos tum Græcos, tum Latinos perlegerem, ipſamque ſacram hiſtoriam, quam præ manibus ſemper habemus, ſcrutarer, vt ita ex illis omnibus breui compẽdio, ad hiſtoricam methodum redigerem quicquid vndique potuerit colligi, quod ad vitam Virginis, ab illuſtri ortu, vſque ad obitum feliciſsimum, contexendam, eſſet quam veriſsimum. Etenim cum à teneris annis huius Dei, & hominum communis parentis, me obſequiis tradidiſſem, vel parentum exẽplo, vel magiſtrorum inſtitutione prouocatus, vel certe, quod verius iudico, Diuino Spiritu afflatus, adeò cum ætate hæc voluntas, & hic amor auctus eſt, vt frequenter qua in re poſſem illum oſtendere, ſolicite mecum ipſe meditárer. Cum itaque in euoluendis libris non parum verſatus fuiſſem, variéque, ac multæ, ex his quę legebam, ſeſe offerrent occaſiones Virginem commendandi, venit in mentẽ eas eligere, quæ ad hoc ſtudium promouendum prodeſſent magis. Quod cũ per aliquot iam annos, ea, quã dixi, diligẽtia, feciſſem, hũc tandem ex cęteris omnibus primum Virgini laborem, quẽ in eius contexenda vita pertule-

Auctoris ſtudium

ram, decreui cõſecrare, vt eo opere ipſi maxime placerem, cuius illa argumento maxime placuiſſet Deo. Ne verò mihi omnem fidem arrogarem, auctorum omnium teſtimonia integra hanc hiſtoriam comprobantia volui legentibus ante oculos ponere: tum vt vnde eſſet deſumpta, quibuſque teſtibus confirmata, facile poſſent perſpicere: tum vt ea, quæ apud innumeros pene auctores habentur, abſque infinita librorum ſupellectile, quæ ad id opus erat, in hoc exiguo libelli noſtri volumine, legerentur. Mihi igitur diligentiam, ſummumque in quærendo, ſcribendoque laborem tribuant velim, qui hoc opus lecturi ſunt: auctoribus quos refero, fidem: hiſtoriæ ipſi veritatem: Virgini Deiparæ, quæ nobis eſt, ſemperque erit materia, & loquendi, & ſcribendi, ſummas laudes, & gratias infinitas, pro fructu, ſi quem, eius beneficio, ſumus hoc labore percepturi. Atque hæc ſunt, amice Lector, quæ te primo loco admonendum duxi. Sed ne hoc quidem ignores velim, multos hac noſtra tempeſtate prodiiſſe, an noſtro malo, dicam, an potius ſuo, tam rigidos hiſtoriæ Chriſtianæ cenſores, vt niſi vel Diuina fide, vt dicunt, eam comprobes, aut euidenti ratione confirmes,

Fides huic hiſtoriæ, quæ habenda.

Materia ſcribẽdi Virgo Deipara.

Cenſorũ vitium.

mes, vel tamquam omnino fictam reiiciant, vel tamquam apocrypham, sic enim vocant, flocci pendant. Apud quos maiori pollent auctoritate, ac fide, in suis profani, atque gentiles, quam in nostris, Christiana fide, ac sanctitate clari scriptores: fortasse quod elegantiores, verbosioresque illi videantur quam hi: cum tamen simplex, ac rudis stylus magis quam luxuriantes dictionum; atque sententiarum phaleræ in quacumque materia, simplicem, ac nudam rei cuiusque veritatem cõmendent. Pluris itaque faciunt, vel ex Græcis Herodotum, Xenophontem, aut Cassiũ: ex Latinis verò Liuium, Iustinum, aut Tacitum, quam ex nostris Gregorium, Epiphanium, Iuuenalem, Damascenum, Simeonem & alios similes. Ceterum (vt eos omittamus, qui non tam ratione, quam libidine ducuntur) si certa illa, quæ in historia fides requiritur, humana est, quandoquidem humana dumtaxat auctoritate nititur, & si eiusmodi naturæ est homo, quamtumuis verax, vt & falli possit, & fallere, quibus obsecro maiorem fidem tribuendam iudicabimus, fidelibus ne, an infidelibus? His ne, quibus, quò minor fuit cura virtutis, hoc minor fuit & veritatis, quæ cum illa semper coniuncta

Veritas illustrior, sub verborũ simplicitate.

Fides quibus adhibenda magis.

est, ex eaq; dimanat, an potius his, quibus nihil est antiquius, quã virtuté colere, veritatem amplecti? Si auctoritas in teste postulatur, qua ex re integritas maior conflatur, quã ex sapientia insigni, sanctitate eximia, suprema dignitate? Nonne auctoritaté habet quã maximam Ierosolymitanus Patriarcha Iuuenalis, qui piissimis Imperatoribus Marciano, & Pulcheriæ admirationi, & venerationi fuit, atque ab omnibus Episcopis in Synodo Chalcedonensi pro patre est habitus? Nonne & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, cuius tres sanctissimæ epistolę tamquam patris dignissimi referuntur in Synodo Nicena secunda, actione quarta, & vna præterea, ad ipsum, Gregorii Pontificis, vt quibusdam videtur, magni, vt aliis verius, secundi; & alii similes, quorum testimoniis nostram sumus historiam comprobaturi? Etenim si horum patrũ auctoritas, quæ per se valet plurimum, apud eos nihil valet, sed rem ipsam an per se digna sit creditu, dicunt examinandam, habeo pro me in historia de Beata Virgine hanc magni ponderis rationem, quam eos vehementer vellem intelligere: nec enim poterunt non admittere, qui temere audent damnare, quæ non sunt temere à veteribus

Iuuena.

Germa.

bus pronunciata. Quæcumque tandem ea sunt, quæ de Beata Virgine apud grauissimos auctores leguntur, sane fieri potuisse, nemo sanæ mentis negabit: præsertim si ea legerit, quæ in alios, sibi charos homines Deus persæpe contulit. At si quis forte non legit, ipse non æquus iudex aduenerit, si sententiam ferre velit non lectis publicis instrumentis, nec legitimis testibus auditis. Quare si fatendum est quamplurima, quæ de Virgine referuntur, & de aliis Sanctis narrari, cur quæso quæ in aliorum gratiam Sanctorum fecit Deus, in matris suæ gratiam fecisse negabimus? nisi quis sibi temere persuadeat, maioris æstimasse patrem seruos quam filium, aut filium famulos pluris habuisse quam matrem? Quod ergo ministris largitus est, matri filius non fuisset largitus liberalius? Quod vel paucis mortalium, ait recte Sanctus Bernardus, constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Accede igitur omni remoto supercilio, omni censoria abiecta potestate, & fruere, pie lector, dapibus, quas coram tibi proponimus

Non negandum Virgini quod aliis concessum credim⁹. Bernar.

Deiparæ memoria conditis. Quo vero ex auctorum fide & auctoritate crescat huius historię fides, & auctoritas, subiecimus historię catalogum auctorum, ex quo pateat cuiusque auctoritas.

INDEX

INDEX CAPITVM HISTORIAE DEIPARAE Virginis Mariæ, & præcipuarum quæstionum, quæ in illis disseruntur.

NAM quãuis omnia feré, singulaque discutiantur accuraté, at sunt aliqua pro rei necessitate fusius explicata, quæ prius designare visum est operæprecium studiose lector, vt tuæ consulamus vtilitati.

Cap.

Cap.

Cap.

Quæstio

CAPITVM.

Cap.

His ſubiicietur Catalogus Auctorum, cum duobus indicibus.



HISTORIA DEIPARAE VIRGINIS MARIÆ.

DE PARENTIBVS MARIÆ, Caput primum.



EIPARA Virgo Maria, per superiora omnia secula variis 1 adumbrata figuris, Oraculis promissa certissimis, diuinisque vaticiniis prænunciata, parentes habuit, & 2 non angusta fortuna, & vetusta 3 Dauidis, ceterorumque 4 Regum Iudæorum, 5 Sacerdotumque nobi-

litate, (& quod præstat ceteris) summa pietatē conspicuos, 6 Ioachimum, & Annam. Ioachimus, alio nomine 7 dictus Eli, ex vrbe Galilææ 8 Nazaretha oriundus fuit, habuitq; 9 patrem Mathat, è Regio Dauidis genere, per filium eius Nathanum ducentem originem: matrem verò Estham viduam, quæ ex Mathan viro suo priori, eiusdem Dauidis per Salomonem filio, Iacobū genuit patrem Ioseph Mariæ Sponsi, & 10 Clopæ 11 patris eorum, qui dicti sunt fratres Domini. 12 Anna vero Bethlehemitis fuit, Stolani ex Dauide progeniti filia, quam ex Emerentiana, eiusdem familiæ vxore, post Esmeriā, Sacerdotis Aprani coniugem, matremque Elisabethæ, secundam habuit. 13 Vitam suam iuxta præscriptum legis sincerè transigebant, Deo in primis per omnia curantes placere, hominibusque se gratos exhibere. Id circo bona sua, & in Dei cultum, & in egenos fratres liberaliter conferebant. In qua vitæ ratione, tam illustres coniuges ad senectutem vsque sine liberis, peruenere.

T. E. S.

TESTIMONIA.

1 ADVMBRATA. HIERONIMVS Micheæ 6. Misit ante faciem nostram Mariam vaticinium prophetarum. SOPHRONIVS sermone de Assumptione. Quidquid humanis dici potest verbis minus est à laude cœli, quia diuinis est, & Angelicis excellentius prædicata, & laudata præconiis, à Prophetis quidem prænunciata, à Patriarchis; figuris, & ænigmatibus præsignata, ab Euangelistis exhibita, & monstrata, ab Angelis venerabiliter, atque officiosissime salutata. CYRILLVS homil. 6. contra Nestorium. Te Prophetæ pronunciarunt: te Apostoli summis laudibus celebrarunt. AVGVSTINVS lib. de Assumpt. Sola meruit Deũ, & hominem paritura suscipere facta thronus Dei, & aula Regis æterni, secundum quod nos docuisti per Sanctos tuos Patriarchas, Prophetas, & Apostolos, figuris, & sermonibus, quibus credimus, & certi sumus quia numquam fefelisti. ANDREAS Cretẽsis Ierosolymitanus Archiepiscopus, in Encomio 2. de dormitione Virginis. Hæc est summa Diuinorũ Oraculorũ, & de te resonarunt omnes spiritus interpretes. ILLEFONSVS Archiepiscopus Toletanus libro de Virginitate Mariæ, cap. 3. Quod Spiritus Sãctus de illa per prophetas prædixit, per oracula intimauit, per figuras innouauit, per precedẽtia promisit, per subsequẽtia cõpleuit te, negãte ego credidi: & sermone 4. de Assumptione. A Prophetis Dei prædicta, à Philosophis Sanctis præfata, ab Archangelo salutata, ab Spiritu Sancto fœcundata, atque ab eodem obumbrata. Et sermone 6. hæc est illa Virgo gloriosa, cuius ineffabile meritum longe ante, & figuris legalibus, & Prophetarum oraculis prænunciabatur. IOANNES Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 5. Ipsa æuo omni antiquiore, ac præsciente Dei consilio prædestinata, va-

Hieronym. *Sophroni.* *Cyrillus.* *Augustin.* *Andreas Cretensis.* *Illefonsus.* *Ioannes Damascenus.*

variisque Prophetarum imaginibus, ac sermonibus per Spiritum Sanctum adumbrata, atque ante prædicata, certo tandem, atque præfinito tempore ex Dauidica radice, quemadmodum ipsi promissum fuerat, orta est. PETRVS DAMIANVS Episcopus Ostiensis, sermone 2. de Mariæ natiuitate. Ecce intemerata, & gloriosa Virgo Maria, in lege præfigurata, in Patriarcharum, & Prophetarum oraculis prænunciata, ab Angelo singulari honorificentiæ priuilegio salutata. ANSELMVS Cantuariensis Archiepiscopus libro de excellentia Virginis, capite 2. Tacitis illis, quæ ab initio omnis creaturæ, vsque ad sanctum suum aduentum sunt de hac Virgine prophetata, tam per eos, qui ante legem, quam per eos, qui sub lege iusti fuerunt, illud coniicio apud me, natiuitatem eius, quam quidem ex linea generationis humanæ, non nescio descendisse, magna quædam, atque miranda diuinorum signorum indicia præcurrisse. BERNARDVS homilia 2. super Missus est. Missus est Angelus ad Virginem, nec nouiter, nec fortuito inuentam, sed à seculo electam, ab altissimo præcognitam, & sibi præparatam, ab Angelis seruatam, à patribus præfiguratã, à Prophetis promissam. Scrutare scripturas, & proba quæ dico. Et sermone, signum magnũ. Quid ergo sydereum micat in generatione Mariæ? Plane, quod ex Regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quòd generosa ex stirpe Dauid. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare priuilegium sanctitatis diuinitus noscitur esse cõcessa, quod longe ante eisdem patribus cœlitus promissa, quod mysticis prę figurata miraculis, quòd oraculis prænunciata propheticis, & Epistol. 174. de Conceptione Mariæ. Prædica reuerendam Augelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. LAVRENTIVS IVSTINIANVS, lib. de casto connubio, cap. 9. Hæc propter humilitatis meritum, & feruentissimum charitatis affectum, ab altissimo adamatur, eligitur à Verbo, fœcundatur spiritu, diuina prole ditatur, in scripturis præfiguratur, à Prophetis prænuntiatur, præponitur Archãgelis, cœlesti omnique prefertur militiæ. AVCTOR.

Petrus Damianus. *Anselmus.* *Bernardus.* *Laurentius Iustinianus* *Auctor.*

Cum

Cum tribus modis Christum Virginis filium à mundi origine sanctus promiserit spiritus, & inuolutis simulacris, ac figuris, & manifestissimis oraculis, & certissimis prophetiis: eisdem sine dubio figuris, oraculis, & prophetiis, aut tacite, aut manifeste, Deiparam Virginem, per quam Dei filius carnem promittebatur assumpturus, præmittebat. Nam si vniuersa Christi ecclesia, singuliq; eius status, Apostoli etiã ipsi, & Ioannes verbi paranymphus, adumbrati sunt, & prænuntiati, quod ad Christum pertinerent, quanto magis Maria adumbranda foret, & prænũcianda, quæ quò magis est cõiuncta filio, vtpote mater, eò magis ad Christi œconomiam, totiusque ecclesiæ summum ornamentum, pertinebat. *Auctor.* *Maria Virgo tribus modis, vti filius eius, fuit olim promissa.*

2 NON ANGVSTA. EVSEBIVS Emissenus homilia de Natiuitate Mariæ. Fortasse dicis: eam non habuisse hereditatem. Lege in Leuitico, & inuenies, quod nemo hereditatem suã ex toto vendere poterat, & si vsum eius vendere potuisset. Veniente namque Iubileo omnis hereditas, ad proprium Dominum reuertebatur. Quomodo ergo sine hereditate esse poterat, quæ ex tam nobilissimis parẽtibus orta fuerat? EPIPHANIVS sermone in laudem Virginis. Ioachim siquidem precabatur in monte, & Anna in horto suo. HIERONYMVS lib. de ortu Mariæ. Omnem substantiam suam trifarian diuiserunt, vnam partem templo, & templi seruitoribus impendebant: aliã peregrinis, & pauperibus erogabant: tertiam suæ familię vsibus, & sibi reseruabãt. Et infra. Ioachim ad pastores, qui cũ pecudibus erant in pascuis suis, secessit. DAMASCENVS lib. 4. fidei. c. 15. In lucem editur in domo Probaticæ, hoc est, ouilis Ioachim. NICEPHORVS lib. 1. histor. Eccles. cap. 13. cõgruebat, vt ad domicilium suum in Nazareth redirent, propter eam, quæ tunc ibi eis erat, substantiam, & possessionem: vtrobique enim habitabant, quod vtroque loco prouentum aliquem, vt coniicere licet, haberent. *AVCTOR*. Præceptum cap. Num. 36. 7. traditum, & eius ratio, qua probant sancti sequenti numero referendi, eiusdem fuisse tribus Mariã, & Ioseph, nẽpe: omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua, & cunctæ feminæ de eadẽ tribu maritos accipient *Maria Virgo bonorum paternorũ heres fuit.* *Eusebius Emissenus.* *Epiphanius* *Hieronym.* *Damascenus.* *Nicephor.* *Auctor.*

vt hereditas permaneat in familiis. Satis ostendit hereditatẽ habuisse Virginis parentes, cuius heredem illam reliquerunt.

Maria ex Dauide propheta.
Isaias.
Iustinus.

3 DAVIDIS. ISAIAS cap. 11. Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet: IVSTINVS Philosophus, & Martyr, in apolog. 2. pro Christianis. Itẽ alius propheta Isaias, rem eamdem aliter canit his verbis: Orietur stella ex Iacob, & flos ascendet è radice Iesse, & in brachium eius gentes sperabũt, hæc lucida stella, & flos, è radice Iesse ortus est Christus noster, editus est enim ex virgine oriunda à semine Iacob, atque ita Iesseum inter priscos proauos, iuxta oraculum, habuit. TERTVLLIANVS lib. aduersus Iudæos, cap. 9. Et quoniam ex semine Dauid genus trahere deberet Virgo, ex qua nasci oportuit Christũ euidenter Isaias propheta in sequentibus dixit: Et nascetur, inquit, virga de radice Iesse, quod est Maria, & flos de radice eius ascendet. Neque enim vlli hominũ, vniuersitas spiritualium documentorum competebat, nisi in Christum floriquidem, ob gloriam, ob gratiã, adæquatum, ex stirpe autem Iesse deputatum per Mariam: scilicet inde censendum, fuit enim de patria Bethlehẽ, & de domo Dauid, sicut apud Romanos incensu descripta est Maria, ex qua nascitur Christus. AMBROSIVS lib. 2. de Spiritu sancto. c. 5. Radix Iesse patriarchæ familia Iudęorũ, virga Maria, flos Marię Christus qui bonũ odorẽ fidei toto sparsurus orbe, virginali ex vtero germinauit, sicut ipse dixit: ego flos cãpi, & liliũ conualliũ: in hoc igitur Spiritus sanctus virgę regalis flore requieuit. Et in exortatione ad virgines. Ipsa est virga germinans florem, quia pura, & ad Dominũ corde libero directa virginitas, quę nullis in hoc seculo curarũ anfractibus reflectatur. EPIFANIVS serm. in laudẽ virginis. O beata radix, quæ hãc produxit. De hac Isaias propheta, turturis more gemendo submurmurat, ignea lingua exclamans; exurget virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet. De radice Iesse ortus est Dauid, & de tribu regis Dauidis sancta Virgo. HIERONYMVS super 11. c. Isaiæ. Nos virgã de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullũ habuit sibi

Tertulian.
Ambros.
Epifanius.
Hieronym.

fruticem

fruticem cohærenté: & floré Dominū saluatoré. Pro radice Aquila Symmachus, & Theodosio, truncū interpretati sunt, & pro flore, germé transtulerunt, vt ostenderét. quod multo post tépore Babilonicę captiuitatis, nullo de stirpe Dauidis antiqui regni gloriá posside̅te, quasi de trūco Maria, & de Maria Christus exortus sit: super hunc igitur floré, qui de trunco, & radice Iesse per Mariá virginé repente consurget, requiescet Spiritus Domini. Et Epist. 22. ad Eustoch. de custodia virginitatis. Virga mater est Domini, simplex, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohærente, & ad similitudine̅ Dei vnione fœcunda: virgæ flos, Christus est. LEO serm. 4. in natali Domini. Exiet virga de radice Iesse, in qua virga nō dubie beata virgo Maria prædicta est, quæ de Iesse, & Dauid stirpe progenita, & Spiritu sancto fœcundata, nouū florem carnis humanæ, vtero quidé materno, sed partu est enixa virgineo. ANDREAS Cretensis in Encomio 2. de dormitione virginis. Te præuidens diuino spiritu afflatus exclamauit Isaias: ecce virgo in vtero concipiet, & erit radix Iesse, & flos de radice eius ascendet. ILLEFONSVS lib. de virginit. Mariæ c. 3. Audi quātę glorię, & nobilitatis est genitrix eius: hęc in Isaia virga ex radice Iesse, idest, ex genere eius exorta, virga quæ floré hunc Christum, spirituali tamen infusione, sine hominis corruptionis accessione produxit. BEDA venerabilis homilia, in Galli cantu Natalis Domini. Egressa est virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius ascendet, quia intemerata virgo Maria de stirpe Dauid orta est, de cuius carne Dominus in ciuitate Nazareth, veritatem carnis sine inquinamento carnis assumpsit. PETRVS DAMIANVS sermone 3. de Natiuitate Mariæ. Hodie impleta est prophetia illa, quam eximius prophetarum Isaias, quasi præco factus, magna voce clamabat, dicens. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et bene hæc incomparabilis virgo virga dicitur, quæ per intensionem desiderij ad superna emicuit, non per siccitatem boni operis, distortæ nodositatis vitium incurrit: de qua virga Redemptor noster quasi flos ascédit, qui martyribus, & cófessoribus suis totius orbis campos velut rosis, & liliis decorauit. Et sermo.

Hieronym. *S. Leo.* *Andreas Cretensis.* *Illefonsus.* *Beda.* *Petrus Damianus.*

de Annuciatione Mariæ. Germinat virga Iesse detortuosa radice generis humani: & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem. RVPERTVS Abbas.lib.11.de victoria verbi Dei cap.13.& 18. vbicumque Christiana, vel Catholica fides ipsa suis auribus audiuit, & ipsa videt suis interioribus oculis, quod virga ista, virga gracilis, & pulchra, virga humilis quidem, sed recta, est beata virgo Maria; & flos qui de virga ista ascendit, fructus ventris eius Christus Dei filius. BERNARDVS sermone 2. de aduentu Domini. Ex his manifestum arbitror quæ nam sit virga de radice Iesse procedens, quis vero flos, super quem requiescet Spiritus sanctus, quoniam virgo Deigenitrix virga est, flos filius eius. Et homilia 2. super missus est. Huius magni miraculi maius mysterium Isaias edisserit dicens, egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: virga virginem, florem virginis partum intelligens.

Rupertus. *Bernardus.*

MATTHAEVS cap. 1. liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Iacob genuit Ioseph virũ Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. EVSEBIVS Cæsariẽsis Episcopus lib. 1. histor. Eccles. capit. 7. Cum Ioseph generatio recensetur, eadem ratione, & Maria vna cum ipso ex eadem esse tribu declaratur, propterea quod secundum legem mosaycam aliis tribubus commisceri non licebat: præcipit enim illa, vt vni eiusdem populi, eiusdem familiæ nubatur, ne sors generis de tribu in tribum perturbetur. EVSEBIVS Emissenus homil. in natiuitate Mariæ. Quid ad Christũ pertinet, quod Ioseph probatur esse filius David, cum non de Ioseph, sed de Maria natus sit Christus? audiat isti quod in lege pręcipitur, vt videlicet omnes viri ducant vxores de tribu, & cognatione sua; & cũctæ feminæ maritos de eadem tribu accipiant, vt hereditas maneat in familiis, nec sibi commisceãtur tribus, sed ita maneãt, vt a Domino separatæ sunt. Hæc autem lex, & si fortasse non ad plenũ ab aliis custodiebatur, ab illis tamen mulieribus custodiri necessarium erat, quæ quando fratres nõ habebãt parẽtibus suis in hereditatem succedebant. Sic enim præcipit Moyses, imo Do-

Matthæus. *Eusebius Cæsariẽsis.* *Ioseph, & Maria ex eadẽ tribu prodiere.* *Num. 36 7* *Euseb. Emissenus.*

Dominus per Moſem, vt ſi aliquis ſine filiis defunctus fuerit ad filias eius tranſeat illius hereditas, quæ ſi de alia tribu maritos acceperint, hereditatem quoque in aliam tribũ tranſire oporteret. Tales igitur neceſſe eſt, aut de ſua tribu accipere, aut omnino viros non accipere, neſi de alia accipiant, poſſeſſiones, & hereditates cõmiſceãtur: quod quidem nullatenus fieri licet. Vnde manifeſtum, beatiſsimã virginem Mariam; quæ nobiliſsima heres parentibus ſuis in hereditatẽ ſucceſſerat, ſiquidẽ nec frates habuit, nec habuiſſe legitur, neminẽ de alia tribu coniugẽ accipere potuiſſe. Sed fortaſſe dices eã non habuiſſe hereditatẽ, & cetera vt ſupra, numero ſecundo. His igitur rationibus manifeſtiſsime cõprobatur & Ioſeph, & beatã Virginẽ Mariam de eadẽ tribu fuiſſe, ſed ideo per Ioſeph Euangeliſta generationẽ texere voluit, quoniam vſus eſt ſanctarum ſcripturarũ vbique per viros, & nuſquam per mulieres generationis ſeriem ordinare. HILARIVS. Cano. 1. in Matthæum. Quod Ioſeph potius, quam Mariæ natiuitas recẽſetur, nihil refert, eadẽ enim eſt vtriuſque tribus, atque vna cognatio. AMBROSIVS. lib. 3. in Lucã in principio. Noli mirari, quod Ioſeph origo deſcripta eſt, maxime, cũ in Ioſeph origine etiã origo ſit Mariæ; nã cũ vir iuſtus ſit Ioſeph, vtiq; & ex tribu ſua, & ex patria ſua accepit vxorẽ, nec potuit iuſtus facere contra id, quod lege præſcriptũ eſt, ſic enim habes, quia vnuſquiſq; in heredite tribus ſuæ patriæ adherebunt filij Iſrael, nec de tribu ad tribum tranſibunt, & omnis filia, quæ habet hereditatem tribuum filiorum Iſrael vni ex populo, & tribu patris ſui, erit vxor. Itaque & cẽſus tempore aſcẽdit Ioſeph de domo & de patria Dauid, vt profiteretur, cum Maria vxore ſua, quæ ex eadẽ domo, & ex eadem patria profeſsionũ defert vtique eiuſdem tribus, & eiuſdem patriæ ſe eſſe deſignat. IOANNES Chryſoſtomus hom. 2. in Matthæum. Vt nos diſcerneremus quæ eſſet Maria, vel vnde, generationum catalogum vſque ad ſponſum eius perduxit, ac de domo illũ Dauid eſſe monſtrauit. Hoc enim declarato, illud quoque pariter oſtendit, quod ſcilicet, inde eſſet & virgo, quia vtique nequaquam iuſtus iſte pateretur vxorem ſibi aliunde, quam vnde lex præ-

Hilarius. *Ambroſ.* *Ioannes Chryſoſtomus.*

cipiebat, eligere. HIERONYMVS in 1. Math. Cũ Ioseph nõ sit pater saluatoris, quid pertinet ad Dñm generis ordo deductus vsq; ad Ioseph? Cui respondemus primũ, non esse consuetudinis scripturarum, vt mulierũ, in generationibus ordo texatur: deinde ex vna tribu fuisse Ioseph, & Mariá: vnde ex lege eá accipere cogebatur, vt propinquam: & quod simul cẽsentur in Bethlehẽ vt de vna videlicet stirpe generati. EV-

Eucherius. CHERIVS, quæstion. in Euangel. Matthæi: Quomodo accipiendũ est, quod Dñs Iesus Christus Dauid filius dicitur, cum vtiq; natus non sit ex Ioseph, qui ex Dauid stirpe descẽdit? respondetur, in coniungium tunc Iudæi secundũ legẽ de cõsanguinitate proximas assumebant; nec dubitandũ est, quod hac ratione etiam Maria ex eadẽ tribu veniens sicut Ioseph ex Dauid stirpe descẽderit, imo processerit. IOAN-

Ioannis Damascenus. NES Damascenus lib. 4. fidei. c. 15. Scire operæ preciũ est, nec apud Hebręos; nec apud scripturã sacrã hoc in more positum fuisse, vt mulierũ genus recenseretur, verũ hoc demum lege cautũ erat, ne tribus vlla vxores ex altera tribu accerseret; ac proinde Ioseph qui ex tribu Dauidica ortũ trahebat, iustitiamq; colebat, sacrã Virginẽ haud quaquam præter legis præscriptũ despondisset, nisi ex eodem sceptro genus duxisset: obidq; satis habuit Euãgelista demonstrasse, vnde Ioseph ortũ traxerit. BEDA. libr. 1. in tertiũ Lucæ. Si quem mo-

Beda. ueat, cur nõ Mariæ potius, quã Ioseph generatio describatur, sciat primum nõ esse consuetudinis scripturarũ, vt mulierũ in generationibus ordo texatur: deinde ex vna tribu fuisse Ioseph, & Mariá, vnde & lege eam accipere cogebatur, vt propinquam: & quod simul censentur in Bethlehem, vt de vna videlicet stirpe generati: atque ideo per generationem Ioseph, origo quoque Mariæ monstratur. THEOPHY-

Theophilactus. LACTVS in 1. Matth. Erat lex non ducendam vxorem ex aliena tribu, nec ex aliena familia ne possesiones transferrentur de vna tribu in aliam: atque ideo manifestum quod Ioseph genealogia posita genealogiam ponat, matris Dei, nã ex eadẽ plane tribu, & familia erat mater Dei. EV

Euthymi. THYMIVS in primũ Matthæi. Ad Ioseph deueniẽs nõ in hoc verbo seriẽ terminauit, sed addidit, virũ Mariæ docens

nos

nos, quod ob hãc ipsã, generationis ordinem contexuit, quia enim moris nõ erat mulierũ genealogias ponere, studuit, vt & moré seruaret, & alio modo Christũ demõstraret ex genere Abrahã, & Dauid descédere. Ideo spõsi matris Dei genealogiã cõtexuit, & per hũc ꝙ intédebat demõstrauit: ex quo enim Ioseph de genere illorũ esse demõstratus est, manifestũ quoq; est Dei matré inde descédere: nã aliũde sponsam ducere nõ licebat, nisi quę ex eadé esset tribu eadéq; familia, & ita cõsanguinea. BERNARDVS sermo. 2. super Missus est. Non tãtũ Ioseph, sed & Maria descédisse credéda est de domo Dauid, alioquin nõ esset despõsata viro de domo Dauid. Si nõ esset ipsa de domo Dauid: ambo igitur erãt de domo Dauid. NICEPHORVS lib. 1. hist. Eccl. c. 11. Certo colligere licet Mariã ipsam ex eadé, quæ Iosephi fuit, fuisse tribu, quãdoquidé ex præscripto legis Mosaycæ, tribũ alia tribu cõmiscere prohibitũ est, vt nãque hereditas, & successiones bonorum a tribu in tribum non transferretur, ex eadem gente, & familia nuptiarum coniunctiones contrahi deberet legislator decreuit. *AVCTOR.* Vbicumque scriptura sacra, docet Christum filium fuisse Dauidis secundum carnem, eadé nos docet, cum patre caruerit in terris, virginé eius matré ex eodé Dauide profectã: nec tñ modis omnibus id probãdũ assũpsimus, sed illis tãtũ quibus expressã habeamus B. virginis métioné, de qua noster sermo habédus est, cõstat auté ex Mathæo a sãctis patribus exposito, qui genus Mariæ voluit per Iosephi genus deducere, cõiũctissimã vtriusq; fuisse cognationé: erant enim duorum fratrum filij ex eadem tamen matre, vt ostendemus numero nono.

Bernardus. *Nicephorus* *Auctor.* *Scriptura docens Christum fuisse Dauidis filium, docet id ipsum de Maria.*

4 REGVM. Eusebius Cæsariésis lib. 7. de demõstratione Euãgelica c. 3. demõstrat. 8. Hic Iesse pater fuit Dauid, quéadmodũ enim in his prophetiis, quæ ipsã hãc antecesserũt, de fructu, & semine Dauid proditurus dicebatur, atq; ité de semine Salomonis, eodémodo etiã hic plurimis annis post morté nõ solũ Dauid, sed etiã Salomonis, de radice Iesse, hoc est de radice Dauid, proditurus quidé prædicitur. Et demonstratio. 10. Igitur hoc etiam in loco. Christus, qui ex Dauide, & Salomone, atq; ex radice Iesse exiturus ferebatur ex eadé

Maria prodiit de Regum stirpe, Eusebius Cæsariensis.

tribu profectus ostenditur: nam Iesse quidem filius fuit Dauid, ipsius autem Dauid Salomon, qui de tribu Iuda oriundi sunt, erit ergo ex eadé saluator, & Dominus noster, sicut etiá diuinus Euangelista Matthæus in eius genere narrando testificatur, dicens. Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid.

Ephrem. EPHREM Syrus de Virginis laudibus. Virga profecto extitisti, & flos filius tuus è radice Dauid, & Salomonis germinauit Christus noster creator Deus. *Nazianzenus.* GREGORIVS Nazianzenus in carmine de Christi genealogia.

Dauide namque Nathan fluxit, Salomonque parente,
Quorum alter, veluti magno de flumine riuum,
Sic traxit regale genus, sceptrumque superbum,
A patre sacrificum duxit genus alter eodem,
At Christus simul, & princeps erat, atque sacerdos.
Sic ille ex Maria regali est sanguine cretus.

ET INFRA.

Sic etiam ad claros reges ex parte paterna
Ipse sui generis ducit primordia Christus.

Ambrosius AMBROSIVS lib. 3. in Lucam cap. 1. Certum est igitur etiam Mariam de Dauid generatione manasse. *Damianus.* PETRVS Damianus, in hymno de beata Virgine. Arcé nobilitatis de prolis stirpe trahens filia quidem regum, sed mater regis regum. Et serm. 3. de Natiuitat. Mariæ. Beata Maria, licet generosa sit patrú stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem: clara proauorum titulis: sed incomparabiliter clarior generatione prolis: filia siquidem regum, sed mater regis regum. *Bernardus.* BERNARDVS sermone, signum magnum. Quid enim sydereum micat in generatione Mariæ? planè quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod generosa ex stirpe Dauid. *Auctor.* *AVCTOR.* Cum prædicti patres disertis verbis affiment Mariam Deiparã è regio Dauidis, Salomonis, ceterorumque regum Iudæorũ progenitã sanguine, quod ipsum definit Hierony. sup. 22.

cap.

cap. Ieremiæ, de Ieconiæ semine, Salatielis, & Zorobabelis, ceterorumque, per ordinem, asserens Christum dominum natum, & nos hic dicamus per Nathanum Dauidis filium Mariæ ductam originem, cogimur profectò affirmare, ex mutua frequentique harum duarum familiarum per Salomonem, Nathanumque deductarum nuptiali coniunctione euenisse vt reges ducerét Nathani filias, & huius filij ducerent vxores ex regibus ortas: atque ea prpter, virgo è regio non tantum Dauidis, sed & posterorum Regum sanguine duxit originem.

5 SACERDOTVMQ. HILARIVS Can. 1. in Matth. dũ Matthæus paternam originem, quę ex Iuda proficiscebatur recenset, Lucas vero acceptũ per Nathan, ex Tribu Leui genus edocet; suis vterque partibus Domino nostro Iesu Christo, qui est æternus, & Rex, & Sacerdos, etiam in carnali ortu, vtriusque generis gloriam probauerũt. GREGORIVS NAZIANZENVS in Carmine de Geneologia Christi. *Gregorius Nazianze.*

Dauide namque Nathan, vt supra,
Cur genus à magno deducit Dauide Christus
Cum non Iosepho, sed sit de Virgine natus?
Ex Maria porrò leuides, namque Aaronis,
Haud dubie genus illa suum de stirpe trahebat:
Falsum. Nam quamuis distincta erat vtraque classis,
Vtraque iure tamen thalami persæpe coiuit.
Namque prius natam thalamo sibi iunxit Aaronis
Nasson ab illustri qui sextus fluxit Iuda,
Sic ille ex Maria regali est sanguine cretus.

AMBROSIVS lib. 3. in Lucam, cap. 1. fuit vere, & secundum carnem regalis, & sacerdotalis familiæ rex ex regibus, sacerdos ex sacerdotibus. Bene igitur vterque tenuit fidem, vt Matthæus per Reges ductam originem comprobaret: & Lucas per Sacerdotes à Deo transmissam in Christum seriem generis deducendo sanctiorem ipsam originem declararet, & lib. de benedictionibus Patriarc. cap. 5. Et *Ambros.*

maxime

maxime propter Tribum Leui debemus hoc credere, quia ex ea tribu Dominus Iesus videtur secundum corporis susceptionem genus ducere, ex qua Tribu sunt Sacerdotes, Leui, & Nathan: quos Sanctus Lucas in Euangelij libro inter maiores Domini computauit: Sacerdos enim Patris, & Princeps omnium Sacerdotum, sicut scriptum est, tu es Sacerdos in æternum, Sacerdotalis originis successionem debuit indicare, & cap. 4. Et quia per admixtionem generis, Iuda, & Leui tribus iunctæ sunt, ideo Matthæus ex tribu Iuda descripsit eius familiam: & Apostolus ait, quod de Iuda ortus est Dominus noster, vt ex Tribu Leui Sacerdotalis, & plena sanctitatis annumeraretur hereditas: ex tribu autem Iuda, ex qua Dauid, & Salomon, & reliqui Reges fuerunt, regalis successionis splendor refulgeat, vt idem Rex & Sacerdos scripturarum testimonio demonstretur. EPIPHANIVS hæresi 78. Huic iuxta duos modos Maria cognata erat ipsi Elisabth; nam hæ duæ tribus solæ coniungebantur inter se regia sacerdotali, & sacerdotalis regiæ. AVGVSTINVS lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 2. Cum euidenter dicat Apostolus Paulus, ex semine Dauid secundum carnem Christum, ipsa quoque Maria de stirpe Dauid, aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare vtique non debemus: cuius feminæ, quoniam nec sacerdotale genus tacetur, insinuante Luca, quod cognata eius esset Elisabeth de filiabus Aaron; firmissime tenendum est carnem Christi ex vtroque genere propagatam, & regum scilicet, & sacerdotũ: in quibus personie apud illum populum Hebræorum etiam mystica vnctio figurabatur, idest, Chrisma. Vnde Christo nomen elucet. Et lib. octuagesimo trium, quæstionum. quæst. sexagesima quinta. Itaque postea quam transiit Lucas personam Dauid: non dissonat à Matthæo in nominibus generationum, nam eos nominat ascendens à Dauid, vsque ad Abraham; quos ille descendens ab Abraham, vsque ad Dauid. A Dauid enim in duas familias, regiam, & sacerdotalem origo illa distributa est, quarum duarum, sicut dictum est, regiam descendens Matthæus, sacerdotalem ascendens Lucas sequutus est, vt Dominus noster IESVS

Epiphanius

Augustin.

CHRISTVS, Rex, & Sacerdos noster; & cogitationem duceret de stirpe sacerdotali; & non esset tamen de tribu sacerdotali, hoc est, de tribu Leui, sed esset de tribu Iuda, hoc est, de tribu Dauid ex qua tribu nemo intendit altari. Ideo & filius Dauid maxime dicitur secundum carnem, quia Lucas ascendens, & Matthæus descendens in Dauid, sibi obuiam facti sunt; oportebat enim vt euacuaturus sacrificia, quæ secundum ordinem Aaron in Leuitico sacerdotio fiebant, non esset de tribu Leui. *Eucherius.* EVCHERIVS quæstionibus in Matthæum. Cuius Mariæ, quia cognata, sicut legitur, fuit Elisabeth, quæ fuisse scribitur de filiabus Aaron, manifestissimum est, quod in Christo secundum carnem, ex vtroque genere conuenerit, regum scilicet, sacerdotumque successio. Matthæus Ioseph prosapiam per regiam originem texuit, Lucas generationem eius sacerdotali successione deduxit. *Iulianus Toletanus.* IVLIANVS Archiepiscopus Toletanus lib. 3. contra Iudæos: Lucas sacerdotalis generis prosapiam sequens, & à Christo filio Dei incipiens vsque ad Adam, & ipsum Deum, à quo formatus est, septuaginta septem lineas generationum, explicuit; Matthæus autem regiæ stirpis generationum exequutus est numeros. Etenim Christi filij Dei carnem sic ex vtroque genere credimus propogatam, vt & regio genere floreat; & sacerdotali propagine sit gloriosa. *Beda.* BEDA in 3. cap. Lucæ. Quia Matthæus regalem, Lucas sacerdotalem Domini personam suscepere texendam, eamdem vterque sui operis intentionē in genealogia Saluatoris texenda seruauit. *Auctor.* *AVCTOR.* Cum ex illis Pauli verbis ad Hebræos 7.13. (In quo enim hæc dicuntur de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit, manifestum est enim, quod ex Iuda ortus est Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotio Moyses loquutus est) compertum fiat Christum cum matre Maria, quo ad paternam, vt minimum prosapiam, cuius in tribubus connumerandis tantum habebatur ratio, non fuisse profectum ex Leui; sed ex Iuda; & in sequentibus probemus virginis patrem Ioachimum ex Nathano Dauidis filio originem duxisse; & Annam matrem ex parentibus, etiam

stirpis Dauidicæ procreatam: qui fieri potuit, vt tam certo prædicti patres affirmauerint Christum, aut eius matrem ex tribu sacerdotali produisse: enim vero quam rationem sequuti fuerint hi patres in asserendo Lucam sacerdotalem Christi prosapiam subputasse, nullam intueor. NAM illa Hilarij, quam sequuti videntur Gregorius, Ambrosius, Eucherius, Iulianus, & Beda, quod ex tribu Leui oriundus fuerit Nathanus, ex ipso Luca 3. illo cap. falsa comprobatur, dum versu 31. dicit: Qui fuit Nathan, qui fuit Dauid: quem deducit vsque ad Iudam filium Iacob, non vsque ad Leui. Ex 2. etiam Regũ. lib. capit. 5. 14. & 1. Paralip. 3. 5. constat, aliis tribus filiis annumeratum Nathan Dauidi natum è Bethsabe in Ierusalem. Nec dici posset Lucam loqui de Nathan ex tribu Leui adoptato à Dauid, cum perspicuum sit filium eius naturalem fuisse. Illa etiam Ambrosij lib. de Benedictionibus Patriar. cap. 3. quod Lucas è tribu Leui aliquos enumerauerit, nempe Leui, & Nathan, ratione quorum Christus Sacerdotali est prosapia decoratus, non minus falsa videtur, nam cum nominum ratio non sit habenda solum, & hi per patres à Luca deducantur vsque ad Dauid, & vsque ad Iudam, manifestissimũ fit, non esse ortos è Tribu Leuitica, sed è Iuda, & regia. Ea demum, quã indicat priori loco NAZIANZENVS, & tradit Augustinus. q. illa 61. diuersum esse Sacerdotium maiorum Christi a Luca deductorum à Leuitico, & Aaronitico, quia Christus nõ fuit Sacerdos secundum ordinem Aaron; sed Melchisedech, sicque Sacerdotium adeptus est è Tribu Iuda per Nathan filiũ Dauid, non de Tribu Leui; dubia omnino est. Quia vel ideo Nathan dicitur Sacerdos, quod originem duxerit è Melchisedech; quem Hebræi existimant esse Noe filiũ Sem, & Hieronym. lib. de Traditionibus, & Epistola ad Euagrium, à quo Hebræi originem duxere; & hoc non, quia non omnes nascebantur Sacerdotes; & si aliquis in Sacerdotio successurus esset, maxime primo geniti, sicque & Salomon Sacerdos fuisset. Vel quod re ipsa functus fuerit Sacerdotis munere; & hoc legi repugnat, & Paulo vbi supra dicenti, è Tribu Iuda nullum altario præsto fuisse: vnde & Ozias Rex. 2. Paralip. 26. 16. quia ausus est incensum adolere coram Domino, le-

Gregorius, Ambrosius, Eucherius, Beda.

Nathanus non fuit ex tribu Leui, Luc. cap. 3.

Ambrosij ratio quod Lucas. c. 3. aliquos è Tribu Leui numerauerit, respuitur.

Nazianzenus Augustinus.

Luc. cap. 3. non numerat sacerdotè, neque secundum ordinẽ Aaron, neque Melchisedech.

præ ab eo percussus est. Vel ideo tandem, quia 2. Regum 8. in fine dicitur, filij autem Dauid Sacerdotes erant: & nec hæc ratio firma est, tum quia hac ratione Salomon etiam diceretur sacerdos, & regia prosapia, quam refert Mathæus, dicenda esset sacerdotalis: tum quia illis verbis nihil aliud significatur, quam filios regis ministrasse Dauidi in regia aula. Nomē enim Hebræum cohanim & sacerdotes, & principes, & primates ministros significat, vnde septuaginta verterunt, & filij Dauid aularchę, id est, aulæ principes erant. Et Chaldeus, principes similiter exposuit, quin & 1. Paralipom. 18. vbi in fine eadem sententia refertur, dicitur. Porro filij Dauid primi ad manum regis. Superest igitur hoc vnum, vt veram comprobemus hanc communem patrum sententiam, Mariam ideo ex regia simul, & sacerdotali stirpe, prodiisse, quod hæ duæ tribus mutuis nuptiis coniungerentur. Vt dixit Epiphanius, & posteriori loco Gregorius, & satis fuse Augustinus lib. 23. contra Faustum, qui ex sacerdotali genere Christum ortum solum asserebat, quòd Ioachim pater virginis sacerdos fuisse diceretur, quod cum falsum sit, & illud falsissimum esse docet Augustinus, præsertim capite nono, Christum non fuisse ex tribu Iuda.

Dauidis filij Sacerdotes, id est principes ministri dicuntur.

Regia Tribus, & Sacerdotalis mutuis nuptiis iungebantur.

Epiphani.

Gregorius.

Augustin.

Ioachim nō fuit sacerdos.

6 IOACHIMVM, ET ANNAM. EPIPHANIVS hæresi 78. Mulierem quidem nouerat ipsam formatione Ioseph, & feminam natura, & ex matre Anna, & ex patre Ioachim, & cognatam Elisabeth ex domo, & familia Dauid. Et hæresi 79. Si Angelos adorari non vult, quanto magis eam, quæ genita est ab Anna, quæ ex Ioachim donata est Annæ. Et sermone de laudibus Mariæ. De radice Iesse ortus est rex Dauid, & de tribu regis Dauidis, sancta virgo, sancta, inquam, & sanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim, & Anna. HIERONYMVS lib. de ortu Mariæ. Pater eius Ioachim, mater vero Anna dicebatur. IOANNES Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 15. Ioachim electissimam illam ac summis dignam laudibus mulierem Annam matrimonio sibi copulauit. GERMANVS Patriarcha Constantinopolitanus de Mariæ natali. Commune mundi

Epiphanius

Hieronym.

Damascen.

Germanus.

gaudium ex iustis hominibus Ioachim, & Anna hac die naſcitur, laudatiſsima nimirum, & celeberrima virgo. Et in verba Pſalmi 44. Audi filia, & vide. Secundum angeli vaticinium ò virgo, illuſtris proles ex iuſtis hominibus Ioachim, & Anna hodie in lucem prodiiſti. SERGIVS Hieropolita, in oratione de Natali Mariæ. Naſcetur prophetarum præconium, & iuſtorum Ioachim, & Annæ germen. NICEPHORVS lib. 1. hiſtor. eccleſiaſt. cap. 7. Ioachim, & Anna parentum erant nomina, ambo accuratione iuxta præceptum legis vita præſtantes, & clari, nec non primis quibuſque, & ſplendidiſsimis, nobiliſsimiſque genere connumerati. *AVCTOR.* Quod Auguſtinus dicit libro 3. contra Fauſtum cap. 9. Illud nempe, quod de generatione Mariæ Fauſtus poſuit, quod patrem habuerit ex tribu Leui, ſacerdotem quemdam, nomine Ioachim, quia canonicum non eſt, non me conſtringit: ſed etiam ſi hoc crederem, ipſum potius Ioachim dicerem aliquo modo ad Dauid ſanguinem pertinuiſſe, & aliquo modo ex tribu Iuda, in tribum Leui, fuiſſe adoptatum, vel ipſum, vel eius aliquem progenitorem: vel certe in tribu Leui ita dictum, vt de ſtirpe Dauid conſanguinitatem aliquam duceret: hoc inquam Auguſtini dictum non eſt contractam probatam ſententiam, de patre virginis Ioachim, non enim negat patrem illius fuiſſe, ſed ſacerdotem, & falſam oſtendit hiſtoriam, ex qua id Fauſtus affirmabat, nam vera hiſtoria de ſtirpe Dauidis, & de tribu Iuda illum profectum refert.

Sergius. *Niceph.* *Auctor.* *Auguſtin.* *Ioachim nō fuit ſacerdos.*

7 DICTVS ELI. IVDAS Rabbenu HaKidoſech in lib. Galarazei, ideſt, reuelator ſecretorum, ad tertiam Antonini imperatoris, & conſulis vrbis Romæ petitionem. Quod autem petiſti cuius eſſet filia, (mater Meſsiæ) ex qua ve tribu, animaduertere debes parentem eius duplex habiturum nomen, vnum Eli, alterum IehoiaKim, & Eli quidē, quod eſt nomen deriuatiuum, oſtendit eum ad ſublimem gradum aſcenſurum; IehoiaKim vero, quod eſt nomen cōpoſitum, ſignificat Deum in manu ipſius ſuſcitaturum ſaluationem Iſraelis maximā. HAÇCANAS Nehumiæ Filius in epiſtola de generatione Meſsiæ. Erat quædam

Iudas. *Nomen patris virginis duplex.* *Haccanas.*

puella in Bethlehem Iudæ, nomine Maria, filia IehoiaKim Eli, de genere Zerubabelis filij Sealthielis ex tribu Iuda. AVCTOR. Ioachim virginis patrem esse illum Eli, de quo loquitur Lucas. 3. cap. v. 23. cum inquit. Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta (vt putabatur filius Ioseph) qui fuit Eli, satis in primis probat eorum patrum auctoritas, qui existimarunt Mathænm regiam Christi generationem retulisse, Lucam vero sacerdotalem; illumque paternam, hunc vero maternam exposuisse. Hoc enim subindicauit Hilarius cum numero 5. citatus, dixit, Mathæus paternam originem, quæ ex Iuda proficiscebatur recenset: Lucas vero acceptum per Nathan ex tribu Leui genus edocet. Et clarius Nazianzenus, qui cum obiecisset, Christum ex Maria Leuidem prodiisse, quod illa suum genus duceret de stirpe Aaron: dum respondet, non negat Mariam ex sacerdotum stirpe à Luca narrata ducere genus, sed Christum non dicendum ex tribu Iuda non exortum, quod vtraque hæc tribus sæpe commisceretur. Illa item ratione, qua vtuntur nonnulli ex aliis patribus, sat nobis mentem suam exposuere, quod cũ Maria fuerit cognata Elisabet: quæ erat de filiabus Aaron, manifestissimum sit, Christum secundum carnem ex vtroque genere descendisse, regum, & sacerdotum, & illud Mathæum: hoc Lucã vsque ad virginis filium deduxisse. Et demun, si attente legantur, & considerentur eorũ verba, numero dicto relata, naturalem Christi generationem deductam volunt per euangelistas, regiam paternam per Mathæum, sacerdotalem vero maternam per Lucam, vnde Eli auum Christi sacerdotem fuisse existimarunt: qui sine dubio est pater virginis Ioachim. Quem ex hac patrum auctoritate, vt videtur Faustus Manichæus, vt eum refert Augustinus lib. 23. contra ipsum cap. 4. sacerdotem fuisse dixit, nominans Ioachimũ; & inde colligebat Christũ nõ fuisse ex tribu Dauid, sed ex tribu Leui: quod quomodo sit accipiendum diximus iam num. 5. & 6. Secundo præterea ex Augustino probatur, qui facilem nobis aperit viam ad intelligendum Lucam de auo Iesu, & patre virginis Eli, cum dixit, qui fuit Eli: sic enim

Auctor.
S. Lucas.
Lucas descripsit generatione Mariæ per Eli Ioachim.
Lucas Christi maternam recenset prosapiã iusta quosdam ex patribus.
Hilarius.
Nazianze.
Christũ ex Aaron duxisse originẽ per Mariam sentiunt patres alij.
Augustin.
Faustus vnde colligit, Ioachimum fuisse sacerdotem.
Ioachimum dictum Eli probatur.
Augustin.

ait libro quæstionum veteris, & noui Testamenti 2. parte quæstione 56. Euangelista cum referret: Et ipse IESVS erat incipiens fere annorum triginta, filius, sicut putabatur, Ioseph, qui fuit Eli, idest, Iesus filius æstimabatur Ioseph, & non solum Ioseph erat filius, sed & Eli, non quia Ioseph filium dicit Eli, sed eodem genere, quo Ioseph vocabatur filius esse Iesus, ita etiam erat filius Eli, propter quod fratrum filij erant Ioseph, & Eli, idest, Salomonis, & Nathan filiorum Dauid. Si enim quod erat improbabile, & ad nullam rem proficit, Ioseph filius Eli dicatur, non dixisse videbitur de Christo, qui fuit filius Dei, sed de Adam: si autem per ordinem singuli patres Christi dicatur, sicut & filius dicebatur Ioseph, ipso ordine legitur filius fuisse Seth, & filius Adæ, & super hos omnes assignatur filius Dei, vt ante ipsos dicatur esse, quorum filius nuncupatur. Idem eisdem pene verbis repetit in altero eiusdem tituli libro. 2. par. quæst. 6. ex hoc Augustini testimonio colligitur relatiuum illud, qui, cum dicitur, qui fuit Eli: referre Iesum. Denique cum Iosephus duos patres naturales habere non potuerit, & Christi generationem Lucas describat, non satisfecisset quidem, nisi per naturalem generationem, ascendendo vsque ad Dauid, & vsque ad Deum ipsum, cuius erat filius naturalis, deduxisset. Cur enim si pater eius non est Ioseph, Christi generationem per Iosephi legalem prosapiam descripsisset, quæ ad Christi genus cognoscendum nihil conduxisset? Igitur cum clarior harum duarum generationum, quæ à Mathæo, & Luca traduntur, à Iulio Africano desiderata, hæc sit, quam recentiores inuenerunt, expositio, à veteribus indicata; nempe à Mathæo Iosephi, à Luca Mariæ, & Christi Domini naturalem generationem describi; profecto ea est amplectenda: siquidem Africanus, vt dixi, nõ tam fuit suæ tenax expositionis, quẽ veteres omnes sunt sequuti, vt non reliquerit nobis locũ clariorem inuestigandi, sic enim dixit: siue res ita se habet, siue alio modo, ita existimandum, quamuis certum desit testimonium, ob id, quod clarior, ac verior expositio proferri non potest,

Tertio idipsum probatur ratione

Africanus.

Et mirabile quidem est, cum tam rarum in omni veteri lege huius adoptionis legalis, & seminis fratris suscitationis reperiamus exemplum; in parentibus Iacob, & Iosephi tam crebro contigisse. *Adoptio legalis rara fuit in veteri lege.*

8 NAZARETHA. LVCAS c. 1. v. 26. Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth. HYPPOLITVS Portuensis, apud NICEPHORVM lib. 2. histor. Eccl. cap. 3. Nupsit Anna in terra Galilea, & protulit Mariam Deigenitricem. HIERONYMVS lib. de ortu Mariæ. Domus paterna est ex Galilea, & Ciuitate Nazareth, maternũ autẽ genus ex Bethelehẽ erat. Et lib. de Locis, Duæ sunt Galileæ, ex quibus vna Galilea gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus, vbi & Salomon viginti quinque Ciuitates donauit Hyran regi Tyri, in sorte tribus Neptalim: altera Galilea dicitur circa Tiberiadem, & stagnum Genasareth, in tribu Zabulõ Nazareth, vnde Dominus noster Saluator Nazareus vocatus est, est vsque hodie Galilea viculus contra legionem, in quinto decimo eius milliario, ad orientalem plagam iuxta montem Tabor, nomine Nazara, & cap. 17. in Mathæum. Rursum quoniã nutritus erat in Nazareht, quod est oppidum Galileæ, Capharnaum, vrbi subiacens. *AVCTOR.* Cum duplex sit Galilea, vt dixit Hieronymus, & Cyrillus lib. secundo. contra Iulianum, & Iosephus ante eos libro tertio de Bello Iudaico, capite secundo, superior versus Tyrum, & inferior, à Tiberiade vsq; ad Zabulon; & Nazareth in inferiori sita sit, in tribu Zabulon, cur Ioachimus Bethlehemites, & de familia Dauid, vt mox ostẽdemus, in ea natus fuit? Respondet his verbis Epiphanius hæresi. 51. qui dispersi erant à tempore bellorum in Machabæis factorum, per omnem terram dissipati erant, & pauci omnino manserunt in Bethlehem habitantes. *Lucas. Hypolitus. Nicephorus. Hieronym. Auctor. Galilea duplex. Hieronym. Cyrillus. Iosephus. Epiphanius.*

9 PATREM MATHAT. LVCAS. 3. cap. vers. 23. & ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, (vt putabatur filius Ioseph) qui fuit Eli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid. IVLIVS Africanus in epistola ad Aristidem de Genea- *Lucas.*

logia Saluatoris, Mathan, & Melchi eadem ducta vxore fratres genuerunt ex eadem matre. Primus igitur Mathan ex Estha (id nominis ei mulieri; fuisse traditum est) genere à Salomone ducto, Iacobum genuit; post obitum vero Mathān, Melchi, cuius genus ad Nathan refertur, cum ex eadem tribu, alio tamen genere, sicut prædiximus, esset, vidua in vxorem ducta, filium Eli genuit. Ad hunc modum reperiemus Iacobum, & Eli ex diuerso genere, eadem tamen matre fuisse fratres. Mathan, qui à Salomone descendit, genuit Iacob: mortuo Mathan, Melchi, qui á Nathan originem ducit, ex eadem muliere genuit Eli. Fuerunt igitur ex eadem matre fratres Eli, & Iacob. EVSEBIVS Cæsariensis lib. 1. histor. ecclesiast. cap. 7. & 8. vt supra Africanus, quem refert Titus Bostrensis Episco. in cap. 3. Lucæ. Melchi, & Mathan diuersis temporibus vná, eamdemque Estham vxorem habuere. Primus duxit eam Mathan, procreauitque ex illa Iacob; Mathan autem vita defuncto, Melchi, qui erat ex eadem tribu, licet non ex eodem genere, eamdem Estham iam tum viduam adsciuit sibi in coniugem, suscepitque ex illa Eli. Iacob igitur & Eli fuerunt fratres vterini, vtpote ex eadem matre editi. GREGORIVS Nazianzenus, in Carmine de genealogia Saluatoris.

Estha mater Iacob, & Eli.

Eusebius Cæsariens.

Mathanus eximia Salomonis stirpe creatus,
Esthæ iunctus erat, quo cœca morte perempto,
Duxit eam Melchi, Nathaneo sanguine Cretus:
Mathanus hac genuit Iacobum, Melchius Elim.

AMBROSIVS lib. 3. in Lucā, si requiris inuenies, quod iuxta præscriptum legis veteris, duo fratres diuersos filios vterinos, ex vna vxore generauerint: traditur enim Mathā, qui à Salomone genus duxit, Iacob genuisse filiū, & vxore superstite, decessisse, quam postea Melchi accepit vxorem, ex qua generatus est Eli. HIERONYMVS in illa verba Mathæ. 1. Iacob genuit Ioseph. Hunc locū obiecit nobis Iulianus Augustus, de dissonantia Euangelistarū cur Lucas,

Nazianze. Ambrosius Hieronym.

Ioseph

Ioſeph filium, vocauerit Eli, Mathæus Iacob? non intelligens conſuetudinem ſcripturarum, quod alter ſecundũ naturam, alter ſecundum legẽ eius pater ſit: ſcimus enim hoc per Moyſem, Deo iubente, præceptum, vt ſi frater, aut propinquus, abſque liberis mortuus fuerit, alius accipiat vxorem, ad ſuſcitandum ſemen fratris, vel propinqui ſui. Super hoc Africanus, & Euſebius in libris diaphonias euãgeliõ, plenius diſputarunt. AVGVSTINVS lib. 2. retractat. c. 7. lex filios etiam mortui adoptabat, iubens vt fratris ſine filiis mortui duceret frater vxorem, & fratri defuncto ſemen ex eadẽ ſuſcitaret: quæ profecto de duobus vnius hominis patribus expeditior ibi redditur ratio. Vterini autẽ fratres fuerunt, in quibus hoc contigit: hoc in eorũ literis inuentum eſt, qui recenti memoria poſt Aſcenſionem Domini de hac re ſcripſerunt, nam etiam nomen eiuſdẽ mulieris, quæ peperit Iacob, patrem Ioſeph de priore marito Mathan, qui fuit pater Iacob, auus Ioſeph, ſecũdum Mathæum; & de marito poſteriori Melchi peperit Eli, cuius erat adoptiu' Ioſeph, nõ tacuit Africanus; quod cum Fauſto reſponderem nondũ legerã. EVCHERIVS quæſtioni. in Mathæ. Conſuetudo apud Iudæos ex lege erat, vt defuncti fratris vxorem ad ſuſcitandum ſemen ſuperſtes frater acciperet. Iacob ergo, atque Eli vterini fratres fuerunt. IOANNES Damaſcenus lib. 4. fidei. cap. 15. Rurſus ex ſtirpe Salomonis filij Dauid Marhan, ex vxore ſua genuit Iacob, mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathã filius Leui, ac fratrer Pantheris, vxorem ipſius Mathan, quæ etiam Iacobi mater erat, matrimonio ſibi copulauit, atque ex ea genuit Eli, ita vterini fratres erant Iacob, & Eli, ille nimirũ ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathã oriũdus. BEDA in c. 3. Luc. Huius nodũ quæſtionis Africanus, de cõſonantia Euãgeliorũ ſcribẽs apertiſsime ſoluit. Mathã, inquit, & Mathat diuerſis tẽporibus de vna, eadẽq; vxore Eſtha nomine, ſingulos filios procreaue rũt, quia Mathã, qui per Salomonẽ deſcendit vxorem eã primus acceperat, & relicto vno filio, Iacob nomine, defũctus eſt: poſt cuius obitũ Mathat, qui per Nathã genus ducit, cũ eſſet ex eadẽ tribu, ſed nõ ex eodẽ genere, relictam Mathæ

Auguſtin.

Eucherius.

Damaſce.

Beda.

accepit vxorem, ex qua, & ipse accepit filium nomine Eli. Per quod ex diuerso patrũ genere efficiuntur Iacob, & Eli vterini fratres. Hæc Africanus his ipsis syllabis profert. Excepto quod pro Mathat posuit Melchi, quia fortasse vel codex illius sic habuit, vel in historia, in qua hæc didicerat, eumdem Mathat inuenit esse Dyonimum. THEOPHYLACTVS in tertium Lucæ. Quærunt quidam, quomodo Mathæus Iosephum dicat filium Iacob, Lucas autẽ Eli? impossibile autem est vnum habuisse duos patres. Dicunt itaque ad hoc quod Iacob, & Eli vterini fratres fuerunt ex diuersis patribus. EVTHYMIVS in tertium Lucæ. Matrem ipsius Eli, & Iacob, primum duxit in vxorem hic Mathan, de quo Lucas, & genuit Eli, deinde iam viduam duxit hanc Mathan ille, qui apud Mathæum ponitur, cum esset de eadem tribu, quãquam de alia cognatione, & genuit Iacob. Eli itaque, & Iacob ab eadem nati sunt matre, diuersis tamen patribus. ZACHARIAS Chrisipolitanus Episcopus, lib. 1. in vnum ex quatuor Euangeliis cap. 5. refert per omnia Africani verba. NICEPHORVS lib. 1. histor. ecclesiast. cap. 11. vt supra Africanus, quem refert penitus. *AVCTOR.* Ex his patrum testimoniis hoc vnũ colligi volumus nostræ historiæ valde conueniens, Iacob, & Eli, quem præcedẽti numer. 7. probauimus esse Ioachim, fratres fuisse ex eadem matre Estha progenitos, per diuersos patres, Mathan, qui apud Mathæum dicitur genuisse Iacob, & Mathat, qui apud Lucam genuit Eli. Non ad custodiendam legem illam Deuteron. 25. 6. de suscitando fratris demortui semine, vt ex dictis patribus aliqui putauerunt: nam ea lex loquitur, dum frater, aut propinquus decedit sine liberis; at Mathan cum obiit, duos habuisse legimus, Iosephum, & Clopam, vt sequenti numero dicemus: sed quod ita accidit, vt vidua à Mathat duceretur. Quod vero Africanus, quem ceteri sequuti sunt, pro Mathat, quem Lucas facit patrem Eli, posuit Melchi illius proauum, ea fortasse ratione fecit, quam notauit Beda, quod Mathat esset binomius: & hoc inde potest etiam comprobari, quod Damascenus lib. 4. fidei cap. 15. Sicut ante ipsum Ioãnes Patriarcha

Theophylactus. *Euthymius* *Zacharias.* *Nicephorus* *Iacob, & Eli qui & Ioachim fratres fuere.* *Lex suscitationis seminis qui accipienda.* *Africanus corrigitur, et exponitur* *Beda.*

Ierosol-

Ierosolimitanus, lib. de institut. Monachorū cap. 33. Ita Ioachimi prosapiam deducit. Igitur, ait, ex stirpe Nathan filij Dauid, Leui genuit Melchi, & Pantherem: Panther autem genuit Barpantherem, nam ita vocabatur: Barpanther rursus genuit Ioachim: Ioachim denique genuit sanctam Dei genitricem. Vbi vides vocatum à Damasceno Melchi, illum, quem Lucas vocat Mathat. Vel certe Leui habuit duos filios, Melchi, & Mathat, qui & Panther dictus est, sicut & Iacob pater Iosephi. Panther cognominabatur, Auctore Epiphanio, hæresi 78. Hincque ex Damasceno etiam habemus Ioachimum ex Dauide promanasse per filium eius Nathanum, quamuis Eli, & Ioachimum duobus intermediis distinguat, nam auum Ioachimi, & Mariæ Deiparę proauum fratrem facit Eli. Sic ergo parum ab eo differimus in assignanda naturali Mariæ genealogia, quam Lucas Euangelista enarrat.

Ioannes Damascenus. Mariæ prosapia ex Ioāne, Ieros. et Damascen.

Mathat Pāther, Iacob Panther.

Epiphanius

10 CLOPAE. EGESIPPVS in 5. lib. suorum commentariorum. Cum esset pax alta in omni ecclesia, de genere Domini manet, vsque ad Traianum Cæsarem, donec prædictus Simeon, consobrinus Domini, filius Clopæ ab hæreticis calumniam passus est. Erat autem Clopas frater Iosephi. EVSEBIVS lib. 3. histor. Eccles. cap. 11. Post martyrium Iacobi rumor est, Apostolos, & discipulos domini de eo consilium cepisse, quem ad hoc dignum iudicare deberent, qui Iacobo succederet: atque ita cunctos vna, & eadem sententia Simonem Cleopæ filium, cuius, & euangelica scriptura meminit, sede pareciæ Ierosolymitanæ dignum iudicasse, quem consobrinum seruatoris dicunt: Egesippus enim Cleopam fratrem Iosephi fuisse scribit. EPIPHANIVS hæresi 66. Præterierunt sancti omnes, & cum ipsis Simeon filius Cleophæ fratris Ioseph. Et hæresi 78. hic Ioseph frater fuit Clopæ: erat autem filius Iacob, qui Panther cognominabatur. THEODORETVS in illa verba ad Galat. 1. Nisi Iacobum fratrem Domini. Vocatur frater Domini, sed non erat natura, sed nec fuit Ioseph filius, vt quidam existimarunt, sed erat quidem Cleophæ filius, Domini autem consobrnus; ha-

Egesippus.

Eusebius

Epiphanius

Theodoret.

Beda. buit autem matrem matris Domini sororem. BEDA super caputsextum Lucæ, cui Simeonem filium genuisse, eumq; consobrinum Domini existentem, & quod Cleopas frater fuerit Ioseph, historia ecclesiastica tradit. Et super. 1. cap. Actuum. Consobrinus hic, secundum carnem,

Theoph. Saluatoris fuisse declaratur; quia patrem ipsius Cleopham, fratrem fuisse Ioseph, Egesippus contestatus est. THEOPHYLACTVS in. 13. caput Mathæi. Fratres habuit Dominus, & sorores, Ioseph filios, quos genuit ex vxore fra-

Euthim. tris sui Cleopæ, & in cap. 19. Ioannis, Clopas frater fuit Ioseph. EVTHYMIVS, cap. 17. in Ioannem, vnigenita erat Dei mater, verum Ioseph, & Cleopas fratres erant: mos

Georg. Ced. autem erat Iudæis fratrum vxores appellare sorores, quarũ

Niceph. viri Ioseph, & Cleopas. GEORGIVS Cedrenus in compendio historiæ. Eius filiam Mariam Cleophas, frater Iosephi ex vtroq; parente, duxit vxorem: ex eaq; Simeonẽ sustulit, qui post Iacobum domini fratrem episcopus fuit Ierosolymis. NICEPHORVS lib. 3. histor. eccles. cap. 9. Simonem filium Cleopæ eligunt episcopum Ierosolymæ post Iacobum: Cleopas enim Iosephi sponsi frater fuit. *AVCTOR*. Alter hic est ab illo discipulo, qui,

Clopas diuersus à Cleopha. vt à Luca refertur. 24. cap. ibat in Emaus, hic enim, de quo est modo nobis sermo Græce Clopas, ille vero Cleopas dicebatur. Huius si ostendissemus filios esse illos, quos sacri euangelistæ fratres Domini vocauerunt, vt conabimur ostẽdere, nu. 11. sequenti, actum esset de quæstione difficili, qua quæri solet, fuerint ne filij Iosephi, an aliarum Annæ

Egesippus. matris Dei genitricis filiarum.

11 PATRIS EORVM. EGESIPPVS lib. 5. suorum commentariorum. Cum esset pax alta &c. vt supra num. 10. Et rursus. Postquàm Iacobus, cognomento iustus, martyrio est coronatus pro veritatis defensione, sicuti & Dominus, Simeon filius Cleophæ patrui eius, in locum eius suffectus est: quem omnes discipuli, quoniam Domini cõ-

Euseb. Cæs. sobrinus erat, secũdo loco suffragijs illi administrationi prę fecerunt. EVSEBIVS Cæsariensis lib. 3. hist. eccl. c. 10. Post martyrium Iacobi rumor est &c. vt supra nu. 10. & c. 26. Quod siquis Simeonẽ, tũ oculis Dominũ cõspexisse,

tu

tum auribus eius sermonem acccepisse dixerit, ratione certè id quidem potest, non solum longinquitate tēporis, quo vixerit, sed euāgeliorum testimonio, quod Mariæ Cleophę meminerit, vbi citatur Maria Cleophæ vxor, pro argumento vtens, cuius filius, vt supra posuimus, fuit, & lib. 4. ca. 21. Idem auctor Egesippus errorū suæ ætatis origines his vocibus plane demonstrat. Postquam Iacobus cognomento iustus, & cetera vt supra ex Egesippo. IOANNES Chrisostomus super illud ad Galatas. 1. Alium Apostolorū vidi neminem nisi Iacobū fratrem Domini. Sed vide quāto cum honore & hunc nominauit, non enim simpliciter dixit, Iacobum, sed magnificum illud elogium addidit, fratrem Domini. Etenim si tantum indicare voluisset, de quo loquererur, poterat alia nota declarare, si dixisset, Iacobum Cleophæ, quod cognomen posuit euangelista, non enim appellauit eum Iacobum Cleophæ, sed quomodo? fratrem Domini: at qui nec frater erat Domini iuxta carnē, sed esse putabatur. THEODORETVS super primum cap. ad Galat. vocatur frater Domini & cetera: vt supra numero. 10. BEDA super caput. 6. Lucæ. Iacobus quidem Alphæi ipse est, qui in euangelio frater Domini nominatur, quia Maria vxor Alphæi soror fuit Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes euangelista cognominat: fortasse, quia vel isdem Alphæus, qui etiam Cleopas est dictus: vel ipsa Maria defuncto, post natum Iacobum, Alpheo Cleopæ nupsit: cui Simeonem filium genuisse, eumque consobrinum Domini existentem, eo quod Cleopas frater fuerit Ioseph, Ierosolymæ post Iacobum rexisse ecclesiam, historia ecclesiastica tradit. Et super caput primum Actuum Apostolorum. Iusta euangeliorum fidem eumdem Iacobum filium Alphæi Apostolum præfuisse Ierosolymis sciendum est, qui frater Domini dictus est eo quod fuerit Mariæ materteræ Domini filius, cuius Ioannes euangelista meminit: stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ. Mariam hanc Cleophæ à patre, siue à familia cognominans. Symon autem Zelotes ipse est,

Chrysost.

Theodoret.

Beda.

qui

qui in Euangeliis scribitur Cananeus, & post fratrem suum Iacobum, Ierosolymorum rexit Ecclesiam; centumque & viginti annorum sub Trajano crucem ascendit: consobrinus is secundum carnem Saluatoris fuisse declaratur; quia patrem ipsius Cleopham fratrem fuisse Ioseph, Egesippus contestatus est. NICEPHORVS libr.3.histor.cap. 9. Atque equidem omnes in Simonem filium Cleopæ, cuius etiam sacrum meminit Euágelium, oculos conii ciunt; eiq; Episcopalẽ sedem committunt. Quem Simeonẽ Egesippus patruelem Iesu fuisse memorat: Cleopas enim spõsi Ioseph fratrer fuit, & cap.16. Quo tempore Simeonem quoque patruo Iesu Cleopa, & Maria coniuge eius, quam & sororem (quippe veluti consp õsam, atque adeo filiam) Dei genitrcis fuisse dicunt, non ex Anna, & Ioachim, sed ex Salome, & Iosepho editam vt dictum est, progenitũ, martyrij cursum absoluisse constat. Quod si quis vere rationi, atque obseruationi insistat,, recte profecto Simeonem hunc ex illis fuisse dicet, qui Dominum suis ipsorum oculis viderint; & auribus audierint, apertum nimirum indicium est longeuitas ipsius, & quod diuinorum Euangeliorum scriptura Mariæ Cleopæ, ex quo hunc prognatum esse supra diximus, mentionem facit: venerunt igitur, & præfuerunt Ecclesiæ omnĩ donec etiam, quem diximus Simeon Cleopæ filius, Domini patruelis frater, per calumniam ab hæreticis delatus est, & lib.4.cap.7. Meminit itidem Egesippus initiorum hæresum quarumdam, ita inquiens. Postea quam Iacobus Iustus & cætera vt supra. *AVCTOR*. Hi patres de duobus ex quatuor, qui vocantur fratres Domini, loquuntur de Iacobo, & Simone: de Iacobo quidẽ Chrysostomus, & Theodoretus plane docent filium fuisse Cleopæ fratris Ioseph, & Christi consobrinum, & idcirco vocari fratrem Domini hoc est patruelem ex patre putato. Egesippus autem, & qui eum sequntur Eusebius, Beda, & Nicephorus, Simonem cõfitentur filium fuisse Cleopæ fratris, vt dictum est, Iosephi, & patrui Iacobi; quo manifeste indicant Simeonem hunc non fuisse fratrem Iacobi, quod non esset filius Iosephi, cuius filios esse putarunt veteres quatuor illos, qui ab Euangelistis

Nicephorus

Auctor. Iacob. frater Domini filius Clopæ fratres Ioseph. Simon filius Clopæ fratres Ioseph.

listis

listis fratres Domini vocantur. Nobis igitur restat probandum Simonem, & Iacobum fratres fuisse, vt ita conueniant Chrysostomus, & Theodoretus cum Egesippo & ceteris, in patre Cleopa illis asignando. Quatuor ergo, vt hæc penitius explicentur, nobis tractanda se offerunt, in primis, quẽ patrem habuerint hi frates; deinde quã matrem, tertio quot qui ve fuerint illi fratres sigillatim; demunque illis fuerint sorores? Hæc enim, si ostenderimus, nodum satis implexum dissoluemus. *Qui fuerint fratres Domini.*

DE PARENTE PRIMVM DICAMVS.

Patrem illorum ex auctoribus quidam vnum faciunt, quidã duos. Qui vnũ fatẽtur, plurimi dicũt fuisse Iosephũ sponsũ Virginis, ex alia vxore, vt verũ esse cõprobẽt dictũ Euãgelistarũ, fratres Dñi illos vocãtiũ; erãt enim, quia filij Ioseph, hoc est, putabantur, quemadmodum Ioseph pater Domini existimatus est: sic sentiunt Hyppolitus Portuensis, apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Origenes in 13. Mathęi, Hylarius Canone. 1. in Mathæum, Ambros. ad Galat. 1. Epiphanius hæresi 28. 29. 51. 78. & in Ancorato, ad medium, Gregorius Nyssenus oratione 2, de Resurrectione, Chrysostomus, oratione de Annunciatione, Augustinus libro expositionis epistolæ ad Galatas. Theophyl. super 13. Mathæi, & ad Galat. 1. quam sentẽtiã plane sequuti videntur Egesippus, dum Clopam Simonis patrem, patruum facit Iacobi, & fratrem Iosephi, (putauit enim Iosephum patrem fuisse Iacobi,) & qui eũ referunt Eusebius locis illis, & lib. 2. cap. 1. OEcumenius super cap. 15. Actorum. capit. 23. Euthymius super 12. Mathæi. cap. 23. & super 27. cap. 67. & super 19. Ioannis cap. 17. & Nicephorus lib. 2. cap. 3. & 33. & lib. 3. cap. 10. Hieronym. tamen lib, ad versus Heluid: & Beda lib. in 6. cap. Lucæ, dicũt fuisse Alpheum. quia Mathæi 10. 3. Marci. 3. 18. Actuum 1. 13. Iacobus vnus ex fratribus Domini Alphei dicitur filius. Demun Abdias lib. 6. historæ Apostol. diuersos his filiis patres assignat. licet eamdem matrem, nam Iosephum facit patrem Iacobi, Alpheum vero Simonis & Iudæ. Verũ tamen rectius Chrysostomus, & Theodoretus, patrem horum Clopam fatentur esse, fratrem Iosephi: quod ipsum asserunt.

Fratrũ Domini quispater fuerit: Iosephũ multi putant. Hypolit. Origines. Hyllarius. Ambros. Epiphani. Nissenus. Chrysost. Augustin. Theophil. Egesippus. Eusebius. OEcum. Euthymius. Nicephorus Alphæum alijfaciunt. Hieronym. Beda. Clopas verior pater est fratrum Domini. Chrysost.

Theodor. Egesippus. Eusebius. Beda. Nicephorus

afferunt Egesippus, Eusebius, Beda, & Nicephorus dum Simonis patrem illum faciunt, si probauerimus, hunc Simonem fratrem fuisse Iacobi, vt mox probare conabimur. Hanc autem veriorem sententiam esse plane ostendemus, cum eorum fratrum patrem non potuisse esse Iosephum, ex matre eorum, demonstrauerimus: neq; Alphæum, si nó sit idem, qui Clopas, vt cum Iacobum Alphæi à Iacobo fratre Domini diuersum esse, inferius ostenderimus iuxta aliquos.

Mater fratrum Dñi quæ fuerit. Heluidij hæresis. Hieronym. Eschã quidã putant. Salomẽ alii Hippolitus. Nicephorus Mariã Cleophæ alii. Abdias. Theophylactus. Egesippus. Hierony. Egesippus. Epiphanius Eusebius. Beda. Nicephorus Maria vxor Cleophæ mater fratrum Dñi. Chrisost. Hierony. Theod. Beda.

SECVNDO, quid de horum matre senserint ecclesiastici referamus. Heluidius cum alijs hæreticis Deigenitricem Iosephi sponsam matrem eorum impie sunt conati suadere. At sancti patres, vt illis se se opponerent, variè senserunt: quidam, quorum meminit Hieronymus super 12. Mathæi, Escham Iosephi vxorem fuisse putarunt, ante virginem ductam. Hippolytus apud Nicephorum lib. 2. c. 3. & ipse Nicephorus lib. 3. cap. 16. Salomen prius à Iosepho ductam matrem designant filiam Aggæi fratris Zachariæ. Abdias Mariam Cleophæ filiam Alphæo, ait, genuisse Simonem, & Iudam, post vero Iosepho Iacobum Theophylac. super. 13. Mathæi, & super. 19. Ioan. vxorem Cleophæ ab ipso relictam, ductam à Iosepho, & hos fratres habuisse; quem dicendi modum videtur secutus Egesippus, cum his, qui eum referunt, dum Mariam vxorem Cleophę facit matrem Simonis, vxorem autem Iosephi matrem Iacobi. Hieronymus deinde dum aduersus Heluidium sic concludit. Verum in hac parte contentiosum funem non traho, alia fuerit Maria Cleophæ, alia Maria Iacobi, & Iosetis, dummodo constet non eamdem Mariã Iacobi, & Iosetis esse quam matrem Domini. Indicat sane Mariam Cleophæ sororem matris Domini fuisse matrem Simonis: quod dixerat Egesippus, Epiphanius, Eusebius, Beda, & Nicephorus: at Mariam vxorem Alphæi fuisse matrem Iacobi, & Iosetis. Sit ergo certior sententia Chrisostomi homil. 89. in Mathæũ, Hieronymi lib. aduersus Heluidium, & super. 12. Mathæi, Theodoreti ad Galatas. 1. & Bedæ, in 6. Lucæ, & Actuum. 1. existimantiũ horũ matrem

esse

esse illam, quæ Matth. 27. 56. & Marci. 15. 40. dicitur Maria Iacobi, & Iose mater, & Ioan. 10. soror matris Domini Maria Cleophæ. Nam Cleophæ hanc vxorem fuisse satis aperte dixere Egesippus, & Eusebius, Theophilactus, & Nicephorus, esse autem Mariam ex eo, quod Iacobi, & Iose mater vocatur ab euangelistis, satis constat. Iam hoc iacto fundamento, fratres illos non potuisse filios esse Iosephi, hac efficaci ratione probamus. Vel Iosephus habuit hos filios ex vxore ante virginem ducta, vt omnes prædicti fatentur; & præmortua, vt exprimunt Epiphan. & Gregorius Nissenus, vel simul viuente cum Deipara. Nō præmortua, quia Math. 27. 56. Marci. 15. 40. & Luc. 24. 10. refertur Maria Iacobi, & Iose mater viuens tempore mortis, & resurrectionis Christi: Iacobus autem, & Ioses duo erant ex illis fratribus. Respondent Gregor. Nissenus, oratio. 2. de Resurr. Theophylact. super. 27. Math. & super. 19. Ioan. & Nicephorus lib. 1. histor. ca. 33. vere vxorem Iosephi fuisse præmortuam; quæ vero dicitur ab euangelistis Maria Iacobi, & Iosetis mater, esse Deigenitricem, quæ mater illorum dicitur, idest nouerca, quod domi pueros illos, tamquam Iosephi filios educauerit: confitenturq; ad vngendum corpus Iesu cum alijs pijs feminis profectam; quod ex Greg. Nazianzeno, & Sedulio inferius c. 17. n. 2. repetemus. Sed refutat hanc solutionem Simeon Metaph. eo c. referēdus, & Euthymius c. 67. in 27. Mathæi, tum quia nihil obstabat vocare eā matrem Iesu, vt sæpe alias, si ea esset; tū quia absurdū esse: ei præponi Magdalenam, tamquā feruidiorem, cui sese visendum prius Christus præbuisset, tum demū quia impiū itidē esset, verba eius sicut & aliarū mulierū, tamquā deliramēta ab Apostolis contēpta fateri; non ergo erat Deigenitrix, sed vera mater Iacobi, & Iosetis. Viuebat ergo vna cū Deipara. Igitur vel illā repudiauerat Iosephus, vt dixit Chrisost. orat. de Annūciatione (si eius est, cū diuersum in alijs operibus sentiat) quod indignū est credītu de viro iusto, & sancta femina, vel duas vxores simul habebat Iosephus, quod nullius auctoritate probari potest, nec ratione. Quod ne diceret Euth. eo loco, suspicatus est

Mariam

Egesippus.
Eusebius.
Theophil.
Niceph.
Fratres Domini non filii Ioseph.
Nissenus.
Theophyl.
Niceph.
Maria Iacobi falso putatur Deigenitrix.
Greg. Naz.
Sedul.
Simeon Metaph. Euthi.
Maria Iesu diuersa à Maria Iacobi.
Chrisost.
Ioseph non repudiauit Mariam.
Non habuit duas vxores simul.
Euthymius

Mariam hanc matrem Iacobi, & Iosetis non esse matrem filiorum Ioseph, sed aliorum e septuaginta; putat enim hos duos non esse ex fratribus Domini contra omnium sententiam. Ne igitur tam absurda concedamus, tamquam certum ex dictis concludamus, hos non fuisse filios Ioseph. Quod si eos negamus Iosepho, cum ratione eorum vxorem illi tribuerint veteres, sequitur nullam habuisse ante virginem. Erunt igitur filij Cleophæ, aut Alphæi, si idem sit; quod pēdet ex eo, vtrum sit Iacobus Alphæi, & Iacobus frater Domini idem, quod paulòpost explicabimus: & vtrum eadem sit Maria Cleophæ cū Maria Iacobi, & Iosetis, de quo mox dicemus.

Ioseph nullam habuit vxorē præter virginē.
Clophas verus pater fratrū Dñi.

Tertiò sequitur vt agamus de his fratribus, prius in genere; posterius de singulis. In genere quidem, nemo est qui dubitet hos quatuor esse, qui dicuntur fratres Domini, Iacobum, Iose, Simonem, & Iudam: quia ita nominantur Mathæi. 13. 55. Marci. 6. 3. Mathæi. 27. 56. Marci. 15. 40. & Lucæ. 24. 10. Maria dicitur mater Iacobi, & Iose, & Lucæ. 6. 16. Actuum. 1. 13. & in epistola Iudæ dicitur Iudas frater Iacobi: & complures auctores ex eisdem parentibus natos putant, quamuis, vt vidimus, in eis designandis varij sint, vt Epiphanius hæres. 78. Gregorius Nissenus, Hieronymus, Theophilactus super. 13. Mathęi & Euthimius, qui putat, vt cœpimus dicere, Iacobum, & Iose nō esse ex his fratribus, sed ex septuaginta discipulis, ex Maria natos, non vxore Iosephi. Fortè indicat id quod Nicephorus dixit lib. 1. c. 33. Mariam hāc esse vxorem Iudæ filij Ioseph, vnius ex fratribus Domini, qui ex illa hos duos fratres habuit Iacobum, & Iose. Ceteri confitentur eos fratres, vel ex patre tantum, vel ex matre: dictos vero fratres Domini, hoc est, compatrueles, quia nepotes Iosephi ex fratre; apud quem vna cū Christo sunt educati, & ita eius fratres putati, sicut & Ioseph putatus est pater. Gregorius autem, Epiphanius, & Theophylactus propterea dicunt vocari Mariam Iacobi, & Iose tantum matrem, duobus alijs pręteritis, quod hi essent primi ex fratribus, & insigniores, sed iam de singulis agamus.

FratresDñi qui, quo ve fuerint?
Math. Marc. Lucas. Iudas.
Epiph. Niss. Theophyl. Euthym.
Niceph.
Fratres Dñi dicti quia apud Ioseph cū Christo educati.
Greg. Epip. Theophil.

De Iacobo in primis dubitatur, sit ne idem Iacobus Alphæi, cum Iacobo fratre Domini? si enim sunt idem, eisdē erunt orti parentibus, atque idem erit Alphæus cum Clopa: si diuersi, diuersi erūt patres, nec Iacobus frater Domini erit ex Apostolis. Igitur Abdias lib. 6. historiæ Apostolicæ, Clemens Alexandrinus lib. 7. hypotiposeon, quem referunt Eusebius lib. 2. histor. Ecclesiastic. cap. 1. & Nicephorus lib. 2. cap. 3. Hieronymus lib. aduersus Heluidiū, Isidorus lib. de vita, & morte sanctorum, capit. 79. & Beda vbi supra, duos tantum Iacobos agnoscunt, Iacobum Zebedæi fratrem Ioannis, & Iacobum iustum fratrem Domini, filium Alphæi, qui vnus est ex Apostolis, vt ait etiam Anselmus 1. Corint. 9. hæc sententia constat. Primo quia hic fuit Apostolus; sic enim vocat eum Paulus ad Galat. 1. cum ait, alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini, sed inter Apostolos duo tantum numerātur Iacobi Mathæi 10. 2. Marci 3. 16. & Lucæ 6. 14. vt notarunt Chrisostomus hom. 33. in Mathæum, & Theophylact. in 10. Mathæi, Iacobus Zebedæi, & Iacobus Alphæi: at Iacobus frater Domini non est filius Zebedæi, est ergo Iacobus Alphæi. Præterea, quia Iacobus frater Domini dicitur minor, & Iacobus Zebedæi maior: eiusmodi autem comparatio non fit nisi inter duos, sunt ergo tantum duo Iacobi. Demun quia Ecclesia duos tantum Iacobos celebrat Apostolos, Iacobum Zebedæi, & vna cum Philippo Iacobum Ierosolymitanum: qui si non fuisset Iacobus Alphæi, reliquisset profecto hunc sine festo, quod esset mirabile. Ne ergo tam absurdam rē asseramus, tāquam satis probabile cōfiteri oportet duos tantū extitisse Iocobos, & Iacobū fratrē Domini eumdem esse cum Iacobo Alphæi.

Iacobus frater Domini sit ne idem cum Iacobo Alphæi.

Iacobos duos fuisse tantum asserunt multi.

Abdias. Clemens Alexand. Hierony. Isidorus. Beda. Anselmus

Ratio prima huius sententiæ.

Chrisosto. Theophyl.

Ratio altera.

Ratio tertia.

Veruntamen Egesippus relatus ab Abdia, & Hieronymo in catalogo, in vita Iacobi, multos fuisse Iacobos affirmat, & ipse Hieronymus libro quinto in Isaiam, capite 17. ex quorumdam veterum interpretum sententia, extra numerum duodecim Apostolorum, tertiumdecimum facit Iacobum fratrem Domini, nec id reiicit: imo id sentit super caput primum ad Galat. vt dicemus: sic extra

Tres fuisse Iacobos plurium sententia est.

Egesippus. Hierony.

C duo-

Clemẽs Romanus. *Hippolyt.* *Dorotheus.* *Cyrillus.* *Epiphanius* *Nyssenus.* *Chrisosto.* *Nicolaus I.* *Euthymius* *Nicephor.* *Iacobũ Alphæi fuisse Mathei fratrem putãt aliqui.*

duodecim Apostolos hunc Iacobum enumerat Clemens Romanus lib.6.constitutionũ Apostol.cap.12.& 14.Hippolytus in lib.de Apostolis,& 70. Discipulis. Dorotheus, in synopsi, Cyrillus Ierosolymit. catechesi 14. & Epiphanius hæres.66. Gregor. etiam Nyssenus orat. 6. de Resurrect. & Chrisostomus homil.33.in Mathæum. Nicolaus I. in responsis ad Bulgaros.c.92. Euthymius quoq; super 10. Mathæi cap.19.& super 27. c.67. Michael Glycas.3.p.Analium:& Nicephorus lib.2.c.40. & 44. diuersos faciunt Iacobum fratrem Domini à Iacobo Alphæi. Hunc enim Chrisostomus,& Euthymius faciunt publicanum fratrem Mathæi, qui erat etiam filius Alphæi. Hæc sententia primum probatur, quia quotiescunque in Euangelio numerãtur Christi discipuli, seu Apostoli, seorsim extra eorũ numerum constituuntur fratres Domini, non ergo erant de numero Apostolorũ: id constat Mathęi.12.46.vbi cum diceretur Christo, ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te, extendens manus in discipulos suos respondit: ecce mater mea, & fratres mei, & Ioan. 2. 12. post hæc descẽdit Capharnaũ ipse,& mater eius,& fratres eius, & discipuli eius. Et cap. 7. 3. dixerunt fratres eius: transi hinc, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis, neque enim fratres eius, credebant in eum. Actuũ 1. 14. enumeratis vndecim Apostolis cũ duobus Iacobis, dicitur, hi omnes erant perseuerantes cũ Maria matre Iesu, & fratribus eius. 1.Cor.15. Visus est Cephæ, & post hæc vndecim, deinde visus est plusquã quingentis fratribus simul, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus.

Ratio I. *Fratres Domini extra numerum Apostolorũ*

Obiectio.

Quod si dicas hac ratione probari, nec Iudã fratrẽ Iacobi annumerandum vndecim Apostolis, qui tamen erat vnus ex fratribus, respondetur, hunc quidẽ negari non posse, quia expressus est: de reliquis autẽ probare rationẽ; qui tamen serius crediderunt in Christum, vt indicat Hierony. aduersus Heluidiũ, ac post alios, posteriores vocati sunt, vt asserit Abdias vbi supra.

Solutio. *Hierony.* *Abdias.* *Ratio potissima.*

Verũ ratio, quæ probat Iacobum fratrem Domini non fuisse ex Apostolis, ac proinde non fuisse Iacobum Alphæi, est hęc. Omnes Apostoli à Christo ipso sũt Episcopi ordi-

ordinati, nec vni, aut alteri prouinciæ, aut regioni addicti, sed vniuerso orbi præfecti, missi ab eo ad prædicandum omni creaturæ, quamuis beato Petro subiecti, vt communis tenet sententia ex ipso Euãgelio deducta: sed Iacobus frater Domini non est ordinatus, aut consecratus Episcopus à Christo ipso, sed consecratus est Episcopus Ierosolymitanus, eique ecclesiæ addictus, ab Apostolis Petro, & Ioanne, & Iacobo: vt asseruit Clemẽs Alexand. lib. 6. hypotiposeon, quem refert Eusebius lib. 2. histor. c. 1. & Anacletus epistol. ad Episcopos Italiæ, Chrisostom. homil. 87. in Ioannem, & Hieronym. in catologo. Vnde colligit Anacletus traditam à Petro regulam nõ minus, quam à tribus Antistitem consecrandi. Propterea Egesippus, apud Hieronymum, ait, suscepit ecclesiã Ierosolymæ post Apostolos frater Domini Iacobus, ostendens ipsum nõ fuisse Apostolum: ideoq; nec fuisse Iacobũ Alphæi, vnum ex Apostolis. Quod si verius sit. Iacobus frater Domini, non erit Alphæi filius: & cum supra probauerimus, nec fuisse filium Iosephi, sequitur habendum esse filium Cleophæ; quod, & de ceteris fratribus Domini similiter est dicendum.

Apostoli à Christo sũt Episcopi ordinati.

Iacobus frater Domini consecratus Episcopus ab Apostolis.

Clemens Alexand.

Eusebius.

Anacletus

Chrysosto.

Hieronym.

Egesippus.

Iacobus fuit filius Cleophe.

Ad rationes quas adduximus, ex Hieronym. lib. aduersus Heluudiũ, respondetur: Ad primã, satis sibi ipsum Hieronymũ respondisse in primum cap. epistol. ad Galatas: nã explicans illa verba Pauli. Alium Apostolorum vidi nemi nem nisi Iacobum fratrem Domini, tacite respõdens obiectioni, cur Iacobum annumeret Apostolis, inquit: quod autem exceptis duodecim, quidã vocentur Apostoli, illud in causa est. Omnes, qui Dominũ viderant, & eum postea prædicabant, fuisse Apostolos appellatos. Probatque exemplis, & concludit: vehementer errasse, qui arbitratus est Iacobum hunc de Euangelio esse Apostolum fratrẽ Ioannis. Vult ergo satis aperte Hieronymus ostendère Iacobũ fratrem Domini nõ esse de numero Apostolorũ. Ad alteram rationẽ dicendum, verisimilius esse, si ætatem respiciamus, maiorem fuisse Iacobũ fratrem Domini, Iacobo fratre Ioãnis, qui erat nepos illius ex sorore Salome; & natus est post Ioannẽ, si credimus Chrisostomo homil. 33. in Mathæum:

Ad primã rationem.

Hieronym.

Ad alterã rationem.

Chrisostom.

 Ioan-

Ioannes autẽ tertio Christi anno natus est, at frater Domini, multo ante, vt mox dicemus. Vnde sequitur hac ratione non recte dici minorem. Gregorius ergo Nyssenus orat. 2. de Resurrectione comparat cum Iacobo Alphæi, quẽ dicit vocari maiorem dignitate, quod annumeratus esset Apostolis, at Iacobum fratrem Domini dictum, ait, paruũ, quod esset tantum de numero discipulorũ nõ Apostolorum: qua etiam ratione posset minor dici comparatus cum Iacobo Zebedæi, qui fuit Apostolus. Fortasse dici potest, cum ex scriptura nullum reperiamus Iacobum dictum maiorem, & Iacobus frater Domini Marci 15. 40. Micros, hoc est paru⁹ dicatur, absq; illa cũ alio singulari comparatione; ita dictum, quod paruus corpore esset: nisi velis dicere, fuisse aliam Mariam matrem Iacobi, ad cuius distinctionem dixit Marcus, & Maria Iacobi minoris, quod illa habuisset filium Iacobum, qui hoc maior erat: qui tamen esse non potuit Iacobus Zebedæi, cuius mater non fuit Maria, sed Salome, vt dicemus. Ad tertiam rationem respondetur, & si Ecclesia orientalis diuersum de tribus Iacobis festum celebret, magnã vim habere Ecclesiæ latinę cõsuetudinẽ, & probabilem satis reddere priorem opinionem, cui pietas postulat fidem habere: quamobrem priori sententiæ, quam hactenus Latina Ecclesia probauit, iure debemus assentire.

Iacobus dictus minor dignitate. Nyssenus.

Iacobus frater Domini dictus paruus.

Ad tertiã rationem. Consuetudinis Ecclesiæ magna vis.

De Symeone, siue Simone, præterea loquamur; nam de Iosete nihil est quod dicamus, cum, vt notauit Origenes, nulla de eo amplius mentio fiat. Abdias lib. 6. histor. Apostol. Simonẽ fratrẽ Iacobi existimat esse Zelotem, seu Cananæum, qui vnus fuit ex Apostolis, sic etiam Sophronius apud Hieronym. in catalog. Isidorus lib. de vita, & morte sanctorũ cap. 82. & Beda Actuum 1. tamen hunc non fuisse Apostolum, sed vnum ex discipulis, & acta eorum diuersa ostendunt, nam Apostolus celebratur 28. Octobris, frater autem Domini 18. Februarij, & quia ille fuit ex Cana, frater vero Dñi ex Nazareth filius Cleophæ: vnde retractat Beda suam sententiã, lib. retractationũ super Actus Apostolorum, super cap. 1. & licet Egesippus relatus ab Eusebio, & Ni-

Symeõ qui fuerit.

Simeõ frater Domini nõ Cananaus. Apostolus Abdias. Sophonius Isidorus. Beda.

& Nicephoro vbi supra, & Epiphanius hæresi 66. hunc Simeonem faciant filium Cleophæ, & Mariæ Cleophæ, consobrinum Saluatoris, non faciunt tamen fratrem Iacobi, sed compatruelē: quo putant diuersum esse ab illo, qui inter fratres Domini connumeratur. Verum certius loquuntur Chrysostomus, Theodoretus, & Beda, qui cum Iacobum faciant filiū Cleophæ, & Mariæ Cleophæ, ostendunt esse fratrem Simeonis, qui illi successit in Episcopatu Ierosolymitano, ac proinde fratrem Domini existimant vnum ex illis fratribus. Epiphanius Chrysost. Theodoret. Beda. Symeon filius Cleophæ, frater Iacobi.

De Iuda certum nobis est fuisse Apostolum, dictūLebbæum, & cognominatum Thadæum, sic enim, Lucæ 6.16. Actuum 1.13. annumeratur Apostolis, & in epistola sua Iudas se vocat fratrem Iacobi, atque ita fatentur Egesippus apud Eusebium lib. 3. histor. c. 15. & 26. & Nicephorus lib. 2. cap. 4. qui addunt filios habuisse ex Maria coniuge, & nominat Nicephorus mox referendus, Iacobum, & Iosetem, quos dixit Euthymius non esse illos duos fratres Domini, sed alios è septuaginta: & huius Iacobi respectu, fratrem Domini dictum minorem dicit aliquis, quo vtraque hæc Maria eorum mater diuersa esse ostendatur. Iudas Apostolus frater Iacobi. Egesippus. Euseb. Cæsariens. Nicephor. Euthymius.

Quarto demum agendum nobis est de sororibus Domini, nam vbi fratres Domini nominantur, mentio etiam facta est sororum eorum, Mathæi 13. 55. & Marci 6. 3. easque duas fuisse refert Hippolytus apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. nempe Esther, & Tamar: Epiphanius autem hæresi 78. & Theophylact. in 13. Math. vocāt Mariā, & Salome, quę nomina ex Euangelio, nó obscure colligi possunt. Sorores Domini quæ, & quot fuerint? Hippolytus. Sorores Domini duæ.

De Maria in primis dicendum. Duplex autem est quę ex Euangelio vertitur in dubium, Maria Cleophæ, quę Ioannis 19. dicitur Maria soror matris Iesu, & Maria Iacobi, & Iose mater, sic dicta Mathæi 27. 56. Marci 15. 40. & 16. 1. & Lucæ 24. 10. quæ & altera Maria dicitur Mathęi 27. 61. & 28. 1. has duas Marias diuersas esse existimant quicumque putant fratres hos fuisse filios Ioseph, ex vxore præmortua; & Mariam Iacobi, & Iose, dicunt esse Dei genitricē: quæ, sicut filius eius putatus est filius Ioseph, & Epiphanius Theophyla. Maria soror Dñi quæ? Maria Iesu putata mater fratrum Domini.

frater Iacobi, putata est, & ipsa eorum fratrum mater, cum minime fuerit, vt affirmauit Heluudius apud Hieronymũ: sic dixerunt Gregorius Nyssenus, Theophylactus, & Nicephorus; & hęc ipsa est, quę dicitur altera Maria. Euthymius autem, vt diximus, cap. 67. in Mathæũ, quoniã huic sententiæ merito non vult assentire, ne etiã duas vxores viuentes concedat Iosepho, asserit, hanc Mariã esse matrem Iacobi, & Iose, non filiorum Ioseph, & fratrum Domini, sed aliorũ è septuaginta discipulis. Sed Nicephor. lib. 1. c. 33. Mariam quamdã refert Iudæ coniugem filij Ioseph, qui ex illa habuit Iacobum, & Iose. At Mariã Cleophæ putant esse filiã Iosephi Epiphanius, & Theophylactus, habitam ex vxore à Cleopha relicta, & ea propter dictam Mariam Cleophæ: esseque sororem Iacobi, & ceterorũ fratrum Domini. Abdias, nec dissentit Hieronymus, cum Beda, filiam dicit esse Cleophæ, & nuptam vel Alphæo, vel Iosepho. Sed eamdem prorsus esse Mariam Iacobi, & Iose cum Maria Cleophæ, existimant Chrisostomus, Hieronymus, Theodoretus, & Beda locis dictis, eamque fuisse vxorem Cleophæ dixere Egesippus, Eusebius, Chrisostomus, homil. vltim. in Mathæum, Theodoretus, Euthymius cap. 17. in Ioannem. Nicephorus, & Beda: quare nõ potuit esse Dei genitrix. Sed dicta est soror eius, quasi consponsa, quia erat vxor fratris Iosephi. Cum ergo ex dictis nihil certi colligamus de Maria hac sorore fratrũ illorũ, quæ alioqui non diceretur soror virginis, sed filia, sicut illi non fratres Dei genitricis sunt habiti: sed filij, idcirco videtur dicendũ, nullam constare mentionem ex Euangelio factam esse de illa, nec ex alia quauis historia, quid sit de ea factum certo deduci.

De Salome, quid certius habemus. Epiphanius hęres. 78. dum ait, Maria, & quæ vocatur Salome, satis indicat hanc esse illã, quæ ab Euãgelistis vocatur Salome, quod tamquã certũ affirmat Theophylactus Math. 27. & Marc. 15. quamuis filiã Iosephi vocet, vt & Epiphanius iuxta prędictã eorum sententiã, qui Iosephũ fratrum Domini patrẽ faciunt. Fuit igitur iuxta veriorem, quã sequuti sumus, opinionẽ, filia Cleophæ, & Mariæ eius vxoris. Sed rursus quæ nã hęc fuerit

Nyssenus. Theophyl. Nicepor. Euthym. Nicephor. Epiphan. Theophyl. Abdias. Hieronym. Beda. Maria Iacobi, & Cleophæ eadem. Chrisosto. Hieronym. Theodoret. Beda. Maria Cleophæ vxor nõ filia. Egesippus. Eusebius. Chrisostom. Theodoret. Euthymius Beda. Nicephor. Maria so-

fuerit dubitatur? multi existimant esse matrem filiorũ Zebedæi. NICEPHORVS hoc negat, dũ lib. 1. histor. cap. 33. Iohannam assignat matrẽ filiis Zebedæi. Sunt qui existiment Mariã Iacobi, quæ verulis apud hernicos in pace quieuit, & 25. Maij in Martyrologio Romano celebris est, vxorẽ esse Zebedæi: Sed hæc siue sit eadẽ cum Maria Cleophæ, quæ in Iudæa decessit die 9. Aprilis, siue diuersa; at non potest esse eadem, cũ Salome, quæ obiit Ierosolymis die 22. Octobris, & quam ex Euangelio deducemus fuisse matrẽ filiorũ Zebedæi, & à Maria Iacobi lõge diuersam, siquidem ab ea in Euangelio condistinguitur: vt iam cõstabit. Verius igitur est hãc Salome esse vxorẽ Zebedęi, & matrẽ Iacobi, & Ioãnis. Sic enim asseruit Origen. tract. 35. in Math. ad finẽ. Epiphanius loco dicto. Auctor imperfecti in Mathæ. homil. 35. Theophylact. vbi supra, & Euthymius. c. 65. in 27. Mathæi, idq; satis aperte colligitur ex euãgelio: nã quod Mathæus dixit. c. 27. 56. inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorũ Zebedæi: Marcus. c. 15. 40. repetiuit, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Iose mater, & Salome: quo nomine designauit illã, quã Mathæus vocauit matrẽ filiorum Zebedæi, à Maria Iacobi distinctam.

ror B. Virginis. Salome altera soror Domini. Theophyl. Salome fuit vxor Zebedæi. Non Ioãna Nicephor. Non Maria Iacobi. Origenes. Epiphanius Auctor imperfecti. Theophyl. Euthym.

Vnum restat, quo absoluamus hoc argumentũ. Quo ordine fuerint nati hi fratres, quot ve annis vixerint? Epiphan. hæres. 29. & 78. eũ ordinẽ statuit inter hos fratres, quo sunt ab Euãgelistis numerati: nã primogenitũ constituit Iacobũ, secundũ facit Iose, tertiũ Simonẽ, quartũ Iudam; post eos duas sorores: quẽ ordinẽ insinuat Nyssenus orati. 2. de Resurrect. cũ ait Iacobũ, & Iose fuisse primos, & insignes filios Ioseph; quãuis Hippolytus Portuensis vltimũ, collocat Iose, apud Nicephor. li. 2. c. 3. de Iacobo autẽ addit Epiphanius hæresi illa 78. vbi vixisset Ierosolymis 24. annos post saluatoris assumptionẽ, anno ætatis. 96. decessisse, cũ tamẽ Eusebius in Chronico, & Hieronymus in catalogo, triginta annos dicãt rexisse Ecclesiã Ierosolymitanam, nẽpe vsq; ad septimũ Neronis annũ. Quod si verum est, natus fuisset 35. annis ante Christum, & tempore passionis eius

Ordo ætatis fratrum Domini. Epiphanius Iacobus primogenitus. Nyssenus. Hippolytus Epiphanius Eusebius. Hieronym.

egiſſet annos. 69. quod eſt difficile creditu. Abdias lib. 6. hiſtor. Apoſtoli affirmat Iacobũ inter filios Mariæ Cleophæ fuiſſe minorem natu, & Chriſto ipſi in primis dilectum; ideoque eo crucifixo cibum capere noluiſſe, donec vidit eum reſurgentem, quod refert etiam Hieronymus in catalogo, ex Euangelio ſecũdum Hebræos. Confirmat hoc quod aſſerũt Epiphanius hæreſ. 78. Theophylact. Marci 14. & Euthym. cap. 26. Iacobum fuiſſe illum adoleſcentem, qui relicta ſyndone profugit Marci 14. 51. in quo ſibi repugnat Epiphanius: ſed quicquid ſit de hoc, quod creditu eſt difficile, adoleſcentem creatum Epiſcopum Ieroſolymitanum, crediderim prope acceſsiſſe ad ætatẽ Chriſti, ac cum eo ſimul fuiſſe educatum; ideoque præcipue fratrem Domini vocatum, habitumq; illi quam ſimillimum: cum ceteri nati videantur non paulo ante Chriſtum. Fortaſſe numerus in Græco Epiphanio eſt erratus, & pro ſigma, & lamda, in verſo ordine poſitum lamda, & ſigna, ac verum numerum fuiſſe non 96. ſed 69. qua ratione natus fuiſſet ſex annos ante Chriſtũ, & optima ætate eſſet creatus Epiſcopus Ieroſolymitanus; nempe 40. annorum. De Simeone certum habemus ex Egeſippo, & Euſebio lib. 3. hiſtor. cap. 25. & in Chronico, & multis aliis, martyrio coronatũ anno 11. Traiani, & 109. Chriſti, cum centum viginti annos egiſſet, vnde conſtat 11. ante Chriſtum annos fuiſſe natũ. De ætate Iudæ, ſicut & Ioſetis nihil certi habemus. Salome autem nata videtur ante Iacobũ, & Simeonẽ, quia nupta iam fuiſſet Zebedæo, cum natus eſt Chriſtus, vt minimum, cũ eſſet ipſa 15. aut ſexdecim annorũ, nam tertio anno Chriſti peperit Ioannem, vt infra referemus cap. 24. quem tamen Chryſoſtomus homil. 33. in Mathæum maiorem facit Iacobo fratre eius. Vnde colligitur Iacobũ fratrem Domini, & fratrem Salome maiorem natu fuiſſe Iacobo Zebedæi, octo, aut decem annis, vt minimũ; atque ideo hac ratione, vt ſupra notauimus, non potuiſſe dici minorem. Atque hæc ſint dicta de longa, ac difficili quæſtione. Vt vero, & quæ dicta ſunt, & quæ dicentur de virginis Deiparæ illuſtri proſapia vno quaſi intuitu facilius poſsis comprehen-

Abdias.
Iacobus Domino crucifixo noluit cibũ ſumere.
Hieronym.
Epiphanius
Theophyl.
Euthym.
Iacobus relicta ſyndone fugit.
Iacobus eiuſdem cum Chriſto ætatis.
Iacobi ætas ex Græco Epiphanio.
Symeon vndecim ante Chriſtũ annis natus.
Egeſippus.
Euſebius.
Salome ante ceteros fratres nata.
Iacobus minor Ioanne.
Chryſoſtom.
Iaccobus frater Domini maior Iacobo Zebedæi.


prehendere, subiicimus tibi arborē eius genealogiæ, tres ramos ex vna Regis Dauidis radice producentem; quorum medius recta ducat Mariæ ipsius proauos paternos, qui dexter est maternos, qui vero sinister Iosephi, & Clopæ, qui, vt dictū est, fuit pater eorum, qui dicti sunt fratres Domini. Atq; hinc facillime colliges in quo gradu consanguinitatis fuerint Ioseph sponsus cum Maria cōiuge; & Elisabeth, atq; Ioannes Baptista cum Christo, & Maria.

Genealogiæ Virginis Deiparæ arbor.

(.?.)



ARBOR GENEALOGIAE VIRGINIS DEIPARAE.



12 ANNA. TRADITIO. Stolanus Dauidicus Bethlehemites duxit in vxorem Emerentianam Dauidicam Bethlehemitim; qui habuerunt duas filias, maiorem Esmeriam, quæ nupsit Aprano Aaronitico, & minorem Annam vxorem Ioachimi Dauidici ex Nazareth, quorũ filia fuit Maria sponsa Iosephi ex prosapia Dauid, & patria Bethlehem, quæ concepit de Spiritu sancto Christũ Iesum. Apranus ex Esmeria duos genuit filios, Elisabetham nuptam Zachariæ, qui genuerunt Ioannem Baptistam, & Eliud virum Iohannæ; ex qua duos habuit filios, Martialem primum Episcopum Lemouicensem, Christi discipulũ, & Emintium virum Mamiliæ Dauidicæ Bethelehemitis, filiæ Mattath, qui genuerunt Numentium virum Rebeccæ Dauidicæ Nazarenæ; & hi filium habuere Seruatium Episcopum primum Octauiensem, postremum Pictauiensem. AVGVSTINVS sermone 25. ad fratres in Eremo. Nam dum illa sancta Elisabeth, quæ filia fuit sanctæ Ismaræ, quæ quidem Ismara soror fuit carnalis sanctæ Annæ matris dominæ nostræ, dum grauida esset de Ioanne, ante aduentum virginis sanctificatus Ioannes non fuit, sed salututa Elisabeth à Virgine: mox Ioãnes sanctificatus fuit in vtero. SIGEBERTVS Monachus in Chronicis ad annum 399. Seruatius decimus Tungrensis Episcopus, Domini nostri Iesu Christi consanguineus, natus in Perside filius fuit Eminin, cuius pater fuit Eliud, frater Elisabeth, quæ peperit Ioannem Baptistam; mater vero Eliud, & Elisabeth Esmeria soror fuit Annæ, quæ genuit Mariam matrẽ Domini. *AVCTOR.* Hippolytus Portuensis Episcopus apud Nicepho. lib. 2. c. 3. sic Annæ genus explicat. Tres fuere sorores Bethlehemiticæ, filiæ Mathan sacerdotis, & Mariæ coniugis eius, sub Cleopatræ, & Casoparis Persæ regno, ante Herodis Antipatris filii regnũ: primæ Mariæ, secundæ Sobæ, tertiæ Annæ nomẽ erat. Nupsit prima in Bethlehem Maria, & peperit Salomen obstetricem, nupsit quoque secunda itidẽ in Bethlehem Sobe, & genuit Elisabetham; nupsit postremo & tertia Anna,

Annæ prosapia.

Traditio.

August.

Sigebertus.

Auctor.

Hippol.

Niceph.

Annam ex sacerdote profectam multi putant.

in terra Galilæa., & protulit Mariam Deigenitricem, ex qua nobis exortus est Christus ipsa veritas: ita vt Salome ista obstetrix, & Elisabeth, & Dei mater, trium sororum reperiantur filiæ, proinde Ioannes Baptista, & Iesus verus Deus noster consobrini esse dicuntur. Et Germanus Patriarcha Constantinopolit in oratione de oblatione Virginis, introducit Annam sic loquentem Zachariæ. Ego sum Anna grato nomine, nata quidem sum ex genere sacerdotali, tribu Aaronitica, radice prophetica, & regia; Dauidis autem, & Salomonis, & eorũ, qui deinceps fuerunt, sum ramus; sum autẽ cognata tuæ vxoris Elisabeth. Quorum sententiam sequitur ibi Nicephorus. Sed prior ideo mihi probatur magis, quod Ambrosius lib. 3. in Lucam, Elisabetham ad tribum Iuda pertinuisse asserat ex ea parte, qua cognata erat Mariæ Virginis: sic enim ait. Cognata Mariæ inducitur Elisabeth, quia ambæ erant ex tribu Iuda; didicisti ex tribu Iuda Mariam, disce & Elisabeth; nam exurgens Maria in diebus illis abijt in mõtana cum festinatione, in ciuitatem Iudæ; & intrauit in domum Zachariæ. Cum enim iuxta tribus suas Moyses habitare vnum quemq; præscripserit, vtique cum in ciuitate Iudæ manserit, erat & in tribu Iuda. Cognata autem ex parte matris Annæ fertur ab omnibus Maria Elisabethæ. Est & alia ratio, quæ præstat magis, quod vrbs Bethlehem non fuerit aliqua ex his, quæ Iosue. 21. designatæ sunt habitandæ sacerdotibus in sorte filiorum Iuda, aut Beniamin; quare Mathan, si sacerdos erat non video cur Bethlehemi habitarit. Cum ergo Anna Bethlehemitis fuerit, vt constãs omnium opinio est, patrem sine dubio ex tribu Iuda, & ex Dauidica familia sortita est, licet matrem ex vrbibus sacerdotalibus, Betlehemi in vxorẽ ductam habere potuerit; & hoc incertum; illud vero certius quod supra retulimus.

Iesus, & Ioãnes Baptista consobrini.

Germanus.

Ambros.

Maria cognata Elisabeth, qua ratione.

Anna, Bethlehemitis, ex tribu Iuda, & ex familia Dauid.

13 VITAM. GREGORIVS Nissen. episcopus homilia de humana Christi natiuitate. Erat insignis in accurata vitæ, quæ est ex lege, institutione, & inter optimos, apprime notus pater virginis: consenuerat autẽ sine liberis.

Vita parentũ virginis qualis.

Nissenus.

liberis. EPIPHANIVS serm. de laudibus virginis. *Epiphan.* De radice Iesse ortus est rex Dauid, & de tribu regis Dauidis sancta virgo, sancta, inquam, & sanctorum virorum filia: cuius parentes fuerunt Ioachim, & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructū eiusmodi germinarunt, sanctam virginem Mariam, templum simul, & matrem Dei. Ioachim porro, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificiū laudis offerebant: Ioachim enim interpretatur præparatio domini, eò quod ex illo præparatum sit templum domini; nempe virgo: Anna, rursum, similiter gratia interpretatur, propterea quod Ioachim, & Anna gratiam acceperunt, vt talem fructum germinarent, sanctam virginem adepti. HIERONYMVS lib. de Natiuitate Mariæ. *Hieronym.* Vita eorum simplex, & recta apud Dominum; apud homines irreprehensibilis erat, & pia, nam omnem substantiam suam trifarian diuiserunt, vnam partem templo, & templi seruitoribus impendebant, aliam peregrinis, & pauperibus erogabant: tertiam suæ familiæ vsibus, & sibi reseruabāt, ita isti Deo chari, & hominibus pij per annos circiter viginti castum domi coniugium sine liberorū procreatione exercebant. *Substantia trifariā diuisa.* NICEPHORVS lib. 1. histor. ecclesiast. cap. 7. Ioachim, & Anna parentum erant nomina, ambo accuratiore iuxta præscriptum legis vita, præstantes, & clari, nec non primis quibusque, & splendidissimis, nobilissimisq; genere connumerati: vitam autem ad senectutem sine prole edita produxerunt. *Niceph.*

(:·:)

DE

DE BEATÆ MARIÆ conceptu, ortuque mirabili.

Cap. II.

IGITVR cum Ioachimus, & Anna per multos annos in casto coniugio permansissent, quod Anna ad filios procreandos apta non esset ob sterilitatem; nullum tempus præteribant, in quo, summis precibus, lacrymis subinde effusis, ieiunijs præterea, & honestis alijs officijs adiectis à Deo non contenderent, prolem vt acciperent, quam illi possent consecrare: idq; præcipuum eis erat votum, quoties ad templum, non sine rubore, ac dedecore ascendebant. Aliquando ergo ad Encæniorum festum celebrandum, Nouembri mense, Ierosolymam profecti, cum se despici ob infœcunditatem animaduertissent, Deũ sunt obnixe deprecati, suis vt adesset votis, pollicẽtes, vt sæpe alias, consecraturos se fructum, quem è cœlo datum percepissent: quin hac de re soliciti coacti sunt Anna ad hortum, Ioachimus vero ad mõtem, vbi pastores eorum pascebant gregem, secedere, vt liberius possent Dei misericordiam promereri. Hac

de

de causa cum 2 in precibus per dies aliquot perstitissent, clementissimus Deus misit noui, bonique nūcij Angelū suum, qui Ioachimo nunciaret, Annam vxorem suam concepturam spectatissimam Virginem, ex qua Ducem illum tot iam seculis optatum vniuerso orbi daturum se fuerat pollicitus: atque id ipsum nutu diuino manifestatū est Annæ. Sic vterque fidem habētes diuino paranympho, quod præscierant, cum ea, quam tantum nuncium requirebat, gratulatione, sibi inuicem renunciarunt. Concepta ergo sacratissima proles 3 Decembris mēsis octauo die, singulari ea est, Dei munere, gratia præmunita, quæ & animam eius adeò pulchram redderet, vt iam inde 4 Angelorum, hominumque sanctissimos quosque superaret; & tam robustam, vt nec eam 5 labem cōtrahere, permitteret, qua vniuersa Adæ posteritas infecta procreatur, nec per sequentem ætatem 6 leuissimum culpæ næuum pateretur admitti. Vbi vero accessit terminus dierum à natura definitorum, in quo sacer fœtus huius aeris inclemētiam posset sustinere, eo in loco, vbi Ioachimus tanto est affectus beneficio, inter 7 ouium balatus, pastorūque hilares cōcentus, Nazarethæ in lucem editur

8 octauo

8 octauo Septembris die: moxque illi á Deo 9 Gabriel potissimum designatus ad custodiam est, 10 nomenque ritu gentis inditum, quod vtrique parentum fuerat præsignatū, id vero fuit 11 Maria, quo, quid illa puella futura erat, significabatur. Ad octogesimum deinceps diem, 12 vt legem purificationis impleret, Anna cum sacra puella Ierosolymam ad Domini templum ascendit, vbi consuetis muneribus oblatis, & iuxta legem purificata domum regressa est.

Testimonia.

Nissenus.

Consenuerunt sine filiis Virginis parentes.

1 VLTOS ANNOS. GREGORIVS Nisse. Episcopus, orat. in diem natalem Domini. Sed prius auscultemus, quid de ipsa (virgine) memoriæ proditum sit. Virginis pater, vt ex historia quadam incerti auctoris accepi, fuit insignis quidam ciuis, obseruantia legis, & vitæ probitate in primis nobilis, qui sine filiis ad senectutem peruenerat, cum minus idoneam ad gignēdum vxorem haberet. Habebatur autem matribus ex lege quidam honor, quo carebant feminæ, quæ liberos nullos susceperant, quapropter & hæc imitata id, quod de matre Samuelis scriptum est; ad sanctum sanctorum accedit, & supplex Deum orat, ne se legis benedictione sinat excidere, cum nihil vmquam admiserit contra legem; quod si mater eua serit, se quodcumque pepererit, ei dedicaturam. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Isti Deo chari, hominibus pij, per annos circiter viginti castum domi coniugium sine liberorum procreatione exercebant: vouerunt tamen, si fortè Deus donaret eis sobolem, eam se Domini seruitio mācipaturos; cuius rei gratia & templū

Postulabāt prolem, voto nuncupato.

Hierony.

Viginti annis caruere filiis.

Domin

Domini singulis per annum festis frequentare solebant. Factum est autem, vt Encœniorum festiuitas appropinquaret, vnde cum nonnullis contribulibus suis Ierosolymam & Ioachim ascẽdit. Ea vero tempestate Isachar ibi pontifex erat; cumq; inter ceteros conciues suos etiam Ioachim cum oblatione sua videret, despexit eum, & munera eius spreuit, interrogans, cur inter fœcundos infœcundus ipse stare præsumeret, dicẽs, munera nequaquam Deo digna posse videri, quem ipse prole indignum iudicasset, scriptura dicente, maledictum omnem esse, qui nõ genuisset masculum in Israel. Dicebat ergo prius eum ab hac maledictione sobolis generatione soluendum; & sic demum in conspectu Dñi cũ oblationibus esse venturum. Cuius opprobrij obiectu, pudore magno suffussus Ioachim, ad pastores, qui cum pecudibus erãt in pascuis suis secessit; nec enim domũ repetere voluit, ne fortè à cõtribulibus suis, qui simul aderant, & hoc à sacerdore audierant, eodẽ opprobrij elogio notaretur. ANDREAS Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitanus, in Encomio primo de Deiparæ dormitione. Si omnia vellẽ deinceps persequi, quomodo extiterit cõcepta, vel nata sit, nõ inuenerim tẽpus, quod respõdeat orationi, aut dicendi facultatem, quæ factis exequætur, nisi quod præclara eius omnia quæ narrãtur possunt summatim recenseri: dico autẽ generis claritatem; parentũ vtrinq; insignẽ nobilitatem, qui hinc sacerdotalẽ, illinc regiã nacti erant dignitatem, liberorũ egestatem, & sterilitatem; pro ea frequentes interpellationes, & crebra sacrificia, in quibus Deũ orabãt, rogabãt, supplicabãt, vt vincula solueret sterilitatis, & vt qui carebãt liberis fœcundi fierẽt ex sterilibus, & ex infertilitate datum fructum producerẽt. IOANNES Damasc. lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 15. Ioachim ergo venerãdam, & dignã laude Annã in matrimoniũ duxit: sed quemadmodũ vetus Anna sterilis, facta per votũ, & repromissionem habuit Samuelẽ, hunc in modũ & hæc per supplicationẽ, & repromissionẽ à Deo Deiparã profert, vt & in hoc nulla illustriũ, & gloriosarum posterior habeatur.

Ioachimus vt sterilis repellitur.

And. Cret.

Damasc.

Anna cum veteri Anna confertur.

German. GERMANVS Archriepiscopus Constantinopolitanus in Encomio de Virginis præsentatione. Ego, inquit, prophetæ Zachariæ, sum Anna grato nomine, nata quidē sum ex genere sacerdotali, tribu Aaronitica, radice prophetica, & regia; Dauidis autē, & Salomonis, & eorū, qui deinceps fuere, sum ramus, sum autē cognata tuę vxoris Elisabeth; deinde viro quidē coniuncta fui lege Dñi, inuenta sum vero sterilis, & infertilis multis annis, nullū autē inueniēs medicamentū, quod mederetur meæ calamitati; ad eū cōfugi, qui solus potens, & ea reddit facilia, ex quibus nō datur exitus; & ad ipsum os meū ex animo aperiēs cū luctu cordis clamaui, & lacrymis, sic dicens, ò *Annæ preces prolem postulantis.* Dñe Dñe qui dolore affectas animas audis ocyssime, cur me reddidisti diuersam à natura maiorū meorum? cur me fecisti parabolā in genere meo, & motionem capitis in tribu mea? cur maledicti tuorum prophetarum me fecisti participem? dans mihi matricem filios non producētem, & vbera arida? cur fecisti vt mea dona non essent accepta, vt quæ sim sterilis? cur me fecisti subsannari à notis meis? irrideri à famulis, & vicinis haberi opprobrio? respice Domine, exaudi Domine, miserere ò sancte: fac me similem volucribus cæli, & bestiis terræ, piscibus maris, quoniam quoque sunt genitalia coram te ò Domine, ne brutis videar deterior ò Domine, quę facta sum ad imaginem tuā, & similitudinem ò Domine. Hæc cū dixissem, hoc quoq; *Vouet Deo prolem.* adieci his, quæ dicta sunt, quoniā tibi ò Domine donum gratiarum actionis, omnino tibi dedicabo, quē mihi dederis filium, vt is sit, & maneat in tuo sanctuario, tamquā sacrum donariū, & munus preciosissimum, quod mihi datum est à te, qui es perfectissimus dator preciosorum donorum. *Simeō Metaph.* SIMEON Metaphrastes in oratione de vita & dormitione Mariæ. Diuinus Gregor. in orat. quæ de ortu Christi ab ipso est composita, hæc de ea tractat. Audiui, dicens, arcanā quamdā, & occultam historiam de ea hæc narrantem: erat insignis in accurata vitæ, quæ est ex lege, institutione, & inter optimos apprime notus, pater virginis: cōsenuerat autē sine liberis, quod nō erat cōiux

apta

apta ad procreandos filios, & cetera, vt supra Greg. Nissenus. NICEPHORVS lib. 1. histor. Eccles. cap. 7. Niceph.
Vitā autē ad senectutē sine prole edita produxerant. Erat enim ad liberorum procreationem Anna aluo infœcunda, & cum ob sterilitatis causam non haberet communes cum matronis, & matribus, à lege tributos honores, exēplo matris Samuelis, ipsa quoque fit supplex Deo, & in tēplo sedulo versatur, ne scilicet à benedictionibus legis excluderetur, sed vt ei matri esse liceret orās; ac quod paritura esset ipsi Deo dicatura se esse vouēs. AVCTOR. Vouet Deo prolem. Auctor.
Historia de ortu virginis tria refert vero similia; vnū, per annos circiter viginti Ioachimum, & Annam sine liberis permansisse, quod alij dicunt, ad multos annos, vel vsque ad senectutem: & cum obierint versus annū vndecimum Virginis, annos nati prope octoginginta, vt num. 15. sequētis capitis dicemus; certè sexaginta excessissent annos cum Mariā genuerunt. Alterum est, festum Encæniorum fuisse, ad quod celebrandum ascendit Ioachim in templum: pertinebat autem ad mensem Casleu, vt patet 1. Machabeorum 4. 52. qui respondet Nouembri nostro, & Decembri ex parte: nam celebrabatur per octo dies, à vicesimoquinto die noni mensis; vt dicemus latius cap. 15. num. 13. atque ita accidisse comprobatur, quod ex ipso festo probro affecti, Ioachimus secessit ad pastores in montem, Anna vero ad hortum suum, nec inde discesserunt, donec renunciatum est prolem desideratam habituros: concepit autem Anna octauo Decembris die statim consequuto. Tertium, repulsam passum Ioachimum, quod Germanus etiam affirmat, ceteriq; tamquam certū supponunt. Etenim inficiari nemo potest apud veterem illū populū, apud quē bona hęc caduca preciosa erāt, sicut honorificū, ac felicissimū existimabatur filijs aliquē esse copiosum; vnde Exod. 23. 26. promittebat Deus, seruietis Dño Deo vestro, & benedicā panibus tuis, & aquis, & auferā infirmitatē de medio tui: nō erit infœcūda, nec sterilis in terra tua, & Deuteronom. 7. 14. Benedictus eris inter omnes populos: Non erit apud te sterilis vtriusque

Deipara genita est prope annum 60. parētū.

Encæniorū in festo, repulsus Ioachim.

Sterilitas probro daba tur in vete ri lege.

sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis, ita è contra maledicti loco habitam, ac probro datam sterilitatem. Sic Oseas c.9.4. maledicebat dicens: Da eis Domine: quid dabis eis? da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia. Ex quo factum est, vt post partum, Rachel Gen. 30. 23. tamquã ab opprobrio liberata, in ea verba proruperit; abstulit Deus à me opprobriũ meũ, & Anna 1. Reg. 16. grauiter tulerit ab æmula exprobrari sibi vuluã à Dño conclusam, hinc Isai. 41. septem mulieres dicũtur aprehẽsuræ virum vnũ, illiq; dicturæ aufer opprobrium nostrũ, & Sara filia Raguelis Tobiæ. 37. cum improperiũ audisset ab vna ex ancillis patris sui, dicẽte, amplius nõ videamus ex te filiũ, aut filiã super terrã: ipsa ascẽdens cubiculũ suum rogabat Deũ cũ lacrymis, vt ab eiusmodi improperio se liberaret, ex qua gẽtis opinione lõgo vsu, & traditione roborata, & ex scripturæ intelligẽtia, illa fluxit apud eum populum cõmunis, celebrisq; sentẽtia, quam tãquam verã referunt

Origen. *Hierony.* *Aug.*

Orig. ho. 11. in Genesim: Hieron. in illa Isaiæ verba ca. 57. dicit Dñs eunuchis, & August. lib. 14. cõtra Faustũ c. vlt. & quæst. in Exod. q. 92. Maledictus sterilis, qui non facit semen in Israel. Quã ob rẽ mirãdum non est si Ioachimo viginti annos iã liberis orbato probro daretur sterilitas, ab illo populo, qui nihil aliud cogitabat, quã filiorũ copiã, vuluæ vbertatẽ, & bonorum affluentiam. Erat autem

Isachar non erat Sũmus Pontifex. *Ioseph.*

Isachar, vt dicemus in Catalogo, quem huic operi subijcimus, in Hieronymo, non summus illius anni Pontifex, is enim erat Simon Boethi Alexandrini filius, Herodis socer, vt ait Iosephus lib. 15. antiquitatum cap. 12. sed vel templi præpositus, vel sacerdos ex minoribus, qui munere vicis suæ fungens, oblationes suscipiebat.

Epiphan. *Maria precibus impetratur.* *Angelus promittit Mariã eius parentibus.*

2 IN PRECIBVS. EPIPHANIVS lib. 3. hæres. 78. contra Antidicomarianitas. Neq; enim Deus est Maria, neq; de cælo corpus habet, sed ex cõceptione viri, & mulieris, secundum promissionem vero, velut Isaac disposita, & hæresi. 79. cõtra Collyridianos. Si enim angelos adorari nõ vult, quãto magis eã, quæ genita est ab Anna; quæ ex Ioachim donata est Annæ, quæ per preces, &

omnem diligentiam ſecundum promiſsionem, patri, ac matri data eſt, non tamen aliter genita eſt præter hominum naturam, ſed ſicut omnes ex ſemine viri, & vtero mulieris. Tametſi enim hiſtoria Mariæ, & traditiones habeant, quod dictum eſt patri ſuo Ioachimo in deſerto, vxor tua concepit, tamen non quod ſine coniugio hoc factum, nec ſine ſemine viri, ſed futurum angelus miſſus præuaticinatus eſt, vt nequa hæſitatio fieret, propter id, quod in veritate factum eſt, & iam ex Deo ordinatum, & iuſto promiſſum. Et infra. Sic etiã de Maria angelus prædicabat id quod futurum erat; ingreſſus eſt pater huius in domum ſuam, vt à Deo acciperet id, quod per preces patris, ac matris, petitum erat, nempe, vxor tua concepit in vtero, quo firmiter perficeret cogitarionẽ fidelis in promiſsione. Et ſermone de laudibus Deiparæ. Ioachim, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam ſacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum ſit templum Domini, nempe virgo: Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur, propterea quod Ioachim, & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precebus talem fructum germinarent, ſanctam virginem adepti. Ioachim ſiquidem precabatur in monte, & Anna in horto ſuo: Anna vero grauida effecta, cælum, & thronum cherubicum peperit, ſanctam puellam Mariam. HIERONYMVS in hiſtoria de ortu Mariæ: verum cum ibi aliquandiu cum paſtoribus eſſet, quadam die, cum eſſet ſolus, angelus Domini ei cum immenſo lumine adſtitit, qui cum ad eius viſionem turbaretur, angelus qui ei apparuerat, timorem eius compeſcuit dicens, noli timere Ioachim, neq; in viſione mea turberis, ego enim ſum angelus Domini miſſus ab ipſo ad te, vt annũciem tibi preces tuas eſſe exauditas, & eleemoſinas tuas aſcendiſſe in conſpectum eius, videns quippe vidit pudorẽ tuũ, & audiuit ſterilitatis opprobriũ non recte tibi obiectũ, peccati namque, non naturæ vltor eſt Deus, & ideo cũ alicuius vterũ claudit, ad hoc facit, vt mirabilius denuo aperiat, & nõ libidinis eſſe ꝙ naſcitur,

Hieronymus.
Angelus apparet Ioachim.

ſed diuini muneris cognoſcatur. Prima enim gentis veſtræ Sara mater, non ne vſq; ad octogeſimum annum infœcunda fuit, & tamen in vltima ſenectutis ætate genuit Iſaac, cui promiſſa erat benedictio omnium gentium. Si ergo ratio verbis meis tibi non perſuadet credere, dilatos diu conceptus, & ſteriles partus mirabiliores eſſe ſolere, proinde Anna vxor tua, pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam, hæc enim erit, vt vouiſtis, ab infantia Domino cõſecrata, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris, & ætate procedente, ſicut ipſa mirabiliter ex ſterili naſcetur, ita incomparabiliter virgo generabit altiſsimi filium, qui Ieſus vocatur: & hoc tibi eorum, quæ annuncio ſignum erit, cum perueneris ad auream in Ieroſolymis portam, habebis ibi obuiam Annam vxorem tuam, quæ de tuæ regreſsionis modo ſolicita, tunc in aſpectu tuo gaudebit. His dictis angelus diſceſsit ab eo.

Angelus promittit Mariam.

Deinde apparuit Annæ vxori eius dicẽs, ne timeas Anna, neq; phantaſma putes eſſe quod vides, ego enim ſum angelus ille, qui preces, & eleemoſynas veſtras obtuli in cõſpectu Dei, & nunc miſſus ſum vt annunciem vobis filiam naſcituram, quæ Maria vocata ſuper omnes mulieres erit benedicta, hæc à natiuitate ſua ſtatim, Domini gratia plena, tribus ablactionis ſuæ annis in domo paterna permanebit, poſteà ſeruitio Domini mancipata, à templo vſque ad intelligibiles annos non diſcedet. Itaque ſurge, aſcende Ieruſalem, & cum perueneris ad portam, quæ aurea vocatur, ibi pro ſigno virũ tuum, pro cuius incolumitatis ſtatu ſolicita es, obuiam habebis: cum hæc igitur ita euenerint ſcito quod quæ annuncio ſine dubio complenda erunt. Igitur iuxta angeli præceptum vterq; de loco, in quo erant, promouentes, aſcenderunt Ieruſalem, & cũ ad locum perueniſſent angelico vaticinio deſignatum, ibi ſibi inuicem obuiauerunt: tunc de mutua ſua viſione læti, & promiſſæ prolis certitudine ſecuri, debitas domino humilium exaltatori gratias egerunt. Itaque adorato Domino domum regreſsi diuinum promiſſum certi, & hilares expectabant. ANDREAS Cretenſis in Encomio.

Angelus promittit Annæ Mariam.

And. Cret.

mio.1.de dormitione Deiparæ. Deinde (dico) amotioné sterilitatis, implementum promissionis, & paulo ante ea, quæ visa sunt in somnis, & quæ re vera audierunt, & quæcumq; ambo communiter, & priuatim visione, præstantioribus diuinis exauditis vocibus, diuina illuminatione, sancti accepere responsa; deinde ad generandum aptitudinem, & ad eam progressionem. ANTIOCHVS monachus Abbas cœnobii sancti Sabæ, in pandecte scripturæ ad Eustachium homil. 107. de compunctione. Anna Ioachim vxor flens in horto suo, cum petitionem suam obtulisset pro impetrando filio, promeruit accipere sanctam virginem Mariam Domini, ac Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi secundum carnem matrem. IOANNES Damascenus lib. 4. fidei ortodoxæ cap. 15. Sed quemadmodum vetus Anna sterilis facta per votum, & repromissionem habuit Samuelem, hunc in modum, & hæc per supplicationem, & repromissionem à Deo Deiparam profert, vt & in hoc nulla illustrium, & gloriosarum posterior habeatur. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopol. in Encomio de virginis præsentatione. Hæc ego cum essem subdio in meo horto oculos in cælum tollens, pectus autem meum manibus verberans, clamaui ad Deum, qui est in cælis; meus autem coniux, cum esset solus in monte, & ieiunaret quadraginta dies, eadem à Deo supplex petebat. Sic ergo flexus qui est paratus ad misericordiam, & benignus Dominus, amborum precibus, misit diuinum angelum nobis prænunciatum meæ filiæ conceptioné. Statim ergo natura à Deo iussa semen excepit, non enim ante diuinam gratiam ipsa ausa est excipere, sed cum illa accessisset, matrix, quæ prius erat clausa, suas portas aperuit, & à Deo acceptum depositum apud se detinuit, donec Dei voluntate quod in ea fuerat seminatum in lucem est editum. Idem in illa verba Psal. 44. Audi filea & vide. Secundú Angeli vaticiniú ò virgo illustris proles ex iustis hominibus Ioachim & Anna in lucem prodiisti hodie. Et in verba eiusdé Psalmi, vultum tuú Dñe deprecabuntur. Anna sterilis hodie

Antioch.

Damascen.

German.

Angelus promittit prolem.

manus alacriter, & festiue complodat. Non repellentur amplius, ô Ioachim munera tua, quando luctus Annæ in gaudiũ est conuersus. NICEPHORVS lib. 1. hist. ecclesf. c. 7. Sed enim diuino nutu ad eam, quam petierat gratiam Anna confirmata, atque roborata. AVCTOR. Germanus affirmat quadraginta diebus ieiunii transactis Annam concepisse, quod si verum sit, ergo vel illi dies nõ sunt numerandi à festo Encæniorum, quod, vt diximus, vigesimoquinto Nouembris incipiebat, sic enim nõ fuisset virgo concepta octauo die mensis Decembris statim sequuto, sed Decembris anni sequentis, quod & ipse Germano repugnat, qui statim post ieiunium illud, dicit conceptam, quod recidisset in finem Decembris, aut etiam in mensem ipsum Ianuarium: & rationi, nec enim credi potest, tam longum tempus dilatam à Deo promissionem. Cum vero festum aliud ante Encænia non celebraretur nisi tabernaculorum die Septembris decimoquinto, vt dicemus numero. 11. capitis decimiquinti huius historiæ, & ab hoc festo non quadraginta dies, sed prope octoginta intercessissent vsque ad octauum Decembris, quo virgo concepta est, verisimilius est tunc temporis non accidisse ieiuniũ illud Ioachim, sed ante festum Encæniorũ, nam hoc sæpius fecisse dubitari non debet.

Niceph. *Auctor.* *Annæ ieiunium ante festum Encæniorum.*

3 DECEMBRIS. BEDA in Martyrologio. Maria sexto idus Decẽbris, cõceptia est. CALENDARIVM Romanum. Sexto idus Decembris conceptio gloriosæ semper Virginis Deigenitricis Mariæ. AVCTOR. Romana Ecclesia hoc die octauo Decembris conceptam fatetur Deiparentem Mariam, à quo die vsque ad octauũ Septembris, quo natam dicemus, integri sunt nouem mẽses ad prolem roborandam, antequam in lucem edatur, requisiti. Concepta est igitur luna. 4. Decẽbris, feria sexta, quia eo anno litera Dominicalis erat A. Græci tamen videntur in ea fuisse sententia, vt dicant nono Decẽbris die fuisse conceptam, in suo enim calendario, illo die sic habent. Conceptio beatæ Annæ Dei, & Domini Auiæ: & ita definiuit Emanuel Imperator in constitutione, quam

Deipara cõcipitur octauo Decẽbris die. *Beda.* *Græci nono die conceptam putant.*

Theodorus recitat in nomocanone Photij, titulo septimo, cap. 1.

4 ANGELORVM. AVGVSTINVS ser. 20. de Natiuit. Domini ad fratres in eremo. Propterea Maria mater electa est, & super omnes creaturas prælecta, omnibus gratiis fœcundata, omni virtute, & sanctitate in vtero repleta, vt de mundissima matre mundissimus filius nasceretur: & sicut in cœlo filius habet patrem immortalem, & æternum, sic & in terra haberet matrem omni corruptione carentem. GREGORIVS Magnus lib. 1. in primum Regũ cap. 1. Potest huius montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari: mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt ad cõceptionem æterni Verbi pertingeret meritorum verticem supra omnes angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit? Huius enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit. RVPERTVS Abbas. lib. 4. in Cantica. Hortus cõclusus, soror mea sponsa Dei genitrix. Ecce nouus paradysus, nouæ plantationes, quas plantauit vnus, idemque antiqui paradysi plantator dominus Deus: ille est paradysus antiquus, paradysus terrenus: iste est paradysus nouus, paradysus cælestis: vtriusq; plantator est vnus, idemque dominus Deus: in illo posuit hominem, quem formauerat, in isto formauit hominem, qui apud ipsum in principio erat: de ista humo produxit omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio paradysi: istam humum, istam terram suam benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitę Christum Deum, & hominem, Dominum paradysi cælestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluuius ad irrigandũ paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita: de isto paradyso ille fluuius, siue illud flumen egressum est, de quo

A conceptu Angelos gratia superabat.

Augustin.

Gregorius.

Maria mõs.

Rupertus.

Maria nouus paradysus.

Bernardus. Psalmista dicit: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, qui inde diuiditur in quatuor Euãgelia. BERNARDVS Abbas epistol. 174. ad Canonicos Lugdunenses. Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ virgini fuisse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam: fuit proculdubio mater Domini ante sancta quam nata: ego puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitã: sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex vtero sanctitas sanctum fecit illum. Et sermon.9. ex paruis. Sapientia ædificauit sibi domum, hic est Christus, Dei virtus & Dei sapiẽtia; hæc igitur sapientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu patris ad nos veniens ædificauit sibi domum, ipsam scilicet matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit: quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam, dignum sibi habitaculum fide, & operibus præparare? LAVRENTIVS Iustinianus sermone in natali Mariæ. Illam profecto adhuc in matris vtero decubantem adamauit verbum, sibique in genitricem elegit, vtpote superabundanti iam benedictione præuentam, iamque sancti Spiritus magisterio deputatam. *AVCTOR.* Quam eximia, & singulari gratia supra omnes sanctos fuerit à Deo infans Virgo præparata, & ex effectis cõstat, & ex fine: ex effectis quidem, quia, & contra peccatum originale, & contra peccatum actuale, quamtumuis leuissimum, imo contra omnes motus ex fomite profectos superior fuit: fecit enim vt non tantum quidpiam huiusmodi pateretur, sed nec pati posset. Ex fine vero, quia aliis gratia data est, vt ministris, huic infanti, vt futuræ matri: quo vero mater seruis excellentior est, eo, matri gratia fuit collata excellentior, quam seruis.

Maria domus Sapientiæ.

Iustinian.

Auctor.

Gratiæ Virgini in concepta collatæ magnitudo vnde colligatur.

5 LABEM. IACOBVS primus Archiepiscopus Ierosolymitanus in lithurgia. Dignũ est, vt te vere beatã dicamus Deiparam, semper beatã, & omnibus modis irreprehẽsam, & matrem Dei nostri. Et, cõmemorantes sanctissimã, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram matrem

Maria concepta absq; peccato originis.

Iacobus.

Dei

Dei. ORIGENES homil. I. ex variis. Mater eius mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, mater eius, cuius eius? mater Dei vnigeniti, Domini, & Regis, omnium plasmatoris, & creatoris cunctorum; illius, qui in excelsis sine matre, & in terra est sine patre. Huius itaque vnigeniti dum dicitur hæc mater virgo Maria, digna digni, immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici. CYPRIANVS serm. de Natiuit. Christi. Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis, cum omnibus, afficeretur iniuriis, nam plurimũ à ceteris defferens, natura cõmunicabat, nõ culpa. AMBROSIVS in Psal. 118. versu quæ reseruũ tuũ. Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est, suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. HIERONYMVS Ecclesiast. 10. Beata terra Ecclesiæ, cuius Rex est Christus, filius ingenuorũ, de Abrahã, Isaac, & Iacob, prophetarũ quoq; & sanctorũ stirpe descendens, quibus peccatũ non fuit dominatum, & ob id vere fuerũt liberi. Ex quibus nata est virgo liberior sancta Maria, nullũ habens fruticẽ, nullum germen ex latere, sed totus fructus eius erupit in florem. Et in Psal. 77. & deduxit eos in nube diei. Certe nubem leuem debemus sanctã Mariã accipere: pulchre dixit, in nube diei, nubes enim illa nõ fuit in tenebris, sed semper in luce. SOPHRONIVS epistol. de Assumpt. Mariæ ad Paulã, & Eustochiũ. Et si in sanctis patribus, & prophetis gratia fuisse creditur, nõ tamẽ eatenus plena, in Maria vero totius gratiæ, quæ in Christo est plenitudo venit, quamquã aliter, & ideo inquit, benedicta tu in mulieribus, idest, plus benedicta quã omnes mulieres, ac per hoc, quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Paulo inferius. Sic itaque cõfidenter vniuersa Dei canit Ecclesiã, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, vt vltra angelorum; & archangelorum dignitatem merito transcenderit, quia & si similitudo re promittitur sanctis, veritas tamen negatur: hoc quippe priuilegium non naturæ est, sed gratiæ beatæ virginis Mariæ, de qua natus est ipse Deus & homo. Ante hoc

Origenes. Cyprianus. Ambrosius. Hieronym. Sophronius.

hoc ipsum sane vterus Virginis, quamuis mundus, quamuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quamuis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur. Et infra. Non immerito venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur, erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbæ, in omnibus repre sentans, quoniam quicquid in ea gestum est totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia, & iustitia, quæ de cælo prospexit, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta. AVGVSTINVS lib. de natura, & gratia, cap. 36. excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstioné: vnde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum: & lib. 5. contra Iulianũ cap. 9. Illud sane magnum, verumque dixisti, cum posuisses testimonium Apostoli Petri dicentis, qui peccatum non fecit, notandum esse quod indicauerit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit, nullum eum fecisse peccatum: profecto enim peccatum, etiam maior fecisset si paruulus habuisset: nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exordio. Et serm. 20. de Natiuitate Domini. Propterea Maria electa est, & cetera vt supra, numero quarto. PROCLVS Archiepiscopus Constantinopolitanus sermone in sanctam natiuitatem. Porro vt architecto nullam maculam aspergit, si domum, quam forte extruxerat, incoluerit, neque lutum figulum inficit dum vasculũ, quod finxerat, ex eo refingit; ita ex vtero virgineo prodiisse purissimum illud numen, nihil quicquam polluit: quam enim citra vllam sui labem formauerat; ex hac quoque nulla macula contracta processit. SOPHRONIVS Ierosolymitanus Patriarcha, in epistola synodica, relata in 6. synodo constanti-

Augustin.

Proclus.

Sophron.

Constantinopolitana, Actione III. In vterum à viro in tactum, castitate virginitatis decoratum, Mariæ sanctę, & puræ, & quæ Dei erant sapientis, & ab omni labe secundum corpus, & animam, ac mentem liberæ, ingressus, carnem assumit qui erat sine carne. ILLEFONSVS sermo. 2. de purificatione, & parturitione Mariæ. Ergo in qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla disruptio interemit, nulla vexatio carnis, nulla fæditas dirę conditionis ei, in qua vexila virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur, viguit. Et in libro contra eos, qui de virginitate Mariæ, & parturitione disputant. Beata Virgo Maria, nisi in vtero matris sanctificata esset, minime eius natiuitas colenda esset: nunc autem quia auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni originali peccato fuisse immunem, per quam non solum maledictio Euæ matris soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonata: nullis ergo, quando nata est, delictis subiacuit, nec originale peccatum in vtero sanctificata, contraxit. IOANNES Damascenus sermon. 1. de Natiuitate Mariæ. O beati lumbi, ex quibus immaculatissisimum semen fluxit. Et sermone de dormitione Deiparæ. Sic dicit Deus, ne si manum extenderit is, qui primus est formatus, & acceperit de ligno vitæ, & gustauerit, viuat in æternum; quomodo quæ vitam ipsam accepit, quæ caret principio, & fine, quæ neque principij, neque finis seruiuit terminis, non viuet in infinitum seculum? Olim quidem dominus Deus eos, qui fuerunt principes humani generis, & se impleuerunt mero in obedientiæ, & magnitudine transgressionis, cordis clauserunt oculos, & peccati crapula grauatos habuerunt mentis oculos, & somno in morte fuere sopiti, exterminauit ex paradyso Eden: nunc autem hanc, quæ omnis vitij repulit insultus, & produxit germē Dei patris obedientiæ, & vniuerso generi fuit vitæ principium, non suscipiet paradysus? Et Paulo inferius. Materiale, & quod erat instar fœni corpus insignis huius Virginis accepit consumentem ignem diuinitatis, & tamquam aurum purum, & minime adulteratum; nequaquam consumptum fuit, &

Illefonsus.

Damascen.

quomo-

quomodo morti es obnoxia, quæ es intemerata? Aduenit Rex ad suam parentem, diuinisque, & ab interitu alienis manibus suscepit eius puram, & nulli culpæ affinem animam, & ea quidem dixit: in manus tuas fili mi commendo spiritum meum, suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione. Et laudes dignas canebant angeli præcurrentes, deducentes, consequentes, sanctissimam, & nulli culpæ affinem animam comitantes.

Idiota. IDIOTA libro contemplationum de Virgine Maria, cap. 2. Tota pulchra es Virgo gloriosissima; non in parte, sed in toto; & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te: nec vmquam fuit, neque erit: sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cælestium donorum. Et cap. 6. Inuenisti Virgo Maria gratiam cælestem, quia fuerunt in te, ab originis labe præseruatio, angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio, & filij Dei conceptio: sed qualiter, ò felicissima Virgo Maria, istas gratias inuenisti? Certe ò superbenedicta Virgo Maria, sicut Eua gratiam amisit per superbiam, sic tu è diuerso gratiam inuenisti, quam numquam amisisti.

Petrus Damianus. PETRVS Damianus sermone tertio, de Natiuitate Mariæ. Quid sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit? quid rogo vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium. Et sermone de Annunciatione. Germinat virgo Iesse de tortuosa generis humani radice, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem: filiorum tenebras nescit. Et sermone de Assumptione. Sola illa mater filia creatoris, neque descendit, neque cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est: & infra. Caro Virginis & Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.

Anselmus. ANSELMVS lib. de conceptu virginali

nali cap. 18. Quia docebat, vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret; nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi virgo illa nitere, cui Deus pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, & virginis filius, & quam ipse filius substantialiter matrem sibi facere eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat. RVPERTVS lib. 3. in Cantica. Numquam aduentus spiritualis accipitris tibi esse improuisus, aut te consequi, imo nec tibi appropinquare potuit. Et lib. 4. mens tua nulli vitio, nulli spirituali nequitiæ fuit vmquam penetrabilis. Et lib. 6. ergo tu ò libera Sunamitis, tu maxime, cuius duo vbera sunt gemella, seculis omnibus inaudita, virginitas, atque fœcunditas, tu inquam, ò dilecta singularis libera es ab omni iugo peccati. LAVRENTIVS Iustinianus lib. de casto connubio verbi, & animæ, cap. 7. Proficientium interni motus, & pugnantium pro Christo, & virtutibus, vt plurimum, proueniunt insultus, & tentationes, ex infirmitate, ex ignorantia, ex consuetudine, ex natura, ex diuina dispensatione: ex infirmitate quidem, cum diuino mens afflata desiderio, & virtutum animata profectu, in cunctis quæ agit, & loquitur, rectitudinem seruare contendit, nec valet; reuerberata, nempe propria infirmitate relabi compellitur: nam peccati fomite depressa patitur nolens, & bene agere volẽdo nõ finitur: hæc est originalis pœna delicti, à qua nemo, licet eximia polleat sanctitate, liber existit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine, exceptis dũtaxat mediatore Dei, & hominũ homine Christo Iesu, & ipsius matre, sub hac paccati lege sunt cõditi. Et in fascicul. amoris. c. 7. in fine. In elatione principãdi electus, hic angelus, quoniã in cęlo regnare nõ valuit, sedẽ suã ad Aquilonẽ instituens, in hoc nequã seculo soliũ iniquitatis erexit nemo ab ipso mũdi initio, vsq; ad tẽporis plenitudinẽ, dũtaxat mediatore, eiusque genitrice exceptis, iugum dominationis eius euasit,

Rupertus. Laurentius Iustinian.

euasit. Et in libro de Perfectionis gradibus, cap. I. Ab hoc quippe originali delicto nullus excipitur præter illã, quæ genuit mundi Saluatorem. Et serm. de Annunciatione Mariæ. Quis huius Virginis gratiam sufficit narrare: ab ipsa namque sui conceptione in benedictionibus, est præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo prius est sanctificata, quam nata, erat plane sicut à carnis colluuione immunis, ita ab omni peccati labe extranea. *AVCTOR.* Prima illa gratia Virgini collata, sic inferiores facultates superioribus subiectas reddidit, & has ipsas Deo, vt nihil esset interius, quod mentem, aut voluntatem à Diuina mente, ac voluntate posset diuellere, adeoque illi præsens aderat Diuinus Spiritus, vt externus hostis nulla vi posset animum eius inducere, vt à Deo minimum dimoueretur: atque id excellentius, & copiosius in Virgine fuit, quam in Adam, siquidem in illa ita fomes peccati extinctus est, singulari Dei munere, vt nulla ratione posset peccare: quam Virginis excellentiam indicarunt ex priscis patribus nonnulli, dum insinuant habuisse gratiam secundũ naturam, sic enim Georgi. Archiepiscopus Nicomediæ, in oratio. de oblatione Deiparæ: hanc introduc. tamquam sponsam, hortum conclusum, quem peccati cogitationes non possunt intrare, quæ est speciosa natura, & nullam suscepit maculam libero suo arbitrio, & Epiphanius presbyter Constantinopolitanus interpretans illud. Quoniam virum non cognosco, non habuit, inquit, virginitatem secundum continentiam, & pugnam, more honestarum feminarum, quibus cura, & studium pudicitiæ est, sed ex natura, quod extra omnium mulierum facultatem, & à natura alienum. Si autem ex effectis cognoscimus causam, profecto si vterus Virginis mundus fuit à passionibus peccati, vt dixit Theodotus Ancyranus Episcopus, homilia de Natali Domini, quam fecit in Concilio Ephesino. Et vinci non potuit, vt dixit Rupertus; & degebat in carne, cõuersabatur supra carnem, carnisque molestias nesciebat, vt serm. de Annunciat. dixit Iustinianus, instar Angeli; fateri cogimur iuxta ratiocinationem Augustini: à conceptu insitum fuisse

Auctor.

Gratia Virginis excellentior gratia Adæ.

Gratia Virginis secundum naturam.

Gregor. Nicomediens.

Epiphanius Præsbyter.

Theodotus.

Rupertus.

Iustinianus

Augustin.

fuiſſe illi hoc donum, nullaque labe vnquam fuiſſe commaculatam.

6 LEVISSIMVM. AMBROSIVS in Pſalm. 118. vt ſupra num. 5. HIERONYMVS in Pſalm. 77. vt ſupra. SOPHRONIVS ſermone de Aſſumptione Mariæ. Ideo immaculata, quia in nullo corrupta. AVGVSTINVS lib. de natura, & gratia, cap. 36. Excepta ſancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem, & cetera vt ſupra. SOPHRONIVS Ieroſolymitanus, vt ſupra. IOANNES Damaſcenus, ſerm. de dormitione Deïparæ. Nunc autem hanc, quæ omnis vitij repulit impulſus, & produxit germen Dei patris obedientiæ, & vniuerſo generi fuit vitæ principium, non ſuſcipiet paradyſus? Et, ſuſcipe tibi charam animam, quam conſeruaſti alienam ab omni reprehenſione. IDIOTA in libro contemplationum de Virgine Maria, cap. 2. Tota pulchra es Virgo glorioſiſsima, & cetera vt ſupra. PETRVS Damianus, ferm. 3. de Natiuitate Mariæ. Quid rogo vitij in eius mente, vel corpore vendicare ſibi potuit locum, quæ ad inſtar cæli, plenitudinis totius diuinitatis meruit eſſe ſacrarium, & cetera vt ſupra. ANSELMVS lib. de excellentia Virginis, cap. 3. Nulli dubium caſtiſsimum corpus, & ſanctiſsimam eius animam funditus ab omni fuiſſe macula peccati, iugi Angelorum cuſtodia protectam, vtpote aulam, quam ſuus, & omnium creator Deus corporaliter habitaturus, ex qua hominẽ in ſuæ perſonę vnitatẽ, ineffabili fuerat operatione ſuſcepturus. RVPERTVS, vt ſupra num. 5. BERNARDVS Epiſtol. 174. ad Canonicos Lugdunẽſes. Ego puto, quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eã deſcenderit, quæ ipſius, nõ ſolum ſanctificaret ortũ, ſed & vitã ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunẽ; quod nemini alteri innatis quidẽ mulierũ creditur eſſe donatũ. Decuit nimirum Reginã Virginũ ſingularis priuilegio ſanctitatis, abſq; omni peccato ducere vitã, quæ dum peccati, mortiſq; pareret peremptorẽ; munus vitæ, & iuſtitiæ omnibus obtineret. Et

Nullo leuiſſimo peccato commaculata.
Ambroſius
Hierony.
Sophronius.
Auguſtinus
Sophronius
Damaſcen.
Idiota.
Damianus.
Anſelmus.
Rupertus.
Bernardus

Iustinian9

sermone 2. de Assumptione Mariæ. Absit vt proprij quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazarij quæreretur. LAVRENTIVS Iustiuianus vbi supra. CONCILIVM Tridentinum, Sesſione 6. cano. 2. Si quis hominem semel, iustificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. *AVCTOR*. Siquidem singulare quippiam virgini tribuendū est, vt profecto debet, hoc vnum speciale est priuilegium, quo numquam potuerit, nec leuiter peccare. Fuit autem hoc donum, gratia cum virtutibus animæ Virginis insita, cum singulari Dei prouidentia, qua illi aderat, eamque vallabat, ne vndequaque exterius, interius ve lædi posset: ex qua effectus omnes prodibant spirituales, quos produxit in Adam; nam & fomitem extinxit, ne motus etiam primos excitaret, & omnem culpæ repulit rationē, ne posset ab ea inquinari: quamuis effectus ad corporis dolores, & penas spectantes nō abstulerit, vt filio persimilis efficeretur. Atque hoc vno, vt cœpimus dicere numero quinto, gratia virginis Adæ gratiā, & Angelorū viatorū superabat, quod hęc vim cōferebat, ne possent peccare, si vellēt; at gratia data est virgini, ne posset velle peccare, vnde quod Christus habuit à natura, virgo eius mater ex ipsius habuit gratia singulari.

Cancil. Tridentin.

Auctor.

Gratia singularis virginis, fecit non potuisse peccare.

Inter gratiā Virginis, & Adæ, ac Angelorū discrimen.

Damascen.

7 OVIVM. IOANNES Damascenus lib. 4. fidei othodoxæ cap. 15. Parit ergo gratia, (Anna enim hoc interpretatur) dominā, quod profecto indicat Mariæ nomen, nam reuera Domina facta est omnium creaturarū cum, conditoris omnium, effecta est mater; editur partu in ouilis ipsius Ioachim domo, & adducitur in templum. *AVCTOR*. Verisimile est ad virum Ioachimum se contulisse Annam cū pastoribus degentē, renuentemq; ciuibus se ostendere ante prolem acceptam, propter opprobium, ibiq; sacrosanctam puellam, edidisse, quæ paucos post annos bonum pastorē hominū erat extra vrbem editura Christū Iesum.

Nascitur Maria in domo pastoris

8 OCTAVO. CALENDARIVM Græcorū. Octauo Septembris festū Natiuitatis Mariæ. BEDA in

Dies octauus Septem.

Mar-

Martyrologio. Maria sexto Idus Decembris concepta est, Septembri nata. ADON Archiepiscopus Treuirensis in Martyrologio, sexto idus Septembris natiuitas sanctæ Dei genitricis Mariæ, perpetuæ virginis, quã Spiritus sanctus custodiuit, & electam sanctificauit, vt ex vtero illius nasceretur homo Deus altissimus. CALENDARIVM Romanum, sexto idus Septembris, Natiuitas beatissimæ semper virginis Mariæ. *AVCTOR.* Maria beatissima, cum octauo die Decembris fuerit concepta, nouem mensibus à natura requisitis, cõpletis, in lucem edita est octauo Septembris die, luna 14. Augusti, in Sabbato, quia eo anno litera Dominicalis erat G. Anno ante Christum eius filiũ natum decimo quinto, qui erat 4. Olympiadis 190. & vrbis cond. 738. Cõs. L. Domitio &. P. Cornel. Scipione Augusti vero à primo consulatu. 27. & à victoria Actiaca 15. Herodis regis 18. ab orbe condito 4073. A diluuio 2417. A prima Abrahæ promissione 2020. Ab exitu Israel de AEgypto 1590. A primo Dauidis anno 1153. à Templo Salomonis fundato, anno 1110. A captiuitate Babylonica 583, à fundato secundo tẽplo 513. Anno hebdomadarum Danielis 439. nempe anno 5. 63. hebdomadæ denique iuxta Hispanicam enumerationẽ, æra Augusti 24. quæ subputationes constabunt, cum de anno natalis Christi, & virginis partus septimo capite differemus; nam ab illo quindecim annis ablatis; quos designauimus, inuenies.

bris natalis Mariæ Calend. Græcorum.
Beda.
Adon.
Calend. Romanum.
Auctor.
Annus quo nata est Maria.

9 GABRIEL. EVSEBIVS Emissenus, homilia in vigil. Natiuit. Ecce Gabriel consiliator Virginis, eiusq; cõscius castitatis. ILLEFONSVS serm. 5. de Assumptio. Si quis adhuc studio pietatis indagare voluerit, quid post Ascensionem Domini egerit, quam sancte, & iuste vixerit, & cum quibus habitauerit, soli Deo cognitum esse videtur, & Gabrieli Archangelo, cui eius tota causa commissa esse prædicatur à Domino, & Angelis sibi collætantibus, secumque loquentibus. PETRVS Damianus, sermon. 1. de Natiuitate Mariæ. Duo leones sunt Gabriel Archangelus, & Ioannes Euangelista; quorum

Gabriel custos virginis designatus.
Euseb Emissenus.
Illefonsus.
Damianus.

E 2 alteri

alter dexteræ virginis, alter sinistræ custos deputatus est: Gabriel enim mentem, Ioannes carnem peruigili sollicitudines seruauerunt. *AVCTOR*. Cum certius habeatur ex Theologia pro cuiusque hominis officio, & dignitate, excellentiorem, imo multos spiritus designari ad custodiam, merito credimus, matri Dei, & nostræ, quæ & publico, ad uocatæ, munere donata est pro omnibus hominibus, Gabrielem Archangelum designatum fuisse custodem: nec eum solũ, sed alios plures ad ministros spiritus, vt insinuauit Illefonsus, & asseruit Anselmus lib. de excellentia Virginis capite tertio, qui eam semper protegerent, & custodirent.

Gabriel, & multi alij designati sunt Virginis custodes. Illefonsus. Anselmus. Nomina Iudæis infantibus octauo die imponebantur.

10 NOMEN. *AVCTOR*. Quamuis circa nominum impositionem, quæ maribus imponebatur, quis ritus apud Iudæos seruaretur, nouerimus, octauo nempe die solita imponi nomina, cũ ex lege circuncidebantur: at feminis quãdo imponeretur dubium est, num octauus dies esset designatus, vt apud Romanos consuetum fuit, auctore Plutharcho in problematibus Romanis, cap. 102. Macrobio lib. 1. saturnal, cap. 16. vel dicimus, vt apud Græcos; vel certe tunc apud Iudæos nomen feminis imponebatur, cum loco circuncisionis legis naturalis eis applicabantur sacramenta; oblationes aliquæ, aut fides parentum: aut fortasse, sicut maribus post septem dies immunditię, die octauo, quo circuncidebantur, nomen imponebatur, sic post duas hebdomadas, quibus immunda manebat mater iuxta ritum fluxus menstrui, vt dicitur Leuitici 12. 5. ipsis feminis. Nostræ vero infanti à beata eius matre Anna inditum nomen, disertis verbis affirmant Gregorius Nyssenus, Simeon Metaphrastes, & Nicephorus, iam iam referendi.

Nomina quo die imponerentur feminis. Nominum imponendorum dies octauus Romanis. Plutharch. Macrobius. Decimus Græcis. Anna imposuit nomẽ infãtis suæ. Nyssenus. Simeon Metaph. Nicephor.

11 MARIA. AMBROSIVS lib. de institutione Virginis, cap. 5. Speciale Maria Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo. Dictæ sunt, & ante Mariæ multæ, nam, & Maria soror Aaron dicta fuit, sed illa Maria amaritudo maris vocabatur. Venit ergo Dominus in amaritudinem humanæ fragilitatis, vt conditionis amaritudo dulcesceret verbis cælestis suauitate, & gra-

Mariæ nominis varia, ethymolo. & interpretationes.

tia temperata. GREGORIVS Nyssenus Episcopus, oratione in Natiuitate Domini. Quamobrem cum voti compos effecta Anna filiam suscepisset, eam vocauit Mariam: vt ipso etiam nomine testaretur acceptum munus à Deo. EPIPHANIVS sermone de laudibus Virginis. Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam spē: peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursum nomen illud Maria interpretatur Mirrha maris, mirrham vero dicet aliquis, quod ego etiam aio, de immortalitate, eo quod paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est in mundo; mare autem dicet vniuersum mundum, cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum. Rursum itaque præclare puellæ Mariæ nomen interpretatur illustrata, vtpote, quæ illustrata sit à filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terræ, credentes Trinitati illuminauerit. HYERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Concepit ergo Anna; & peperit filiam, & iuxta mandatum Angelicum parentes vocabant nomen eius, Mariam. Et lib. de nominibus Hebraicis super Exodum. Maria illuminatrix mea, vel illuminans eos, aut smirna maris, vel stella maris. Et in Psalm. 18. In sole posuit tabernaculum suū, in sole, in vtero sanctæ Mariæ Virginis, Maria interpretatur stella maris; lumen solis magis lucet, quam stellarum. Sol iustitiæ Dominus, vt ait Propheta: Orietur vobis sol iustitiæ, quod est Christus, illuminauit sol iste stellam, idest, Mariam, vt esset sicut sol, ideo posuit tabernaculum suum in sole, quando corpus assumpsit ex vtero suo. PETRVS Chrisologus Archiepiscopu Rauennates, sermone 142. Ante causam dignitas Virginis annunciatur ex nomine, nam Maria Hebræo sermone, Latine Domina nuncupatur: vocat ergo Angelus Dominā, vt dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & impetrauit auctoritas. Et sermone. 146. Maria mater vocatur, & quando non Maria mater? Congregationes, inquit, aquarum appellauit Maria, nonne hæc exeuntem po-

Nyssenus. Epiphanius. Hieronymus. Petrus Chrisologus.

pulum de Ægypto concepit vno vtero, vt emergeret cælestis in nouam creaturā renata progenies? Iuxta illud Apostoli: Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: & vt semper Maria humanæ præuia sit salutis, populum, quem vnda generatrix emisit in lucem, ipsa iure præcessit in cantico: Maria, inquit, soror Aaron sumens timpanum in manu sua, dixit: cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Nomen hoc prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare; hoc virginitatis insigne, hoc pudicitię decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis: merito ergo matris Christi nomen est hoc maternum.

Eucherius. EVCHERIVS Lugdunensis Episcopus, lib. 2. instructionum. Maria illuminata, siue stella maris, genuit enim mundi lumen: sed sermone Syro Domina.

Isidorus. ISIDORVS Archiepiscopus Hispalensis lib. 7. Etimologiarum cap. 10. Maria illuminatrix, siue stella maris, genuit enim lumen mundi: sermone autem Syro Maria Domina nuncupatur, & pulchre, quia Dominum genuit.

Damascen. IOANNES Damascenus lib. 4. fidei, cap. 15. Parit ergo gratia, (Anna enim hoc interpretatur) Dominam, quod profecto indicat Mariæ nomen, nam reuera Domina facta est omnium creaturarum, cum conditoris omnium effecta est mater.

Idiota. IDIOTA lib. contemplationum de Virgine Maria, cap. 5. Vocabitur tibi nomē nouum, ò beatissima Virgo Maria, quod os Domini, scilicet, filius Dei, qui est os Patris, per Angelum nominauit, videlicet, gratia plena: dedit enim tibi Virgini, Maria, tota super sancta Trinitas nomen, quod post nomen super benedicti filij tui, est super omne nomen, vt in nomine tuo omne genu flectatur, vti manifesto patet, cælestiū, terrestriū, & infernorum: & omnis lingua confiteatur huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem. Non est in vllo alio nomine, post nomen super benedicti filij tui, tam potens adiutorium, nec est vllum aliud nomen datum sub cælo hominibus post dulce nomen IESV, ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia super omnia sanctorum

rum

rum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit. Et paulo inferius, Tanta est virtus tui sacratissimi nominis, ô superbenedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani: ideo scribitur, lucerna Domini spiraculum hominis, qui inuestigat omnia secreta mentis. Sic etiam dicere tibi possumus, lucerna Dominæ, idest, Mariæ: quę doctrix, & magistra maris interpretaris, spiraculum hominis, quia peccator in te respirat in spe veniæ, & gratiæ, quæ inuestigat, idest, inuestigare facit: omnia secreta mentis, idest, abscondita cordis. BEDA lib. 1. in Lucam cap. 3. Maria Hebraice stella maris, Syriace vero Domina vocatur, & merito, quia & totius mundi Dominum, & lucem seculis meruit generare perennem. SYMEON Metaphrastres, in oratione de vita, & dormitione Deiparæ, eadem, quæ Gregor. Nyssenus. BERNARDVS homil. 2. super Missus est. Loquamur pauca, & super hoc nomine, Maria, quod interpretatum, maris stella dicitur, & matri Virgini valde conuenienter aptatur, ipsa namque aptissime syderi comparatur, quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturiit filium: nec syderi radius suam minuit claritatem, nec virgini suam filius integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor, & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora: fouet virtutes, excoquit vitia: ipsa inquã est præclara, & eximia stella, super hoc mare magnum, & spaciosum necessario subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. Et sermone in Natiuitate Beatæ Mariæ. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? tolle Mariam, hanc maris stellam, maris vtique magni, & spaciosi, quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus, Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius,

Beda.

Symeon.

Bernardus

Nicephor qui totum nos habere voluit per Mariam. NICEPHORVS libro 1. historiæ Ecclesiastic. capite 7. sed enim diuino motu ad eam, quam petierat, gratiam, Anna confirmata, atque roborata, postquam puella è maternis prodiit locis, Mariam eam statim nominauit, ænigmate latenter, acceptam gratiam declarans. *AVCTOR.* Nomen felicissimum Maria, quod Græci Mariam, Hebræi Miriam, appellant, varia indicat Deiparæ Virginis munia, & erga nos officia, vt ex sanctis patribus dedicisti, iusta varias eius nominis etimologias. Nam primum si deducatur ab Hebræa radice Marah, significat rebellionem, aut inobedientiam: quo indicatur naturam humanam ob peccatum rebellem, & inobedientem, ita mollitam, & obedientem redditam in Virgine, vt allexerit filium Dei, vt reconciliaretur cum illa. Si vero deducatur à Marar, quod est amarescere, significat amarum mare, nam Iam, Hebræis mare est, ea ratione, quam insinuauit Ambrosius. Tertio posset deriuari à Mor, mirrha, & iam, mare, quasi mirrha maris, ob rationem Epiphanij. Quarto à Iarah, docere, proiicere, quasi dicas, doctrix maris, quod dirigat omnes, qui in hoc mari calamitoso nanigant, vt multi ex patribus dixerunt. Quinto, aut à Moreh pluuia maris, quod fuerit nubis illa optatissima, de qua dictum est, & nubes pluant iustum. Sexto præterea à sermone syro, qui tempore, quo nata est Virgo, erat Hebræis in vsu; quo Mare dominum, aut dominam significat, vt adnotauit etiam Hieronymus, Epistolâ 137. ad Marcellam, explicans dictionem Maranatha, vt ita sit compositum, ex syro, Mare, & Hebræo, Iam, idemque sit, quod Domina Maris, quo fuit significatum puellam illam totius mundi dominam, reginamque futuram, vtpote Matrem Domini, regisque vniuersi, quomodo ex patribus multi nomen hoc explicarunt. Septimo, vt primæ illius etymologiæ ab Ambrosio designatæ, Deus ex genere meo, rationem aliquam reddamus, fortasse possumus, dicere, nomen hoc compositum, ex Min præpositione; & nomine, Rehem cum affixo primæ personæ, quod

Auctor.

Mariæ nominis interpretationes varia eius officia declarant.

Ratio etimologiarũ nominis Maria.

quod matricem, vuluam, ventrem, aut vterum significat, & Dei nomine Iah, & sit nomen Merahmiiah, & per compendium, Miriah, ex ventre meo, vel ex vtero meo Deus, assumpsit videlicet humanam naturam. Demum viris in Hebraica simul, & Syra lingua peritis videtur, nomẽ hoc non esse compositum, sed simplex, quia bisyllabum est Miriam, nam Mem heematicum est, cum tres literæ thematis appareant, Riiam: est ergo thema, Ram, quod est, eminuit, excelluit, in quo cum media quiescat, inderiuato legitur, Miriam, & Syriace dicitur Mariam bisyllabũ, & est latine excelsa, sublimis, atque eminens, quod optime conuenit virgini, quæ super omnes euecta est creaturas.

AEthymologia verior.

Mariã bisyllabum.

12 VT LEGEM. MOSES in lib. Leuitici, cap. 12. 5. Mulier si suscepto semine feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ: cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, & tradet sacerdoti, qui offeret illa corã Domino, & orabit pro ea, & sic emundabitur à profluuio sanguinis. AVCTOR. Certissimum debet esse Annam hanc legem, sicut ceteras, pro sua pietate, obseruasse.

Moses.

Anna octogesimo die tẽplũ adiit.

Auctor.

DE BEATÆ MARIÆ oblatione, & eius in templo conuersatione. Cap. III.

1 ANNA Mariæ digna parens, cum suo lacte iam satis infantē aluisset, sæpeq; animaduertisset, tēpus adesse, quo vota sua oporteret adimpleri, id Ioachimo in memoriā reuocat, petitque Ierosolymam vt adeant, puellam Domino, vt promiserant, tradituri: assentit ille, & ad festum Encæniorum mense Nouembris celebrādum, profectionem parant. Ingressi viā, Ierosolymam tandem peruenere, atque 2 sacerdoti, qui tūc in tēplo rei Diuinæ præerat, puellam iam 3 tertium agentem annum, die Nouembris 4 vicesimo primo, cum oblationibus consuetis offerunt, voti sui rationem exponentes. Miratus ille in infantili ætate tā promptum animum se diuino cultui dedicandi, suscepit libenter oblatum donum, & iubens eam parentibus valedicere intra septa templi, in loco 5 virginibus custodiendis assignato, eam constituit. Erat enim inter ea domicilia, quæ sacerdotibus, & alijs templi ministris circum templum erant ad habitā-

dum

dum ædificata, sua domus, ex qua in sacram ædem facilis patebat aditus, his feminis separata, quæ diuino cultui, sacroque ministerio dedicatæ, ex templi reditibus alebantur, hic virgo mens consecratæ Deo puellæ mirum in modum sapientiæ, & virtutum vniuersarum ornamẽtis, vna cum ætate augebatur magis. Inerat ei à natura quidam innatus virtutis amor, qui quotidiana diuini amoris accessione crescebat in dies: quo fiebat vt iam tũ à teneris annis inciperet puellula, & corpus suũ exercere, & animum ad virtutem excolere. Nam quod esset docilis, perspicacis ingenij, ac discendi cupida, & lanam, linum, sericum, & bissum apparare, cæteraque consuere, quæ opus erant in templo sacerdotibus, facile edocta est; quin & literas Hebraicas breui didicit. Sic operi semper intenta, nullũ in ocio tempus, quod transigeret, relinquebat: eò potissimum quod cum humillima esset, ac modestissima, & præ verecundia minimè ad loquẽdum audax, pauca verba, eaq; grauia, ac necessaria loquebatur. Inde efficiebatur vt ad vacandum diuinarum scripturarum lectioni, earumque meditationi, nõ modicum illi tempus superesset. Quorum exercitiorum assiduitate, & ieiuniorum preterea

adiectione,

adiectione, ad diuinarum rerum contempla tionem nullo negocio mentem extollebat: in qua & frequenti 10 angelorum fruebatur alloquio: & arcana ei 11 reuelabantur mysteria: nec non 12 cibo aliquando comparato diuinitus alebatur. Ceterum hæc diuina munera copiosius illi á Deo tunc conferebátur, cum prope aram in 13 adytis, secretiori in tēpli 14 loco virginibus ad orandum constituto, ipsa considebat, quod erat asiduum valde. In hac vitę ratione nouē peractis annis: & vndecim, ex quo nata erat, confectos senio, octogenarios fere, 15 parētes amisit. Sic tam sanctorum patrum 16 vnigenita filia libera iam, quod sæpe facere definierat 17 in templo ipso, suam virginitatem, cuius erat amantissima, omnium 18 prima, libenter 19 his verbis Deo consecrat. Domine, inquit, offero tibi meam virginitatem. Itaque cęlestibus donis magis, magisque aucta quotidie, 20 ad secundam vsque ętatem in ea cōuersatione permansit.

Testi-

Testimonia.

ANNA. GREGORIVS Nazianzenus in tragedia de Christo patiente. *Nazianz.*

Simul atque nata sum, patris tui, vt arbitror,
Ex mente summa, me meus nutrit pater,
Non inter illos, quos colunt homines, lares,
Sed me sacratæ mater ædi destinat.

GREGORIVS Nissenus oratione de natiuitate Domini. Illam igitur, cum iam grandiuscula esset, nec vbere matris amplius indigeret, ducens ad templum Deo reddidit; & studiose promissum exoluit. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Cumque trium annorũ circulus volueretur, & ablactationis tempus cõpletum esset, ad templum Domini Virginem cum oblationibus adduxerunt. Igitur sacrificio secundum consuetudinem legis celebrato, & voto suo perfecto, Virginem intra septa templi cum aliis Virginibus ibidem educandam dimiserunt, ipsi vero domum regressi sunt. ANDREAS Cretensis in Encomio priori de dormitione Deiparæ. Cuius, si omnia vellem deinceps persequi, quomodo extiterit, aut concepta, aut nata sit, non inuenerim tempus, quod respondeat orationi; aut dicendi facultatem, quæ factis exæquetur, nisi quod præclara eius omnia, quæ narrantur, possunt summatim recenseri: Dico autem generis claritatem. Et infra. Deinde ad generandum aptitudinẽ, & ad eam progressionem, fascias, aduentum ad Dei templum, quomodo sit pulchrum munus Deo dedicatum. IOANNES Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 15. Editur partu in domo ouiles Ioachim, & adducitur in templũ, deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera omnis virtutis habitaculum facta est. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus, in Encomio Deiparæ quando adducta fuit in templum. Prompto, & alacri animo accedamus ad Deiparẽtem, & quæ in ea æconomice prius perfecta sunt diuina mysteria intueamur: quemadmodum à parentibus

Nissenus.

Maria infans in templo educatur.

Hierony.

And. Cret.

Damascen.

German.

hodie

hodie virgo sacratissima in templum Dei per eius sacerdotes adducitur, quemadmodum templum Domini animatum templo inanimato dedicatur, & inferius, Anna loquens Zachariæ. Hinc ergo, ait, eo deposito ablactato vota mea reddo Domino, quæ distinxerunt labia mea, & loquutum est os meum in afflictione; & ideo Virginum cateruas coegi cum lampadibus; conuocaui sacerdotes; congregaui cognatos meos, omnibus dicens, omnes mihi gratulemini, quod hodie, & mater, & productrix effecta sum, non regi terreno, meam offerens filiam, quoniam nec par quidem erat, sed Deo cælesti, & regi dedicatam. Accipe deinceps propheta meam à Deo datam filiam, & introductam planta in loco sanctuarij, in prompto Dei habitaculo, in domo exultationis, & lætitiæ, nihil curiose inquirens, donec, Deo qui eam hinc vocauit visum fuerit, quæ ad eam attinent ad finem deducere. GEORGIVS Archiepiscopus Nicomediæ in oratione de Dei parentis oblatione. Atque iam quidem hi, qui Virginem peperant, ad templi eam fores adducebant, angelis eam circumcirca stipantibus, & supermundanis virtutibus omnibus simul collætantibus. Nam & si ignorabant arcanum modum mysterij, vt serui tamen, iussu Domini seruiebant eius processui; & primum quidem, considerabant, videntes (vt qui sint naturæ intelligentis) eam esse preciosum vas virtutum, & ferre signa incorruptæ puritatis, & habere corpus procul remotum à vitiorum colluuie. Deinde autem iussui parentes munus implebant: tūc lampades luminis ingressum lætificabant, & omnia, quæ templo continebantur, conuertebantur ad lætitiam, ipsis, vt pote, inanimatis, simul cū angelis lætantibus. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Cum vero iam creuisset puella, vt non amplius haberet sugere mammillam, eam Deo tradidit, & promissum impleuit, & ad templum adduxit, sacerdotes autem interim quidem ad similitudinem Samuelis inter sanctos educabant puellam. NICEPHORVS lib. 1. histor. Eccles. cap. 7. Vt vero infans à lacte materno iam

Georg. Nico.

Simeō Met.

Niceph.

iam abhorruit,& mammam attingere noluit, promissio-nem mater adimplet,& in templum ascendens, iuxta votum eam Deo consecrat. AVCTOR. Satis est verisimile parentes virginis ad profectionem institutam opportunius tempus spectasse, post ablactatam puellam, nempe festum Encæniorum, seu dedicationis altaris, à Iuda Machabæo institutum. 1. Machabæorum 4. celebrandũ per dies octo, à quinta,& vicesima die mensis Casleu, qui respondet nostro Nouembri, nam & in hoc festo tribus ante annis sacrosamctam hanc infantem meruerunt, vt cap. 2. num. 1. diximus. Ad quod festum solennius celebrandũ, in gratiarum actionem, quod in illo tanto affecti fuissent beneficio, puellam admirandam in Encæniorum profestis, hoc est, quatuor ante diebus, vicesimo primo Nouẽbris, vt numero. 4. dicemus, cõsecraruntDeo, obtulerũtq; sacerdotibus. *Auctor.* *Maria oblata in festo encæniorũ.*

2 SACERDOTI. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus oratione de oblatione Deiparæ. Intueamur quemadmodũ propheta Zacharias eam sua manu accipit,& adducit in adyta, nihil ægre ferens, neq; dicens eius parentibus, nõ faciam hanc rem maxime nouam, neq; puellam introducam in sancta sanctorum, vt in eis habitet assidue, in quæ semel in anno iussus sum intrare: nihil tale dixit propheta Zacharias; sed vt qui præsciuisset futurum, quoniam erat propheta, eam expectans, sicuti qui post eum fuit Simeon, illius filium; eam is quoque excipit prompto,& alacri animo. GEORGIVS Archiepiscopus Nicomediæ, oratione de oblatione virginis. Postquam fuit introductum eius spacium, quod est vel cęlis ipsis latius, signum eorum dissolutionis quæ in templo fieri consueuerunt, eam statim viderunt, gloriam quidem sua sponte ad eam currere, se autem ea in dies priuare animaduerterunt. Tunc vero qui munus sacerdotale obibat Zacharias, dono prophetico inspiratus, virginis quidem aduentu est lætatus. Considerabat autem eius quoque animæ immensam pulchritudinem, quæ latebat in muliebri habitu: animaduertebat *Sacerdos suscipit puellam, Zacharias.* *Germ.* *Geor. Nicom.* *Zacharias suscipit.*

vero,

vero, intemeratam ferre noua, & aliena naturæ signa, etiã si ea erat, vt vnusquisque prædita. *AVCTOR*. Non est à ratione alienum Zachariam tunc functum officio suo, Virginem excepisse: vel certe, quod Elisabetham puellæ sacrosanctæ consobrinam vxorem haberet, inuitatus fuit ad illud munus obeundum cum alijs cognatis. Zachariam vero summum fuisse Põtificem, innuit Germanus, & ante ipsum Ambrosius super Lucam, sed tamen dũ Lucas primo, cap. cum dicit, fuisse de vice Abia; manifeste nos docet, vnum fuisse ex minoribus sacerdotibus, qui in ordine vicis suæ munere sacerdotij fungeretur. Nam Summus Pontifex, hoc anno, quo oblata est Deipara idẽ ipse erat alienigena Symon Boethi filius, & Herodis socer, sub quo natam diximus cap. 3. num. 1. Sed de hoc disserit luculentius P. Magister Salmeron in 2. tomo cõmentariorum in euangelia, tract. 33.

Auctor. Zacharias susceptor oblatę puellæ. Zacharias non Sũmus Pontifex. Ambro. Germ. Lucas. Symi Boethi Summus Põtifex. Salmeron.

3 TERTIVM EVODIVS Petri in Antiochena Ecclesia successor, in suis Commentarijs, & in Epistola dicta. Phós, hoc est lumen, apud Nicephorum lib. 2. c. 3. Siquidem trimula cum esset, in templum est præsentata. HIERONYMVS in historia de ortu Virginis. Cúq; trium annorum circulus volueretur, & ablactationis tempus completum esset, ad templum Domini Virginem cũ oblationibus adduxerunt. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus orat. de oblatione Deiparæ. Puella autem valde lætans, & exultans ibat in templum Dei, tamquam in thalamo, cum ætatis quidem ageret annum tertium, esset vero perfecta diuina gratia, vt quæ esset prædestinata, & præcognita, & prælecta à Deo, & dispensatore vniuersorum ante mundi constitutionem. EPIPHANIVS presbyter Constantinopolitanus, in vita Virginis. Tertiò anno oblata est in templo. GEORGIVS Cedrenus in compendio historiæ. Ioachimus octogenarius decessit: Anna annos nata vnde octoginta vitam finiit: ab his in templum deducta Deigenitrix anno ætatis suæ tertio. NICEPHORVS lib. 1. histor. cap. 7. Promissionem mater adimplet, & in tẽplum ascendens iuxta votum, eam Deo consecrat. Tertiũ iam

Maria trimula oblata. Euodius. Hieron. Germ. Epiphanius præsbyter. Georg. Ced. Nicephor.

iam tum ætatis agentem annum. AVCTOR. Si historia Samuelis. 1. Regũ. 1. ad mentem veniat, qui mox vt à lacte remotus est, infantulus Deo oblatus est, ministraturus in templo; desinet quicumq; mirari, quod in tam tenera ętate virgo infans oblata sit: ita enim ferebat vsus, & illius voluntas, qui ab incunabulis, imo ex vtero matris Annæ, iam illam in filii sui matrem præparabat.

Auctor. Samuel infantulus oblatus.

4 VICESIMOPRIMO. CALENDARIVM Græcorum. Die vigesimoprimo Nouembris festum præsentationis Virginis. EMANVEL Imperator. in suis cõstitutionibus, titulo de feriis, cõstitutione prima; apud Theodorum Balsamonem, in nomocan. Photii, tit. 1. cap. 1. præcepit festum præsentationis die vicesimoprimo Nouembris ab omnibus celebrari. CALENDARIVM Romanum. Vndecimo Kalendas Decembris Ierosolymis præsentatio Beatæ Deigenitricis virginis Mariæ in templo. AVCTOR. Si hoc die oblata est in templo tertium annum agens, erat ergo infans duos annos nata, duos mẽses, & tredecim dies.

Maria oblata vicesimo primo Nouembris. Emanuel Imper. Calẽd. Græcorum. Calẽ. Rom. Auctor. Ætas virginis oblatæ.

5 VIRGINIBVS. MOSES in Exodo cap. 38. 8. Fecit & labrum ęneum cum basi sua, de speculis mulierũ, quæ excubabant in ostio tabernaculi. SEPTVAGINTA, de speculis ieiunantium, quæ ieiunauerũt apud ostia tabernaculi. CHALDAEVS paraphrastes. De speculis mulierũ, quæ veniebant, vt orarent in ostio tabernaculi fœderis. HIERONYMVS lib. 1. aduersus Iouinianũ. Et de speculis mulierũ ieiunantium, quasi de purissimis corporibus virginum luter in tabernaculo funditur. R. ABRAHAM in commentariis. Erant in Israel mulieres Deum colẽtes, quæ spreta mundi vanitate, sua specula Domino offerebant, quia non erant illis opus, quæ per singulos dies veniebant od ostium, vt orarent, & Dei audirẽt præcepta. LIBER. 1. Regum cap. 2. 22. Eli autem erat senex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filii sui vniuerso Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. IOSEPHVS lib. 5. Antiquit. c. 11. Eli Põtifici duo filii fuerunt,

Locus in tẽplo virginibus custodiẽdis. Moses. Septuaginta Chaldæus. Hierony. R. Abrahã. Liber. 1. Reg. Iosephus.

Ophnees, & Phineeses: hi contra omne ius, & fas omnia sibi licere volebant, mulierum insuper, religionis ergo cōfluentium ad sacrum locum, pudicitiam, vel vi, vel donis expugnabant. LIBER. 2. Machabeorum cap. 3. 20. Accinctæq; mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed & virgines, quæ conclusæ erant, percurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per fenestras adspiciebant. CLEMENS Romanus lib. 2. constitutionum Apostolicarum cap. 61. Draconissæ ad introitus feminarū, more nauticorum custodum, in templo scilicet, maneant: nam in tabernaculo testimonij eadem seruabatur forma cum populo Dei. AMBROSIVS lib. 1. de virginibus, statim post initium. Maria sumēs tympanum, pudore virgineo choros duxit. Sed considerate cuius illa speciem tunc gerebat, nonne ecclesiæ? quæ religiosos populi cætus, qui carmina diuina concinnarent, immaculato virgo spiritu copulauit: nam etiam templo Ierosolymis fuisse legimus virgines deputatas. Sed quid Apostolus dicit? hæc autem in figura contingebant illis, vt essent indicia futurorum. EPIPHANIVS in Ancoratu, ad medium. Sortibus missis, in singulis tribubus, in virgines in templo, eo quod consecrati essent in templo primogeniti filii, masculi, ac feminæ. *AVCTOR.* Nulla ratione licet dubitare fuisse in templo Ierosolymitano locum, in quo feminæ custodirentur, & habitarent, quæ se Dei seruituti addicebant, cultuique consecrabant, nam Lucæ. 2. 36. dicitur. Erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Asser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua; & hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. Propterea à Cyrillo Ierosolymitano Catechesi. 10. cōtinens, religiosissima, & monialis vocatur, quia habitabat in templo per annos octoginta quatuor, ex quo vidua facta est, vt Ambrosius explicat: vnde proculdubio, & Virginem nouit, & eius curam gesit. Quartoque

Liber 2. Machab. *Clemens Rom.* *Ambr.* *Epiphan.* *Auctor.* *Locum feminis in teplo designatum.* *Cyrillus Ierosol.* *Ambros.*

Regum 11. Iosaba soror Ochoziæ, & vxor Ioiadæ sacerdotis summi, habuit secum sex annis clam in domo Domini absconditum Ioam filium Ochoziæ, & nutricem eius. Et quarto Regum 23. Iosias destruxit ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci. Ex quibus, & ex descriptione templi Ierosolymitani, constat, circum templum varia fuisse domicilia superiora, & inferiora; in quibus sacerdotes, Leuitæ, Ianitores, & ceteri ministri, pro cuiusque munere, habitabant, seruabantq; ornamenta, & vasa diuino cultui dedicata. Erat etiam domus feminis, quæ suis erant addictæ ministeriis, præsertim ad custodiam ostiorum feminarum, per quę, separatæ à viris in locum similiter templi diuersum ingrediebantur, vt mox dicemus.

Anna prophetissa Mariam custodiuit in templo.

6 ALEBANTVR. EPIPHANIVS Presbyter Constantinopolitan. in vita virginis. Alebatur autem ex templo, donec propter ætatem, non deceret illam inter sacerdotes versari. *AVCTOR.* Satis est rationi cōsonum, alimenta virgini ex templi bonis reddita, vt iuxta Paulum 1. ad Cor. 9. 13. qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edant, & qui altari deseruiunt cum altari participent: quamuis, vt refert Cedrenus siqua re indiguisset, ab Elisabetha accipiebat.

Maria alebatur ex tēpli redditibus.
Epiph. presbyter.
Auctor.
Cedrenus.
Elisabeth virgini prouidebat.

7 MENS. BASILIVS oratione de humana Christi generatione. Quoniam ea tempestate, nulla puritate par Mariæ virginitas inter homines ad effectum sancti spiritus excipiendum est reperta; & illa iam desponsatione erat occupata, electa est beata virgo. AMBROSIVS lib. 2. de virginibus. Virgo erat non solum corpore; sed etiam mente, corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita, non hominem, sed Deum quærere: quid ego exequar ciborum parsimoniam? officiorum redun-

Basilius.
Ambros.

dantiam? alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse. Illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunii dies: etsi quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret: dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit, & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat.

Chrysost. IOANNES Chrysostomus homilia. 4. in Mathæum. Erat Virgo per cuncta mirabilis, cuius animam decebat ab omni esse tumultu cogitationum immunem, quæ tanti electa est ministra mysterii. Et homilia in Domini Hypopant. Beata Maria vltra omnem humanæ naturæ modum, modestiam, atque temperantiam excoluit; ac ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit. Quod siqua virgo alia maiori modestia, vel ampliori puritate, aut maturitate præter hanc ornata extitisset, illam sibi Dominus præ hac ipsa omnino in habitaculum elegisset.

Hieron. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Virgo autem Domini, cum ætatis processu, & virtutibus proficiebat, & iuxta Psalmistam pater & mater dereliquerunt eam, Dominus autem assumpsit eam: & epistola 22. ad Eustochium de custodia virginitatis. Propone tibi beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt mater Domini esse mereretur.

Sophronius. SOPHRONIVS serm. de Assumptione. Quippe beata, & gloriosa vitgo Maria, quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cælo sunt, virginibus, vt decenter in se posset suscipere diuinitatis ad mixtionem, salua vtraq; natura, tamen cum gratia repletur, fit preciosior meritis.

And. Cret. ANDREAS Cretensis in Encomio primo de dormitione virginis Deiparæ. Præclara eius omnia, quæ narrantur, possunt summatim recenseri: dico autem generis claritatem, deinde vero educationem; & quomodo crescens à puerili ætate peruenerit ad adolescentiam;

&

& quæcumque declarant perfectam illam conditionem, quibus, vt par est, pubescens augebatur, conuenienter his, quæ sunt supra naturam. Et in oratione de Annunciatione. Sed cum esset ab omni reprehensione remotissima, & ab hominum coniunctione, & consuetudine aliena, cumq; assiduo in rerum cælestium cõuersatione versaretur, ex ea salutatione non potuit non commoueri: etenim cum minime esset audax, & ad loquendũ velox acri prius rationis iudicio, quæ dicebantur, expendit. IOANNES Damascenus lib. 4. fidei, cap. 15. Deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni seculari vita, & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans; & sic virginem animam cũ corpore conseruans, vt decebat eã, quæ in sinu Deum susceptura esset: sanctus enim existẽs, in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, & templũ sanctũ, & admirabile altissimi Dei digne demõstratur. GEORGIVS Archiepiscopus Nicomediæ, orat. de oblat. Mariæ. Erant quidẽ mores ei incõparabiles, & erat eius vitæ agendæ ratio composita virtutibus: quã ob rem in dies procedente ætate, crescebant in ea dona spiritus. Et infra. O præmia miranda; ò signa insignia; ò augmentũ corporis accipiens summum gratiæ incrementũ; ò purã illam, & clarissimam animam, quæ in florenti corpore ostendit dotes, quæ naturã superant: quę eius imperfectione nõ fuit prohibita à virtutis perfectione: cuius cũ Deo coniunctio iuuenili ætate non fuit retardata. PETRVS Damianus serm. 1. de natiuit. Marię. Porrò duæ manus, quæ tenebant hinc, & inde sedile, actiuã, & contemplatiuã vitã significãt, quæ matrẽ Virginem propẽsiore diligẽtia ambierũt, adeò vt nec actio cõtẽplationem minueret, & contẽplatio nõ desereret actionem. Cõsidera quia ipsa est, quæ in contẽplatiuæ dignitatis superuecta dulcedinẽ, in ipsius Dei substatiã lucidiores infixit obtutus. Leua inquit, eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et sermone, 3. Sicut liliũ inter spinas, sic beatissima virgo Maria enituit inter filias: quæ de

Damasc.

Geor. Nico.

Damia.

spinosa propagine Iudæorum nata candescebat munditia virgineæ castitatis, in corpore: flammescebat autem ardore geminæ charitatis in mente: flagrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis. *AVCTOR.* Mens virginis, quæ nec culpis quamtumuis leuibus poterat pollui, nec affectibus incompositis affici, nec vllis cogitationibus distrahi, sed excellẽtiori modo, quam Adam in paradyso, & quam ipsi angeli antequam ad beatitudinem eueherentur, adhærebat Deo, quã sublimi cõtẽplatione, quoties volebat ad Deũ ascẽderet, quã heroicis actionibus virtutes augeret frequentissime, nemo est, qui possit, vel assequi cogitatione.

Auctor.

8. LANAM. EPIPHANIVS presbyter Constantinop. in vita virginis. Erat docilis, & amans doctrinam, & non solũ in sacris literis, sed etiã in lana, & lino, serico, & bysso laborabat: erat præterea in sapientia, & intelligẽtia super omnes illius seculi adolescentulas, cunctis admirationi, quæ & vere consuerit ea, quorum vsus in tẽplo erat sacerdotibus. ANSELMVS in vita virginis. Erat docilis, & amans doctrinam, & non solum in sacris literis, sed circa sacrã scripturã perseuerabat; opus vero manuũ eius erat, lanæ, lini, & serici. *AVCTOR.* Hic didicit quod in obsequio filij post exerceret; nam ex traditione patrum, ait Euthymius cap. 67. in 27. Mathæi, tunicam in consutilem Christi opus fuisse Dei matris à superioribus partibus contextam.

Maria laborabat manibus. Epiphan. presby. Anselm. Auctor. Euthym. Tunica inconsutilis filii opus Mariæ.

6 LITERAS. ORIGENES hom. 6. in Lucam: habebat Maria legis scientiam, & erat sancta, & prophetarũ vaticinia quotidiana meditatione cognouerat. AMBROSIVS lib. 2. de virginibus prope initium. Quin etiã tũ sibi minus sola videbatur, quã cũ sola esset: nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetæ. Et lib. 2. in Lucam, cap. de assensu Mariæ. Bene quæsiuit, quomodo fieret? legerat enim, quia virgo conciperet, nõ legerat quemadmodum virgo generaret: legerat, vt dixi, ecce virgo concipiet in vtero, quomodo

Literas Hebraicas didicit in tẽplo. Origen. Ambr. Scripturam sacram legebat.

autem conciperet, in euangelio primum angelus est loquutus. AVGVSTINVS serm. 9. de tempore. Reuolue Maria propheticam lectionem, neq; enim te scientia diuinorum potest præterire librorum; quæ ipsam plenitudinem paritura es prophetarum: recole in libro Isaiæ prophetæ, virginem, quam legisti, & gaude quia tu esse meruisti. ANDREAS Cretẽsis in oratione de Annunciatione. Consentaneum est eam, vt pote nobilem, & Dauidis filiam, diuinarum scripturarum non fuisse ignaram. BEDA super Lucam. Quia legerat, ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, sed quomodo id fieri posset non legerat, merito credula his, quæ legerat, scis citatur ab angelo quod in propheta non inuenit. GEORGIVS Cedrenus in cõpendio histor. literas hebraicas superstite etiã nũ Ioachimo didicit. ANSELMVS in vita virginis. Maria Deigenitrix didicit hebraicas literas, adhuc eius patre Ioachim viuẽte. BERNARDVS hom. 3. super Missus est. Vbi legeras beata virgo, sapientia carnis mors est, & curã carnis ne perfeceritis in desiderio? vbi legeras de virginibus, quia cantant canticum nouũ, quod nemo alius cantare potest, & sequũtur agnum, quocumq; ierit? vbi legeras laudatos esse, qui se castrauerunt propter regnũ cælorũ, vbi legeras in carne enim ambulantes, non secundũ carnẽ militamus. EPIPHANIVS presbyter Constantinopolitanus in vita virginis. Maria cum pater adhuc viueret, hebraicas literas didicit.

August. *Andreas Cretensis.* *Beda.* *Geor. Cedr.* *Anselmus.* *Bernardus.* *Epiphanius presbyter.*

10 ANGELORVM. AMBROSIVS 2. de virginibus. Quin etiam, tum sibi minus sola videbatur cum sola esset; nã quemadmodũ sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot prophetæ. Denique eam vbi reuisere solebat, inuenit, & angelum Maria, quasi viri specie mota, trepida, quasi non incognitum audito nomine recognouit: ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in angelo. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Quotidie ab angelis frequentabatur, quotidie diuina visione fruebatur, quæ eã à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat. ILLEFONSVS

Maria conseruatur ab angelis. *Ambros.* *Hierony.* *Illefonsus.*

 serm.

sermone.5.de Assumptione Mariæ. Si quis indagare voluerit, quam sancte, & iuste vixerit, soli Deo cognitum esse videtur, & Gabrieli archangelo, & angelis sibi collectantibus, secumque loquentibus. GEORGIVS Archiepiscopus Nicomediæ in oratione de Virginis oblatione. Quam ob rem in dies procedente ætate, crescebant in ea dona spiritus, & versabatur cum angelis. Cum ea vt solebat versante in adytis vidit Zacharias quẽdam sermocinantem, qui erat inusitata specie; erat autem, qui apparebat angelus. Quis vidit, quis audiuit talem ascensum corporis, quod in sanctis habitat, & stipatur ab angelis? vides paterno consilio spiritus in ea adumbrationem, & de ministerio angelorum dubitas?

Geor. Nico.

11 REVELABANTVR. GEORGIVS Archiepiscopus Nicomediæ in oratione de Virginis oblatione. Quam ob rem in dies procedente ætate, crescebant in ea dona spiritus, & versabatur cum angelis, nec erat diuinarum expers apparitionum. Cum ea, vt solebat versante in adytis, vidit Zacharias quemdam sermocinãtem, qui erat in vsitata specie, erat autem qui apparebat angelus: quam ob rem mente à se discedebat, & hæc apud se cogitabat. Quid est hoc quod videtur? angelorum huc aduentus solent esse ad solos sacerdotes, vt vel hortentur, vel dehortentur ab his, quæ sunt agenda. Neque vero sæpe apparent: ad mulierem autem omnino insolitus est eius, qui nunc cernitur, aduentus, idque cum ea sit tenera ætate, & iuuenis. GEORGIVS Cedrenus in compendio historiæ. Anno ætatis suæ duodecimo, media nocte cum precaretur, diuinitus editam ad se vocem audiuit. Paries filium meum. Neque hoc ex ea quisquam resciuit ante Christi in cælos ascensum. RVPERTVS lib.3. in Cãtica in c.4. Igitur oculi tui columbarũ, & hæc vera pulchritudo est, absq; eo quod intrinsecus latet, quod solus in te Deus videt, nobis autẽ quia inexpertũ, idcirco ineffabile, imo incogitabile est. Si enim quispiam dixit, & teste Deo, vel conscio, nõ mentiens dixit, raptum se fuisse in paradysum, siue vsque ad tertium cælum, ita vt

Reuelabantur Virgini mysteria.
Geor. Nico.
Geor. Cedr. incarnatio reuelata Mariæ.
Rupertus.

nesciat, siue in corpore, siue extra corpus raptus fuerit, & audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui: quanto magis tu Regina cælorum persæpe cælestibus interfuisti, quippe quam circumsteterunt obstetricum vice gloriam Deo concinentes Angeli, & inter hæc dedicisti, vel assequuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet. AVCTOR. Si ad mentem reuoces deuote lector illam sanctorum regulam, quam 5. cap. num. 5. referemus, nullum gratię donũ sanctorum cuiquam fuisse tributum, quod Deiparę Virgini non fuerit largius condonatum, facile adduceris, vt credas, & ab Angelis visitatã crebro, & cælestia edoctam arcana, & cibo diuinitus confecto aliquando sustentatam. *Auctor.* *Regula.*

12 CIBO. ANDREAS Cretensis in Encomio primo de dormitione Deiparæ. Dico autem generis claritatem, quomodo sit pulchrũ munus Deo dedicatum, & quomodo inadytis, tamquam in aureis vecta thalamis immortalem, non autem communem cibum sumebat. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus, in oratione de Virginis oblatione. Mansit autẽ de cetero in sanctis sanctorum, seu in templi penetralibus, ambrosiam nutrimentum, per Angelum accipiens vsque ad secundã ætatem. GEORGIVS Archiepiscopus Nicomediæ, in oratione de oblatione Mariæ. Cum ea, vt solebat, versante inadytis, vidit Zacharias quemdam sermocinantem, qui erat inusitata specie, & ei præbentem alimentum: erat autem qui apparebat Angelus. Est angelicus qui cernitur habitus, & alloquitur adolescentulam, forma incorporeus affert nutrimentum, tamquam corporibus cõueniens, & essentia materiæ expers, tradit mulieri canistrum, qui videtur materialis. Paulo post. Occultæ insident dubitationes, quidnam hoc fuerit, quid significaturus venerit Angelus? quod nam sit quod affertur nutrimentum? ex quonam penario sit hoc ex promptum? quisnam sit qui hoc parauit? quænam manus hunc panem fecit? angelorum non est parare, quod conueniat corporis necessitatibus, nam & si plurimi per eos sunt nutriti, apti tamen nutrimentum præpararunt, & per corpus incorporei conseruis inseruierunt; *Diuinitus fuit susten-tata Virgo.* *Andreas Cretensis.* *Germanus.* *Gregorius Nicomed.*

Danieli cibus ministratur ab angelo.

nam qui Danieli inseruit Angelus, poterat eius, qui iubebat, virtute, non per aliū, sed per se, quod iubebatur, implere: sed Abachum accepit intermedium, ne mores alieni, & spectaculum nimis magnum, & ab angelis paratum, quod non consueuit, alimentum terreret eum, qui alebatur. Porro autem coruus quoque qui inseruiebat Eliæ, non per se didicit locum, sed per angelum: quam autem afferebat prędam non aliunde, vt arbitror, afferebat, quam ex diuitibus pœnariis: non quod non posset is, qui iubebat ex tempore effectum præbere nutrimentū, quomodo enim cuius verbo producta sunt omnia? sed vsui cōueniens præberet ministerium: & illis quidē sic fuit dispensatū, hic autem nullo intermedio accedit angelus ad Virginē; resque est arcana & quā non potest assequi ratio, adolescentula talia dona est assequuta, vt incorporei cędant eius ministerio; quis vidit, quis audiuit talē ascensum corporis, quod in sanctis habitat, & stipatur ab angelis; & alimentū accipit ambrosiam? Nā animę quidem in corporei cōmunione, etiam si ad summam peruenerint impasibilitatem, vix frui potuerunt angelico nutrimēto, etiam si cibum, angelorū rationem, quæ falli, & errare nō potest scriptura tacite significat. Hic autem manus corporeæ, admirabile, quod conspectum fuit, alimentū accipiunt, & per ipsum immaculata anima impletur bonis. Tu autē ò homo, admirabilem, & nouam viuendi rationem in templo audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione, ea, quę sunt incōprehēsibilia. Vides inauditam naturę innouationem, & de his dubitas? Vides ipsum Dei verbū modo ineffabili habitasse in eius vtero, & cōtendis, fuerit ne alimentū materiale, an expers materiæ? Vides paterno consilio spiritus in ea adumbrationē, & de ministerio angelorū dubitas? Nihil est dubium ex his quæ sunt castissimæ Virginis: ex eius magnalibus, nihil est quod nō sit conueniens; omnia à veritate ipsa sunt confirmata. Oportebat enim diuinū tabernaculū augeri talibus ascensionibus: oportebat agnam immaculatam, tali excipi cōuiuio, talibus cibis exatiari, oportebatq́; nō vnum solum ei seruire angelum, sed decies mille millia eam stipare. Etenim

Eliæ etiam coruo intermedio.

Angelus per se ipsū cibis ministrat Virgini.

Facile minora credet Virgini præstita, qui creauit in ea verbum inhabitasse

nim quem illi minime possunt videre, ipsa mirandum immodum in vtero continuit. GEORGIVS Cedrenus in compendio historiæ. Maria in templo permanebat, atque ab angelo nutriebatur. *Gegorgius Cedrenus.*

13 IN ADYTIS. EVODIVS Antiochiæ, post Petrum Episcopus, in epistola quã lumen inscripsit, apud Nicephor. lib. 2. cap. 23. Siquidem trimula cum esset in templo est præsentata, & ibi in sanctis sanctorum traduxit annos vndecim. GREGORIVS Nisse. Episcopus, in oratione in diem Natalis Christi. Sacerdotes autẽ quãdiu paruula fuit ad Samuelis similitudinem in sanctis ædibus educarunt. ANDREAS Cretensis Ierosolymitanus Archiepiscopus, in Encomio 1. de dormitione Virginis. Quomodo in adytis, tamquã in aureis vecta thalami immortalem, non autem cõmunem cibum sumebat. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus, oratione de oblatione Mariæ: Vbi nõ sæpe, sed semel solum in anno sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos, illuc ea, vt ibi perpetuo maneret à suis adducitur parentibus, & vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis rem vmquam talem cognouit? Quis audiuit ex his, qui nunc sunt, aut vmquam fuerunt, feminam, quæ adduceretur in intima sancta sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in eis habitet, & versetur? An non hoc est euidens demonstratio noui, & alieni operis, quod in ea futurum erat postea? Non apertum signum? non clarum indicium? ostendant nobis qui in eam linguas mouent, & vident tamquam non videntes, vbi nam talia vmquam viderunt; puellam ex professo adduci, intra tertium velum, tamquam donum, in quod nulla cadit reprehensio, vt illic habitaret assiduo, eamque à diuitibus populi supplicantibus, & à virginibus deduci, cum lampadibus adduci, à sacerdotibus, & prophetis supinis manibus excipi? Quomodo ergo noluerunt intelligere? Quomodo videntes prima extremis, fidem non habuerunt? Quomodo cum quædam noua, & aliena in ea prius vidissent, dixerunt contra ea, quæ postea facta sunt? Non enim casu, & temere fuerunt, quæ

In adytis versabatur crebro.
Euodius.
Gregorius Nyssenus.
Andreas Cretensi.
Euodius.
Germanus.

prima

prima in ea euenerunt, sed fuerunt omnia vltimorum procemia. Dicant ergo nobis qui ex se ipsis sunt in rebus, inanibus sapientes, quomodo cum aliæ steriles pepererint nullius ex ipsis filia reponitur in sancta sanctorum, nec accepta fuit à Prophetis? Et infra. Intueamur quemadmodum propheta Zacharias: eam sua manu accipit, & adducit in adyta, nihil ægre ferens, neque dicens eius parentibus, nō faciam hanc rem maxime nouam, neque puellam introducam in sancta sanctorum, vt in eis habitet assidue, in quæ semel in anno visus sum intrare. Et inferius. Deinde puellam lætus tenens, eam prōpto, & alacri animo introducit in sancta sanctorum. Et inferius. Mansit autem de cetero in sancta sanctorum, seu in templi penetrabilibus. GEORGIVS Archiepiscopus Nicomediæ, in oratione de oblatione Mariæ. Age ergo nos quoque cum ea laborantes corporis onere deposito, mentis penna simul ad festum extollamur, & intra adyta progredi festinantem castissimam Virginem prompto, & alacri animo consequamur. Et infra. Cum ea, vt solebat, versante in adytis, vidit Zacharias, quēdam sermocinantem, qui erat inusitata specie; erat autem qui apparebat angelus. Et inferius. Oportebat non in sanctis sanctorum tabernaculis, sed in ipso cælo cæli, in prima ætate educari eam, quæ his conspecta est latior, & puritate antecelluit. SYMEON Metaphrastes in oratione de ortu, & dormitione Deiparæ. Sacerdotes autē interim quidem ad similitudinem Samuelis inter sanctos educabant puellam. NICEPHORVS lib. 1. historiæ, cap. 7. Et sacerdotes quidem tum eam tamquā sanctius quoddam donarium suscepere, & puellam in sacrario fouendam esse duxere ad antiqui illius Samuelis similitudinem: itaq; illa, vt res diuina; intacta, & sacrosancta, in templi sanctiori loco, & a lytis ipsis viuebat.

Gegorgius Nicomediæ

Symeon.

Nicephor.

14 LOCO. ORIGENES tractat. 26. in Mathæum. Venit ad nos quædam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, vbi virginibus quidem consistere licet, & orare Deum; experte autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere. BASILIVS in oratione de humana

Locus Virginis in tēplo.

Origenes.

Basilius.

no Christi generatione. Quod autem Maria perpetuo virgo remanserit, etiam Zachariæ declarat historia quædam, quæ ex traditione ad nos vsque peruenit. Zacharias enim Mariam post Domini conceptioné in virginum loco constituens. GREGORIVS Nyssenus, in oratione de sancta Christi natiuitate. Hic igitur Zacharias diuino numine ad occultorum cognitionem ductus, cum virginitatis mysterium in partu incorrupto non ignoraret, in sacro templo virginem matrem, à loco virginibus per legem assignato non semouet. Et infra. Locus autem ille erat spacium quodam inter templum, & altare. THEOPHYLACTVS in cap. 23. Mathæi. Habet ita narratio nobis tradita, quod locus quidá in templo fuerit, in quo stabant virgines. GEORGIVS Cedrenus in compendio historiæ. Erat in templo secretus locus aræ vicinus, vbi solæ virgines stare solebant, ac reliquæ sane populo dimisso domum suam redibant, Maria vero in templo permanebat. ANSELMVS in vita Virginis. Erat itaque locus distinctus in domo Domini, scilicet, in templo, prope læuam altaris, ibi stabant virgines solæ, & diuino officio per acto, ibant omnes ad propria, Maria vero perseuerabat, & custodiebat altare, & templum, sacerdotibus ministrans.

Greg. Nyssenus.

Theophyl.

Georg. Cedrenus.

Anselmus.

AVCTOR. Ex his, qae hactenus de Virginis Deiparæ oblatione adducta sunt, nonnulla dubia nó immerito eruditus quiuis arbitrabitur. Primumque, nouum esse videtur puellam consecrari, vt vitam in templo perpetuo degeret: cum de nulla simile quid scriptum reperiatur? Deinde qua ratione virginibus illis erat locus designatus intra templum, cum mulieribus numquá licuisset ingredi, nec tabernaculum, nec templum; imo nec ipsis virginibus. Vt ex loco Exodi 38. & 1. Regum 2. supra notauimus numer. 5. quæ semper ad ostium tabernaculi consistebant? Ex Iosepho etiam lib. 6. de bello Iudaico, cap. 6. fit manifestum, non tantum ad oraculum, sed nec ad templú, imo nec ad atrium interius, in quo erat ara holocaustomatum, accedere mulieribus licuisse; nam templum, ait, & aram cingebat, ex pulcherrimo saxo lorica gratissima, vsque ad cubitum

Auctor.

Num Maria in tépli adytis locú habuerit?

Dubium 1.

Dubium 2.

Mulieribus non licuit ingredi té plum, nec dum tabernaculum.

Iosephus.

cubitúm surgens, quæ populum à sacerdotibus segregabat: quem limitem, nec puris mulieribns transgredi licebat. Demun quomodo verisimile est, tam facile virgini patuisse oraculum, hoc est, intimam illam partem in accessam, inuiolatam, & inuisibilem omnibus, quæ sanctum sanctorum vocabatur, ad quam nec sacerdotibus ipsis semper ingredi licebat; nec dũ feminæ, vt asiduo in illa degeret?

Dubium 3.

At vero quia tantorum virorum auctoritas eludi non debet, age reddamus rationem eorum, quæ in dubium vocata sunt: & pro primi illius explicatione est aduertendũ, ex lege triplicẽ colligi hominis sanctificationem, oblationem, seu consecrationem. Nam in primis omne primogenitũ erat Domino consecratum pro primogenitis AEgyptiorũ: ita enim habetur Exod. 13. 2. Sanctifica mihi omne primogenitũ, quod aperit vuluã in filiis Israel, tam de hominibus, quã de iumentis, mea sunt enim omnia, & v. 12. Quidquid habueris masculini sexus cõsecrabis Domino, omne autẽ primogenitũ hominis de filiis tuis precio redimes: vt enim habetur Numer. 3. 47. singuli primogeniti quinque siclis redimebantur; pro his omnibus leuitæ sunt Domino cõsecrati, vt seruirent in tabernaculo, vt dicitur Num. 3. & 8. Itaq; hac lege tantũ primogeniti masculi erãt sanctificati Domino, qui deferebantur in tempũ quadragesimo die, vt fecit Virgo cũ obtulit puerũ Iesum, Luc. 2. & redimebãtur quinq; siclis. Vnde hac ratione nõ est oblata virgo Deipara in tẽplo. Alio præterea modo primogenitus debitor erat legi, sicut quiuis alius, vt videlicet, hostia pro illo daretur, sic habetur Leuitic. 12. Quamuis nõ tam oblatio fiebat pro redemptione partus, quã pro parientis purificatione. Tertius modus sanctificandi erat spontaneus, & ex voto, qui dupliciter contingebat, nam quidam sanctificabant Domino seipsos, sed tamen sub redemptione: sic habetur Leuit. 27. Homo qui votum fecerit, & spoponderit Domino animã suam sub æstimatione, dabit precium. Hoc modo tam viri, quam feminæ, se domino sub voto offerebant, vt ex capite illo constat, in quo designantur

Primi dubij solutio. Oblatio, seu consecratio triplex in lege. Primogenitorum consecratio.

Consecratio primogeniti pro matris purificatione.

Sanctificatio, seu consecratio ex voto ad tẽpus, vel in perpetuum.

tur præcia redemptionis pro masculo, & femina: altero modo fiebat cõsecratio, quando persona aliqua Deo consecrabatur, seu anathematizabatur, & huiusmodi numquã redimebatur, sed perpetuis diuini cultus vsibus dicata manebat, sic cap. illo 27. & 28. Id omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager non veniet, nec redimi poterit, quidquid semel fuerit consecratũ sanctum sanctorum erit Domino. Cocipiebatur autẽ hoc votum ex pacto, seu sub conditione, si mihi victoriam concesseris, vel si filium mihi donaueris, offeram tibi illum in perpetuum. Sic Iepte, Iudicum 11. v. 31. Vouit, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ: mihi que occurrerit reuertenti cũ pace à filiis Amon Domini erit, offeramque illum in holocaustum. Sic Anna Elcanæ vxor votum vouit dicens. 1. Reg. 1. 11. Domine exercituũ si respiciens videris afflictionẽ famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ; dederisque seruæ tuæ sexum virilẽ, dabo eũ Domino omnibus diebus vitæ eius. Iam ex his constat, ex lege potuisse Deo offerri, cõsecrari ve tã masculum, vt fecit Anna, quã feminam, alioquin Iepte, non se putaret obligatum, cũ occurrit ei vnica filia, vt eam Deo consecraret perpetuam seruaturã virginitatem, vt nõnulli existimant. Hoc ergo modo Ioachimus, & Anna vouerunt Domino si sobolem daret, se ei illam dicaturos, vt fecerunt: erat ergo votum secundum legẽ, & complementum eius erat debitũ, & ita adducta est in templũ, sicut Anna adduxit Samuelem in domum Domini in silo, & Iepte filiam suam, vt mihi quidem videtur, in eamdẽ domũ in silo, si vera est illa expositio, vbi ministrabat Domino: & hæc quidẽ pro primi dubij explicatione sint dicta.

Iepte votum

Solutio primi dubij.

Ioachimus & Anna, vouerunt Deo puellã.

Pro alterius enodatione notandũ est, siue tabernaculũ, seu templũ, vt cõstat ex 26. Exod. c. & 3. Reg. 6. Tria cõtinuisse; adytũ, seu oraculũ, seu sanctũ sanctorũ vbi sola erat arca; in quod solus summus sacerdos ingrediebatur solẽniter. 10. die Septẽbris, in festo expiationis ad orãdum pro peccatis populi cũ sanguine, eo modo, qui describitur Leui. 6. & refert Paulus ad Hebr. 9. Erat deinde ante adytum taber-

Secundi dubij solutio.

In templo tria erant. Sanctũ sanctorum.

Tabernaculum. tabernaculum, seu templum, in quo tria continebantur, ad austrum candelabrum aureum, ad aquilonem mensa panum propositionis, in medio erat altare aureum, seu altare thimiamatis, seu incensi, latum longumque vno cubitu, altum duobus; in quo summus Pontifex adolebat thymiama quotidie mane, & vespere, cum lucernas cōcinnabat, vt habetur Exodi 30. Sed in hoc tabernaculum, seu templum, vt ait Paulus ad Hebræ. 9. quotidie ingrediebantur sacerdotes sacrificia consummantes: nam prius sacrificabant in atrio duos agnos, vnum mane, alterum vespere; & consummabant hæc sacrificia oblatione incensi; quod officium obibant sacerdotes secundum ordinem vicis suæ, vt Zacharias faciebat pater Ioannis. Erat tertio ante templum, atrium quoddam amplum sub diuo, quod in duas erat diuisum partes, in atrium interius, vbi erat ara ampla, quæ dicitur altare holocausti, in qua fiebant sacrificia, & incendebantur holocausta: in quod atrium omnes sacerdotes, & leuitæ ingrediebantur: & atrium interius septo ab illo diuisum, in quo populus consistebat, purus modo, ac castus, & iuxta legis præscriptū obseruans, in quo, vt ait Iosephus, lib. 6. de bello Iudaico, cap. 6. Locus erat muro separatus mulieribus, à quo per quindecim gradus ascendebatur ad maiorem portam. Necessario, inquit Iosephus, proprius locus religionis causa mulieribus destinatus, muro discernebatur: altera quoque porta opus esse videbatur; contra primam vero secreta erat, ex aliis regionibus vna porta meridiana, & vna septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur. Per alias vero transire ad mulieres non licebat; sed nec suam portā interiecto muro transgredi licebat: patebat autem locus ille pariter indigenis, & hospitibus feminis religionis causa venientibus: occidua vero pars nullam portam habebat, sed perpetuus ibi murus erat extructus. Iam ex his poterit fieri manifestū, in eo loco, qui mulieribus erat designatus, fuisse etiam locum virginibus separatum ad portam illam septentrionalem, ad læuam altaris holocaustorum, quod erat in atrio interiori, quod similiter dici solet templum.

Atrium.

Iosephus.

In atrio interiori erat locus mulieribus.

Locus Virginibus designatus ad læuam altaris.

Ad tertium illud possemus respondere, cum solenniter res diuina ageretur, nulli licuisse ingredi sancta sanctorũ, præter quam summo sacerdoti, & transacto illo tempore licuisse, iis qui essent sanctitate insignes. Quod non obscure innuitur Leuitic. 16. v. 17. nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur, vt roget pro se, & pro domo sua, & pro vniuerso cætu Israel, donec egrediatur. Scimus etiam ex Egesippo. 5. lib. quem refert Eusebius lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 23. & Epiphanius hæres. 78. Soli Iacobo frarri Domini, ob summã sanctitatem, licuisse ingredi sancta sanctorum. Quid ergo mirũ si daretur in eis orandi locus illi, quæ in tenera ætate consecrata, cælestis cuiusdam, & vltra reliquorum sanctorum, sanctitatis specimen omnibus conspicuum, admirandumque præbebat; neque enim displicere poterat ei, cui adeo placuit, vt mater eius esse mereretur.

Nemini licebat ingredi sancta sanctorum, Pōtifice celebrante.

Sanctissimis viris licebat ingredi.

Egesippus.
Eusebius.
Epiphanius

15 PARENTES. EPIPHANIVS Presbyter Constantinopolitanus in vita Virginis. Dum in templo esset orbata parentibus est. GEORGIVS Cedrenus in compendio historiæ. Ioachimus octogenarius decessit, Anna annos nata vnde octoginta vitam finiit: ab his in templum deducta Dei genitrix, anno ætatis suæ tertio, vndecim annos nata parentes amisit: nec vero vmquam templo excedebat, sed si qua re opus haberet, ad solam Elisabetham ibat cognatam, & templo vicinam. AVCTOR. Si hæc ita se habent, ergo, vt cępimus adnotare, cap. 2. numer. 1. parentes Virginis eam genuerunt, iam sexagenarij, imo 66. aut 68. annorum, & cum 20. annis iam in matrimonio vixissent 46. aut 48. annos nati matrimonium contraxerunt. Quod vero indicat Cedrenus domum Elisabethæ fuisse Ierosolymis, cap. postea 6. num. 2. examinabimus.

Parentibus orbatur Maria.

Epiphanius prasbyt.

Georg. Cedrenus.

Auctor.

Virgo genita sexagesimo patris anno.

Cedrenus.

16 VNIGENITA. EVSEBIVS Emissenus homil. in Natiuitate Mariæ. Vnde manifestum beatissimam Virginem Mariam, quæ nobilissima heres parentibus suis in hereditatem successerat: siquidem nec fratres habuit, nec habuisse legitur, neminem de alia tribu coniu-

Eusebius.

gem accipere potuisse. THEOPHYLACTVS in cap.19.Ioan. Stabant autem iuxta crucem IESV, mater eius,& soror matris eius Maria vxor Cleophæ; quomodo soror matris eius diceretur Maria Clopæ, cũ non habuerit alium puerum? Clopas frater fuit Ioseph : & cum absque liberis esset mortuus Clopas, vt quidã dicunt, Ioseph eius vxorem duxit,& filios fratri peperit, quorum vna, & nunc commemoratur Maria, quæ soror dicitur Deiparæ, hoc est cognata: solet enim scriptura, cognatos dicere fratres, sicut & Isaac de Rebecca dicebat, soror mea est, quãuis vxor eius esset: ita & hoc loco soror Deiparæ dicitur, quæ Clopæ vxor habita est propter cognationem. EVTHYMIVS cap.17. in Ioannẽ. Stabant autẽ iuxta crucem Iesu mater eius,& soror matris eius Maria vxor Cleophæ. Atqui vnigenita erat Dei mater. Verum Ioseph, & Cleopas fratres erant: moris autẽ erat apud Hebræos fratrum quoque vxores appellare sorores, propter virorum fraternitatem: itaque eam; quæ pariter cum ea vxor erat, sororem nominauit; sed Ioseph quidem, & Cleophas viri earum, natura fratres erant, ipsæ autem eorum vxore affinitate sorores. *AVTOR*. Vulgo fertur opinio, quę quod nullum ex veteribus habuerit auctorem omni caret auctoritate, quamuis nonnulli ex posterioribus eam secuti fuerint. Vt Hugo de Sancto Victore, super Epistolam ad Galat. quæst.5. Haymo. lib.2. de Christianarum rerum memoria cap.3. & Strabus super 1. cap. Epistol. ad Galat. ex Ambrosio,& quidam alij. Ea vero est, Annam tribus viris coniunctam fuisse matrimonio, & ex singulis singulas Marias genuisse. Nam primũ tradita est Ioachimo, ex quo habuit Mariam Dei parentẽ : deinde illo vita functo nupsit Cleophæ,& ex eo cõcepit filiam alterã, quam similiter vocauit Mariã. Et hæc ex Alpheo, quẽ habuit coniugem, quatuor illos genuit filios, qui fratres Domini vocantur, Iacobũ, Iose, Simonẽ, & Iudã, dictaque est à patre Maria Cleophę: hoc etiã mortuo accepit Anna coniugẽ Salome, ex quo tertiam filiam habuit Mariam Salome, quæ ex Zebedæo duos habuit filios; Iacobum maiorem,& Ioannem

Euthymius *Autor.* *Num Maria fuerit vnigenita.* *Hugo.* *Haymo.* *Strabus.* *Opinio de triplici Annæ matrimonio.*

Euan-

Euangelistam. Probant autem hanc suam opinionem: ex Euangelio Ioannis cap. 19. dicentis: Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ; quæ eadem est mater Iacobi, vt asserit Hieronymus, lib. contra Heluidium, & in cap. 27. Mathæi, & in libro de scriptoribus Ecclesi. in Iacobo, & in 12. Mathæi. Nos ait, sicut in libro, quem contra Heluidium scripsimus continetur; fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus, matorteræ Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi, minoris, & Ioseph, & Iudæ. Idem asserunt Isidorus, lib. de vita & morte sanctorum patrum. Beda super 1. cap. Acto. & Anselmus. 1. Corint. 9. & ad Galat. 1. De tertia illa filia Maria Salome id colligunt, ex Marci 15. 4. & cap. 16. 1. vbi coniunguntur Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorum Zebedæi.

Maria Cleophæ soror putatur Dei genitricis. *Isidorus.* *Beda.* *Anselmus* *Maria Salome.*

Nihilominus probari nequit hæc sententia, non solum quod Annam virginemque dedeceat, sed quod ipsi repugnet veritati. Nam primum gratis hæc tertia Annæ fingitur filia, dicta Maria Salome, à viro, cui nupsit, nam Euangelista non vocat eam Mariam, sed Salome; nec vsquam vir eius nominis reperitur, quod tantum nomen sit feminæ à Salomone viri nomine deductum, sicut à Ioanne. Ioanna: nam Iosephus lib. 13. Antiq. cap. 19. Salome vxoris Aristobuli, & alterius sororis Herodis, libro 15. capite 3. mentionem fecit. Tum etiam, & alterius Salome matris septem Machabæorum, de quibus agitur 2. Machabeorum 7. honorifice meminit lib. de Machabæis: & similiter Egesippus, in libris de excidio Ierosolymitano; & obstetricis Salome, meminit Hippolytus Portuensis, apud Nicephorum. libro secundo, capit. 3. Itaque nullus est qui virum aliquem Salomen vocet; quod nomen tantum sit feminæ, sicut nullus merito vocauit aliquem virum Ioannam, aut Mariam, nisi per dedecus. Præterea, quia si hæc fuisset Mariæ Deiparæ soror, iure dici possent, Iacobus, & Ioannes fratres Domini, sicut vocantur filij Mariæ Cleophæ, & tamen nec in Euangelio, cum

Refellitur prædicta opinio. *Salome nō est viri nomen.* *Iosephus.* *Egesippus.* *Hippolytus.* *Niceephor.* *Altera ratio.* *Iacobus, et Ioannes nō dicti fratres Dñi.*

Mathæi 13. & Marci 6. numerantur, Christi fratres, horum vlla sit mentio, nec antiquorum vllus sic eos vocauit.

Ratio tertia. Addo his Ioannem Euangelistam, qui anno Traiani 3. & Christi 102. vt habet Eusebius in Chronico; obiit, annos *Eusebius.* natus 106. iuxta Hippolytum, apud Cedrenum in Ner- *Hippolytus* ua, quatuor annis ante Christum natum fuisse. Atqui cum *Salome quãdo genuerit Ioannem.* Virgo conceperit Dei filium quatuordecim annorum; ergo Maria Salome genuisset Ioannem quatuor annos ante, cum tamen esset illa minor, vtpote tertia filia Annæ. Si *Ioannis ætas.* vero Ioannes obiit 99. annorum; vt cómunis fert opinio, natus igitur est tertio post Christum anno: tertia ergo illa filia Annæ, vt minimum, nata est illo tertio post Virginẽ anno, vt intra duos annos habuerit tres filias, ex tribus viris, quod & dignitati eius repugnat, & rationi.

Mariã Cleophæ non fuisse Annæ filiam. Sed quod Maria Cleophæ non fuerit Annæ filia hac efficaci ratione probatur. Simon huius filius, vnus ex fratribus Domini, decimo Traiani anno, qui erat Christi 110. Martyrio est decoratus: auctore Eusebio in Chronico, an- *Eusebius.* nos natus 120. iuxta eumdem lib. 3. historiæ cap. 10. & 26. ergo 10. annos ante Christum est natus; cum Virgo *Symeõ 10. annis ante Christũ est natus.* igitur Christum genuerit annos nata 14. & Maria Cleophæ fuerit post illam orta, ergo genuisset Simonem, vt minimum, quatuor, aut quinque annorum; quod falsum esse omnino vides. Non ergo fuit soror vterina Deiparæ, sed cognatione: vt dixit Euthymius: quomodo loquitur *Euthym.* Hieronymus cum ceteris, qui phrasi scripturæ, vt Euan- *Hieronym.* gelistæ, sororem eius vocant: erat enim Cleopæ filia fratris Ioseph sponsi Virginis. Alias autem ex veterum hi- *Anna sterilis vsque ad senectã.* storia, nouimus Annam sterilem, vsque ad senilem ætatem permansisse, vt capite secundo, numero quinto retulimus: atque Virgine vndecim annos agente, cum Ioachimo obiisse, vt paulo ante comprobauimus numero præcedenti. Qui ergo fieri potest, vt duos alios viros ha- *Maria Cleophæ soror Mariæ Iesu cognatione.* buerit iam senex, & superstite adhuc Ioachimo? Relinquitur ergo certissimum vnã fuisse filiã Annæ Mariam Deiparam; eiusque matrem vnico Ioachimo solũ fuisse copulatam, non aliis: illam autem Mariam Cleophæ ea ratione

vocari

vocari sororem Virginis, qua & fillj eius vocantur fratres Domini, quia cognata, vt tractamus infra cap. 4. num. 11. & latius supra cap. 1. num. 11. non quod eam duxerit Ioseph, vt vult Theophylactus, sed quod fuerit vxor Clopæ fratris Ioseph, vt diximus, fratrum autem vxores sorores merito dici solitas sat probatum relinquimus.

17 IN TEMPLO. GREGORIVS Thaumaturgis, in homil. de Annunciatione. Numquid maneo adhuc Virgo? Numquid proditur dignitas virginitatis? Certe vbi proditio est, ibi fidelitas desideratur, & vbi fidelitas desideratur, ibi fides debetur. Debebat ergo Maria fidelitatem seruare, cui fidem debebat, & si non obseruaret, prodidisse fidem videretur. Sic ille, super verba: quomodo fiet istud. GREGORIVS Nissenus Episcopus, in oratione de humana Christi generatioue. Etenim naturæ legi illam subiicere; vt cuipiá in matrimonio collocata seruiret, absurdissimum videbatur: instar enim sacrilegij fuisset, si muneris Deo sacrati dominus homo fieret. Audi pudicam Virginis vocem; quomodo erit mihi istud, quoniam virum non cognosco: Angelus partú nunciat, at illa virginitati inhæret, & integritatem angelicæ demonstrationi anteponendam iudicat; nec angelo fidẽ non habet, nec à proposito recedit suo; interdixi, inquit, mihi consuetudinem viri, quomodo istud erit mihi, quoniam virũ non cognosco? Hæc Mariæ vix declarat ea, quæ ex historia incerti auctoris cómemoraui non esse penitus absurda. Si enim liberorum causa ducta fuisset à Ioseph, quomodo parituram angelo prenuncianti, se rem nouam, & alienam audire præsetulisset, cú ipsa quoque se obstrinxisset naturæ lege, vt aliquando mater esset? Verũ quia carnem Deo consecratam, tamquam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam, integramque præstare, id circo licet, inquit, angelus sis, licet à cælo venias, licet quod ostenditur naturam superat humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Tunc Pontifex publice denunciabat, vt virgines, quæ in templo constituebantur, & hoc

Maria in templo vouit virginitatem.

Gregorius Thaumat.

Gregor. Nissenus.

Historia incerti auctoris.

Hieronym.

ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptiis secundum morem gentis, & ætatis maturitatem operam darent; cui mandato cũ ceteræ pronæ paruissent, sola Virgo Maria Dñi se hoc facere nõ posse respondit, dicẽs, se quidem, & parentes suos Domini seruitio mancipasse, & insuper seipsam Domino virginitatem vouisse, quam numquam viro aliquo commixtionis more cognito, violare vellet. AVGVSTINVS lib. de sancta virginitate, c. 4. *Augustin.* Ipsa quoque virginitas eius gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse, præripuit, sed prinsquã conciperetur iam Deo dicatam, & de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtũ annuncianti Angelo Maria reddidit. Quomodo inquit, fiet istud, quoniã virum non cognosco, quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarũ mores, adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, nõ violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat: quamquã etiam si hoc solum dixisset; quomodo fiet istud, nec addidisset, quoniã virum nõ cognosco, non quæsisset vtique promissum sibi filium, quomodo femina paritura esset, si concubitura nupsisset: poterat, & virgo iuberi permanere, in qua Dei filius formã serui congruenti miraculo acciperet: sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola Virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicauit, cum adhuc quid esset conceptura nesciret, vt in terreno, mortalique corpore cælestis vitæ imitatio, voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruandi. Ita Christus nascendo de Virgine, quæ antequam nesciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctã approbare maluit, quam imperare. IOANNES Patriarcha Ierosolym. lib. de institut. Monachorum. c. 35. Vnde cum cætus professorum huius religionis audissent in Ierusalem iuuenculam vouisse Deo virginalem continentiam, confestim perpendit, quod aduentus filij Dei prope, & in ianuis erat. SIMEON Metaphrastes in oratione de

vita, & dormitione beatæ Mariæ. Cum vero creuisset, consilium ceperunt, quidnam sacro illi corpori facientes, in Deum non peccarent: eam enim legi naturæ subiungere, & eam dare in seruitutem ei, qui illam duceret, videbatur absurdissimum: existimatum est plane sacrilegium, si diuini donarij homo fieret dominus. Et infra. Quid autem Maria, audi puram vocem virginis: Angelus partum annunciat, & illa adhæret virginitati, non corrumpi iudicans esse præstantius, quam apparitionem Angeli: & neque potest Angelo non credere; neque discedit ab his, quæ statuerat: est inquit, mihi prohibita cũ viro consuetudo, quomodo enim erit mihi hoc, quoniam virum nõ cognosco? Hęc vox Mariæ est demonstratio eorum, quæ arcane, & occulte narrantur. Si vero eam Ioseph acceperat in matrimoniũ quẽadmodum ei visum est alienum, quod partum ei ante significaret, si omnino expectauerit fieri mater lege naturæ, quandoquidem carnem, quæ Deo fuerat consecrata, veluti quoddam sanctum donarium, intactum conseruari oportebat. ANSELMVS lib. de excellentia Virginis, cap. 4. Virgo itaque, & tenera, & delicata, regali stirpe progenita, & speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, vt corpus, & animam suam Deo perpetua virginitate consecraret. Sciebat enim, quod quanto sanctius eam seruaret, tanto sublimius ei, qui omnium castissimus, imo qui ipsa castitas est; appropinquaret: amplectendo itaque quod acceptabilius Deo esse cognouit, legem superauit. BERNARDVS homilia quarta, super Missus est. Cum sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? ARNOLDVS Abbas, tractatu de laudibus Virginis Mariæ. Credo secum pertractans, quomodo sine offensione legis, maneret in proposito castitatis, quia hanc elegerat, hanc Deo vouerat, & integritatem Spiritus, & carnis apud se demonstratio cõsecraret. Nullũ de Virginibus à Domino datum erat præceptũ, sed nec erat Apostolus, qui daret

Historia incerti Auctoris.

Anselmus.

Bernardus.

Arnoldus.

consilium: acceperat tamen hoc ipsum à Deo per Spiritum sanctum familiare mandatum, non ex responso angelico, sed ex inspiratione secreta; quæ ei, & affectum virginitatis intimauerat, & vsque ad necessitatem voti purũ desiderium alligauerat. NICEPHORVS lib. 1. historiæ, cap. 7. Postquam adoleuit, consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerunt, ne in sacrum eius corpus admittere, quicquam viderentur: sacrilegiũ namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in seruitutem coniugalis legis redigerent, quæ semel Deo dicata esset. *AVCTOR.* Haud obscure sancti patres significant beatissimã Virginẽ, dum esset in templo suã voto dicasse virginitatẽ. Gregor. & Simeon Metaphrastes, cum Nicephoro, dũ se referunt ad historiam incerti auctoris, quam existimo esse illam, quæ est de ortu Virginis. Et cum ipsis August. & alij, dum votum ante desponsationem dicũt emissum: si enim desponsata est à sacerdotibus, dum erat in templo, ergo in eo emisit votum illud; nisi velis dum infans esset, in parentum domo illud emisisse, quod ętati non conuenit infantili, erat enim duorum annorum, & duorum mensium: & 13. dierum cum in templo fuit oblata, vt dictum est supra num. 3.

Votum in templo emissum à Virgine.

18 PRIMA. BARTHOLOMAEVS Christi Apostolus apud Abdiam libro octauo historiæ Apostolicæ. Hæc Virgo cum execraretur omnẽ virum, & ipsa seruandæ virginitatis votum prima Deo Omnipotenti vouit. Primam autem ideo dixi, quia ex quo homo factus est ab initio seculi nulla hoc votum Deo obtulit. GREGORIVS referente Strabo. Lucæ primo. Vere gratia plena, quæ prima inter feminas virginitatis gloriosum munus Deo obtulit, quæ etiam ideo angelico visu, & alloquio meruit perfrui, quæ gratiæ totius auctorem mundo edidit. ILLEFONSVS sermo. 5. de Assumptione Mariæ. Maria optimam partem elegit, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit. BEDA lib. 1. in Lucam cap. tertio. Propositum suæ mentis reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se duce-

Prima omnium votũ emisit virginitatis Maria.

Bartholomæus.

Gregorius.

Illefonsus.

Beda.

re decreuisse; quæ quia prima feminarum tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ ceteris feminis beatitate meruit excellere. Et in homilia de Annunciatione. Vere gratia erat plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter feminas gloriosum Deo munus offerret. IOANNES Ierosolym. Episcopus lib. de institut. monachorũ. c.34. Sicut Elias primus inter homines studuit virginatem perpetuam sponte inchoare, ita postea B. Dei genitrix elegit prima feminarum propter Deum in virginitate perpetua viuere. RVPERTVS lib. 3. in Cantica, in illa verba, in vno crine colli. Iste est crinis colli humilis cogitatus mulieris, caput non habentis: caput inquam, id est, virũ, neque habentis, neque habere volentis; nam caput mulieris vir. Tu capite isto te indignam iudicasti, tu viro & omni seculo te indignam existimasti. Hoc scientes dicunt, & vere dicunt amici, quia votum egregium Deo prima vouisti, votum virginitatis, attamen sponsi nomen admisisti. HONORIVS lib. de æternis gaudiis. Hæc prima inter mulieres vouit Deo virginitatem, & ideo sola inter mulieres meruit virgo summæ prolis fœcunditatem. BERNARDVS sermone 4. de Assumptione. Si rerum precia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est, quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? immobile propositũ virginitatis, quod, nec angelo filium promittente aliquatenus titubauit. Et sermone signum magnum. De cetero sane, & virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoque propositi nouitas euidenter illustrat, quod videlicet in veritate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul, & spiritus sanctimonium vouit. Probat enim propositi inuiolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium angelo respondit, quomodo fiat istud quoniam virum non cognosco? *AVCTOR.* Indubitatum est, multos in veteri lege vitam cælibem elegisse, quorum aliquos retulit Ignatius Epistola ad Philadelphienses, nempe, Ie-

Ioannes Ierosolymit.

Rupertus.

Honorius.

Bernard.

Auctor.

Ambr. Hieron. Damasc. Ambr.

Prima Deipara vexilum virginitatis erexit.

Hierony.

ſum Naue, Melchiſedech, Eliſæum, Ieremiam: Eliam addit Amb. lib. 11. de virginibus: & tres pueros, Hieronymus ſuper Danielem, & Damaſcen. lib. 4. fidei, cap. 15. verum nullum conſtat voto ſuam conſecraſſe virginitatem ante Deiparam, vt vere de ea dixerit Ambro. lib. de inſtitutione virginis, cap. 5. Egregia Maria, quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ virginitatis pium Chriſto vexilum leuauit; & Hieronymus Epiſtola 74. ad Pammachium. Igitur Chriſtus, & virgo Maria vtriuſq; ſexus virginitatis dedicauere principia.

Bartholom.

Verba virginis vouentis.

Auctor.

Anſelm.

19 HIS VERBIS. BARTHOLOMAEVS apud Abdiam lib. 8. hiſt. Apoſtol. hæc ergo prima inter feminas hoc conſtituit in corde ſuo, vt diceret, Domine offero tibi virginitatem meam, cum hoc à nullo homine neq; verbo didiciſſet, nec exemplo, ad imitationem videlicet inuitata conſtituiſſet, vt virgo pro amore Dei ſpecialiter permaneret. *AVCTOR.* Si virginitatem ſuam Domino virgo conſecrauit, quam ſemper ab infantia dilexit, & ſeruare propoſuit, non eſt dubitandum, cum ageret cum Deo, quod erat illi frequentiſsimum, id quod habebat in votis, his, aut ſimilibus verbis Deo obtuliſſe, cõſecraſſeq;: quia, vt optime dixit Anſelmus lib. de excellẽtia beatæ virginis ca. 4. quem paulo ante retulimus; virgo tenera, & delicata, regali ſtirpe progenita, & ſpecioſiſsima, totum amorem ſuum, totum ſtudium ſuum ad hoc intendit, vt corpus, & animam Deo virginitate perpetua conſecraret, ſciebat enim quod quanto ſanctius eam ſeruabat, tanto ſublimius ei, qui omniũ caſtiſsimus, imo qui ipſa caſtitas eſt, appropinquaret.

Ad annum 14. ætatis permanſit virgo in tẽplo.

Euodius. Niceph. Hierony.

20 AD SECVNDAM. EVODIVS Antiochiæ poſt Petrum Epiſcopus, apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Si quidem trimula cum eſſet in templum eſt præſentata, & ibi in ſanctis ſanctorum traduxit annos vndecim. HIERONYMVS in hiſtoria de ortu Mariæ. Ad quartumdecimum annum vſque peruenit, vt nõ ſolum nihil de ea mali reprehenſione dignum confingere poſſent, ſed & boni omnes, qui eam nouerant, vitam, & conuerſationem

eius

eius admiratione dignam iudicarent. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopol. oratione de virginis oblatione. Mansit autem de cetero in sanctis sanctorum, seu in templi penetralibus, ambrosiam nutrimentum per angelum accipiens, vsque ad secundam ætaté. EPIPHANIVS Presbyter Constantinopolitanus in vita virginis. Tertio anno oblata est in templo, in quo annis vndecim, & sex mensibus fuit. NICEPHORVS lib. 1. historiæ Eccles. cap. 7. Postquam autem adoleuit consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerent, ne in sacrũ eius corpus admittere quicquam viderentur. *AVCTOR*. Hęc sequenti cap. elucidabũtur magis. Epiphanii vero sententiam annos virginis enumerantis ibidem numero 14. examinabimus.

Germanus. *Epiphanius presbyt.* *Nicephor.* *Auctor.*

(∵)

MARIA

MARIA VIRGO IOSE- pho despondetur. Cap. IIII.

CVM 1 ad nubilem ætatem peruenisset virgo, & sacerdotes, quibus curæ erat, de tradendo eam viro, inter se agerent, 2 opportunum nacti tempus, quod multi ad solennia Encæniorum festa celebranda, è variis vrbibus, præsertim ex Mariæ consanguineis, Ierosolymam aduentarent, de re cum illis conferunt, quod indecorum iam videretur formosam adolescentulã inter sacerdotes versari. 3 Definitum ergo est oportere matrimonio tradi puellam: 4 quo consilio ad eam delato, qua decuit animi summissione, id nulla ratione fieri posse, ingenue respondit: tum quod parentes se diuino cultui dedicassent, tum maxime quod vni Deo suam ipsa virginitatem consecrasset. Rem nouam, & omni consideratione dignam sacerdotes admirantes, 5 dubii hærent. Nam dignitatem virginis contẽplantes, cuius præclara virtus, & excellens sanctitas in omnium ore versabatur, diuinũ quiddam abditum in ea esse arbitrabantur, ac definito consilio illam ad id compellere

nou

non audebant, nec quid agerent sciebant: hinc enim quod Dei esset iure consecrationis, alteri dare, qui dominus illius fieret, sacrilegum esse iudicabant, inde autem obstabat cōsuetudo inueterata, qua nulla feminarū alienā esse à matrimonio permittebatur. Pręterea virginis debito putabant satisfactū, si sacerdoti cuipiam nuberet, quicum in diuino cultu perseueraret: at legi aduersari id aduertebant, quæ vnicam parentum heredē alii, quam ex eadem cum virgine familia, viro tradi prohibebat. Rē omni ex parte 6 dubiam ad Deum more solito deferunt consulturi, quid de sua virgine fieri vellet requirentes: responsum ex oraculo est, vt omnes, qui Ierosolymis tunc aderant ex familia Dauidis matrimonio apti conuenirent, atque vni illi desponderetur virgo, qui diuina sorte eligeretur, ea in sponsam futurus obseruantia, vt eam ne attingere quidem auderet, sed custodis tantum, ac patroni munere fungeretur. Interea Deū summis precibus obsecrabat ipsā, ne ab ea, in qua erat, mente, se dimoueri pateretur: sed admonita diuinitus itidē est, ne metueret, ipsam Deo præcipuæ curæ esse, tantum sacerdotum consiliis assentiret. Igitur cum Numini parentes conuenissent

quotquot

quotquot ex Dauidis familia liberi reperti sunt, nutu diuino obtigit 7 sors Iosepho 8 Bethlehemitæ, in fabre lignaria arte perito, & qui quod 10 prouecta ætate esset vir, pius, & iustus, & eiusdem cum virgine propositi, nam 11 castitatem coluerat semper, ad id munus obeundũ omniũ selectissimus diuinitus habitus est. Electo iam spõso, vnus è sacerdotibus, Mariam virginem apprehensis, 12 de more, vtriusque dextris, 13 in sponsam tradidit virgini Iosepho, mense 14 Decembri, inchoato per tres menses, anno ætatis virginis 15 decimoquarto; tantum 16 ad custodiam, & curam eius gerendam, non ad vsum coniugalem. 17 Inito cum omnium gratulatione tam casto cõiugio, cum singuli ad suas regrederentur vrbes post Encęnia celebrata, Iosephus sponsam cõsanguineis, qui summe illam, ob illustrem, quæ de ea erat, opinionẽ, obseruabant, 18 Nazaretham reducendam permisit. Vbi 19 in domo, quam ei, vt vnicæ heredi, parentes reliquerant, habitauit. Ipse vero 20 Bethlehemum ad suos profectus est, præstolaturus ibi opportunum tempus, de rebusq; suis dispositurus, paraturusq; ea, quæ ad celebrandas nuptias necessaria videbantur.

Testi-

Testimonia.

1 AD NVBILEM. GREGORIVS Nissenus Episcopus in oratione de humana Chisti generatione. Sacerdotes autem, quã-diu paruula fuit, ad Samuelis similitudinem in sanctis ædibus, educarunt: sed cum iam adolesceret, consulebant quidnam agerent de sacro illo corpore, ne Deum offenderent. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Itaque ad quartumdecimum annum vsque peruenit: tum Pontifex publice denunciabat, vt virgines, quæ in templo constituebantur, & hoc ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptiis secundum morem gentis, & ætatis maturitatem, operam darent. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita & dormitione sanctæ Mariæ. Cum vero creuisset puella consilium ceperunt (sacerdotes) quidnam sacro illi corpori facientes non peccarent in Deum. NICEPHORVS lib. 1. historiæ ecclesiasticæ cap. 7. Postquam autem adoleuit, consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerent, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur.

Ætas virginis nubilis. *Gregor. Nissenus.* *Hieronym.* *Simeon Metaphr.* *Nicephor.*

2 OPPORTVNVM. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Præcepit vt ad festiuitatem, quæ imminebat omnes ex Ierosolymis, & vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset quid de re tam dubia faciendum esset. *AVCTOR.* Cum certum omnibus sit mense Martio virgini lætum nucium de Christi cóceptu renunciatũ, vt suo loco explicabimus; & diuinus Euodius, quem infra num. 20. referemus, affirmat quarto post desponsationem mense, id ab Gabriele allatum, sequitur desponsam virginem mense Decembri; qui quartus est ante Martium; quo in mense cum Encæniorum festa celebrarentur, nam 25. die Nouembris incipiebant, perdurabantq; vsque ad tertiũ Decembris per octo dies, vt dicitur. 1. Machabeorum. 4. & 2. Machab. 1. & 10. non absque ratione animaduersum est sacerdotes occasionem

In festo Enceniorũ nuptui traditur virgo. *Hieron.* *Auctor.* *Euodius.* *Encæniorũ festi tẽpus.*

nactos

nictos hoc tempore fuisse tractandi cum Virginis consanguineis, qui ad festum accesserant, de eius desponsatione. Præterea enim per hosce dies confecta res creditur, in quibus, & ipsa virgo concepta est octauo Decembris vt cap. 2. nu. 3. diximus.

Sacerdotes definiunt nuptum tradi debere puellam.
Hieron.

3 DEFINITVM EST. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Tunc Pontifex publice denũciabat; vt virgines, quæ in templo constituebantur, & hoc ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptiis secundum morem gentis, & ætatis maturitatem, operam darent. *AVCTOR.* Et hoc quidem verisimile est, & propterea actum est de virgine Maria despondenda, nã & ad consequutionem eorum, quæ sequuntur, hæc, aut similia præcessisse, non est præter ratione historię, & gestorum veritatem.

Auctor.

Voto obiecto repudiat nuptias Maria.
Greg. Nyss.

4 QVO CONSILIO. GREGORIVS Nyssenus Episcopus in oratione de sancta Christi natiuitate. Interdixi, inquit, mihi consuetudinẽ viri, quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco. Hæc Marię vox declarat ea, quæ ex historia incerti auctoris commemoraui non esse penitus absurda, & cetera, vt supra cap. 3. n. 16.

Hieron.

HIERONYMVS in historia de ortu virginis. Cui mandato cum ceteræ pronæ paruissent, sola virgo Domini Maria hoc se facere nõ posse respondit, dicens se quidem & parentes suos Domini seruitio mancipasse, & insuper seipsam Domino virginitatem vouisse, quam numquam viro aliquo commixtionis more cognito violare vellet.

Simeon Metaphr.

SIMEON Metaphrastes in oratione de vita & dormitione Deiparæ. Est, inquit, mihi prohibita cum viro consuetudo, quomodo erit mihi hoc, quoniam virũ non cognosco. Hæc vox Mariæ, est demonstratio eorũ, quæ arcane, & occulte narrantur, & cetera, vt supra cap. 3. nu. 16.

Auctor.

AVCTOR. Iam tibi constat candide lector probari Gregorio & Metaphrastæ historiam illam incerti auctoris, qua dicitur virginẽ sacerdotibus suum votum explicuisse. qua de re iterum redibit sermo sequenti capite.

DVBII.

5 DVBII. GREGORIVS Nissenus Episcopus in oratione dicta. Etenim naturæ legi illam subiicere, vt cuipiam in matrimonio collocata seruiret, absurdißimum videbatur: instar enim sacrilegii fuisset, si muneris Deo sacrati Dñs homo fieret: legibus enim erat constitutum, vt maritus dominaretur vxori. Mulierem rursus inter sacerdotes in templo versari, atque in sanctis ædibus conspici, nec lex, nec grauitas permittebat. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Pontifex vero in angustia constitutus animi, cum nec contra scripturam, quæ dicit, vouete, & reddite, votum infringendum putaret, neque morem genti insuetum introducere auderet, præcipit vt ad festiuitatem, quæ imminebat, omnes ex Ierosolymis, & vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset quid de tam dubia re faciendū esset: quod cum fieret, omnibus in commune placuit Dominum super hanc rem esse consulēdum. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Consilium ceperunt, quidnam sacro illi corpori facientes, in Deum non peccarent: eam enim legi naturæ subiungere, & eam dare in seruitutem ei, qui illam duceret, videbatur absurdißimum: existimatum est plane sacrilegium, si diuini donarii homo fieret dominus, quandoquidem a lege est constitutum, vt maritus esset dominus coniugis: vt autem in templo versarentur mulieres cum sacerdotibus, & inter sanctos viderentur, nec lege permittebatur, nec res erat honesta. NICEPHORVS lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. Consilium sacerdotes agitarunt quid de ea statuerent, ne in sacrum eius corpus admittere quicquam viderentur: sacrilegium namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in seruitutē coniugalis legis redigerent, quæ simul Deo dicata esset: è diuerso autē, puellam eo ætatis flore in sacratiore templo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam, & decoram esse videbant. AVCTOR. Multa simul animaduersa sunt in virgine à sacerdotibus, quæ merito anxios tenebant, & solicitos; nam primum

Dubii ha-rum sacer-dotes.

Greg. Niss.

Hieronym.

Nicephorus

Auctor.

Rationes dubitandi sacerdotibus oblata. non poterant illi non fidem habere, quam omnes multis rationibus admirabantur: deinde nec satisfiebat Deo, cui consecrata erat puella, si nuberet sacerdoti, qui cum & ipsa poterat cultui diuino esse addicta, quia suam virginitatem dicarat: præterea viro tradi ad rem vxoriam erat prohibita: ex alia parte videbant contra consuetudinem populi, tum etiam perire genus parentum virginis, quæ vnica erat illis heres: hæc ergo omnia merito sacerdotes compulerunt, vt Deum consulerent.

Deus consulitur de cõiugio virginis. *Greg. Nisse.* *Hierony.* 6 DVBIAM. GREGORIVS Nyssenus in oratione de sancta Christi natiuitate. Deliberantes igitur in hanc sententiam diuinitus conuenerunt, vt eam connubii nomine cuipiam desponderent, qui tamen ad custodiam eius dumtaxat esset idoneus. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Et cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum de more accessit: nec mora, cunctis audientibus, de oraculo, & de propitiatorii loco, vox *Ex oraculo responsum est.* facta est, requirendum esse, cui virgo illa commendari, & desponsari deberet: cunctos de domo, & familia Dauid nuptui habiles, non coniugatos, virgas suas allaturos ad altare prædixit, & cuiuscumque post allationem virgula florem germinasset, & in eius cacumine spiritus Domini in specie columbæ consedisset, ipsum esse, cui virgo commendari, & desponsari deberet. Erat autem inter ceteros Ioseph, homo de domo, & familia Dauid, grandæuus: cunctis vero virgas suas, iuxta ordinem, deferentibus, solus ipse suam subtraxit: vnde cum nihil diuinæ voci consonum apparuisset, Pontifex iterato Deum consulendum putauit: proditus est itaq; Ioseph: cum enim virgam suam attulisset, & in cacumine eius columba de cælo veniens consedisset, liquido omnibus patuit ei virginem desponsandam fore. GER- *Germa.* MANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus in oratione de virginis oblatione. Tunc autem Dei nutu, & *Simeon Metaphr.* consilio sacerdotum de ea datur sors. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita, & dormitione Deiparæ.

Eis

Eis vero de his consultantibus, à Deo datur consilium, vt eã quidem dent viro nomine desponsationis, is autem talis esset, qui ad virginitatis aptus esset custodiam. NICEPHORVS lib. 1. historiæ cap. 7. sæpe itaq;, & multum re deliberata, diuinitus eis per inspirationem ostenditur, vt eam alicui, qui ad templum sedulo esset, sponsæ nomine committerent, eum vero talem esse debere, cui recte virginitatis custodia demandaretur. *Niceph.*

7 SORS IOSEPHO. GREGORIVS Nyssenus in oratione dicta. Ad hoc autem munus aptissimus inuẽtus est Ioseph ex eadẽ tribu & patria, qua erat virgo. EPIPHANIVS hæresi. 78. contra Antidicomarianitas. Primum ergo quando virgo tradebatur ipsi Ioseph sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire, non tradita est ipsi ad coniunctionem, si uere dicere oportet, sed propter legem quidem vir illius vocatus. Et in Ancoratu ad mediũ. Hic Ioseph senex existens secundum necessitatem sortibus missis in viduos, & non habentes vxores, in singulis tribubus, in virgines in templo, eo quod cõsecrati essent in tẽplo primogeniti filii masculi, & feminæ, accepit iuxta sortem sanctam virginem Mariam, ex qua secundum carnem natus est Dominus noster Iesus Christus. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Erat autem inter ceteros Ioseph homo de domo, & familia Dauid & cetera, vt supra nu. 6. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus, in oratione de oblatione Mariæ. Tunc autem Dei nutu, & consilio sacerdotum de ea datur fors, & sorte eligitur Ioseph iustus. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Inuentus est itaq; Ioseph, qualem quærebat ratio, ex eadem tribu, ex qua erat virgo. GEORGIVS Cedre. in cõpendio historiæ. Cum annũ. 14. attigisset, Iudęi in tẽplo eã deinde morari nõ sunt passi. Porro sacerdotes eius causa Deũ precati sunt. Ibi Põtifex duodecim senũ cognatorum Mariæ ferulas accepit, inque ara posuit, dicens, ostende Domine cui virgo hæc debeat copulari. Floruit autem virga Ioseph fabri, atque huic octogenario

Iosephus sorte diuina fit sponsus virginis. *Greg. Niss.* *Epiphan.* *Hieron.* *Germa.* *Simeon Metaphr.* *Georg. Ced.*

in matrimonium tradita est. NICEPHORVS lib. 1. capite. 7. Porro non alius ipso Ioseph visus est esse magis idoneus ad solorum sponsalium coniunctionem contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam contingeret; eiusdem enim tribus erant: insuper vero, & senio, & honestate morum iam pridem bonæ fidei existimationem consequutus esset. *AVCTOR*. Ne tibi præter rem videatur, signo visibili electum fuisse Iosephum à Deo: animaduerte in scriptura sacra sortis nomine accipi diuinam voluntatem signo externo declaratam, qua ostenditur, elegiturq; is, qui quæritur. Sic Nume. 17. floribus, & amigdalis germinantibus in virga electus est Aaron in sacerdotem: sic diuina sorte quæsitus est præuaricator Acham. Iosue 7. sic 1. Regum. 10. Sortibus electus est Saul; sic diuina sors cecidit super Mathiam Actuum 1. quam sortem appellasse scripturam ait Dionysius Areopagita, lib. de Ecclesiastica Hierarchia, capite. 5. diuini quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur qui esset diuina electione declaratus. Quod si huiusmodi sortes tam frequentes erant, ad ostendendos eos, qui vel ad munia aliqua eligebantur, vel vt punirentur; quod & in lege euangelica contigit aliquando, vt futuri Episcopi columbæ aduentu declararentur, quid mirum si ad eligendum eum, qui futurus erat sponsus virginis, custos, & patronus, & Deifilii nutritius, sorte diuina floreret virga, & columba in eius fastigio consideret?

Auctor. Sors quid sit in scriptura. Aaron electus virga germinãte, ac florente. Acham sorte inuẽtus. Saul sorte electus. Mathias etiã Dionys. Iosephus electus flore virgæ, & columbæ in virga concessu.

8 BETHLEMITAE. LVCAS c. 2. Ascendit Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatẽ Dauid, quæ vocatur Bethlehẽ, eo quod esset de domo, & familia Dauid. IVSTINVS Martyr dialogo cõtra Thriphonẽ. Cũ professionis primæ tẽpus venisset in Iudęa, tũ Quirino prætore, Iosephus Nazarethę oppido, vbi habitabat, Bethlehem, vnde erat, profitendi causa, venit. EPIPHANIVS hęresi. 79. cõtra Nazareos. Nã & ipse Dñs Iesus Nazarenus vocabatur, propterea quod in Nazareth ciuitate, quę nũc vicus est, educatus esset in domo Ioseph, natus

Ioseph Bethlehemites. Lucas. Iustinus. Epiphan.

natus vero secundum carnem in Bethlehem ex Maria virgine desponsa ipsi Ioseph, qui in eamdem ciuitatem transmigrauit, postquam à Bethlehem digressus in Galilæa habitauit. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Idcirco Iosephum & Mariam, qui etsi ciues essent Bethlehemitæ, ea terra dimissa (quod multis sæpe accidit, vt dimissis iis, quæ ipsos tulerunt, mallent in aliena habitare ciuitate) ipsi quoq; habitabant in Nazareth, compellebat in Bethlehem edictum. NICEPHORVS libro primo, capite 12. Cum Ioseph, simul cum sponsa Maria in patriam suam, vt ibi censeretur, iret. *Simeon.* *Niceph.*

9 FABRE LIGNARIA. MATHAEVS cap. 13. v. 55. Nonne hic est fabri filius? IVSTINVS Philosophus, & martyr in dialogo cum Triphone Iudæo post medium. Cumq; venisset Iesus ad Iordanẽ, vt tũc putabatur Iosephi materiarii fabri filius, ipse quoque obscurus, vt scripturæ prædixerant, & pro fabro habitus: solebat enim, dũ inter homines degeret, aratra fabricare, iugaq;, vt per has figuras iustitiam doceret, & re ipsa fugam ocii. AMBROSIVS sermone 16. in natali Domini. Nonne hic est filius Ioseph fabri, & mater eius Maria est? In hoc quoque aduerte mysterium. Faber pater dicitur Christi, & plane pater faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est, & plane faber, sed qui in diluuio Noe arcam fabricare disposuit; faber, inquam, est, qui ordinauit Moysi tabernaculum, arcam testamenri instituit, templum Salomonis erexit. Hic autem faber circa arbores curuo vtitur ferramento, sicut in Euangelio legimus, dicente Ioanne, iam securis ad radices arborum posita est. Hoc enim agit totum, vt vtiles cælestis fabricæ arbores in futuro componat, infructuosas vero euulsas radicitus flammarum consummat incendio. CHRYSOSTOMVS serm. 30. in 1. c. Epistolæ ad Romanos. Quandoquidem adeo erant inflati, & Paulus apud eos prædicaturus esset Iesum fabri lignarii putatum filium. *Ioseph Faber Lignarius.* *Matth.* *Iustinus.* *Ambros.* *Chrysost.*

Auctor. Imper. AVCTOR Imperfecti in Mathæum homilia prima. Sed vt per omnia filii paternæ natiuitatis paternum imitarentur exemplum, ideo & Maria desponsata erat fabro lignario, quoniam & Christus sponsus Ecclesiæ omnem salutem hominum, & omne opus suum per lignum crucis fuerat operaturus. Et homilia 32. in 19. Mathæi. Tamquam si ita inuidiose respondeant. Tu autem homo vilissimus fabri lignarii filius, quomodo destruis quod ille constituit.

Sozomenus. SOZOMEVS libro. 6. historiæ Ecclesiasticæ capite secundo. Cum Iulianus bellum esset contra Persas facturus, & minatus fuisset se post bellum ecclesias grauiter afflicturum, & petulanter insultaret filium fabri, nihil illis afferre posse subsidii, vir quem dixi modo, hanc de eo pronunciauit sententiam, iste fabri filius arcam ei ligneam ad mortem parat.

Iulianus insultat Iesũ filiũ fabri.

Theodor. THEODORETVS libro. 3. historiæ Ecclesiasticæ, capite. 23. Antiochiæ vir quidam optimus, qui longo tempore puerorum pedagogum ageret, familiaris erat, quippe eruditior quam vulgus pedagogorũ esse cõsueuisset principis doctorum temporis illius, Libanius hic fuit, ille apud Sophistas nobilis, qui impius, & in expectatione victoriæ Iuliani imaginans minas, quærit de pedagogo illo per derisionem nostrorum, quid faceret fabri filius? at ille repletus diuina gratia, quod paulopost euenturum esset, prædixit, respondit enim, sandapilam concinnare fabricatorem huius vniuersitatis, quem tu, inquit, sophista, per risum fabri filium nominasti. Nec multis postea diebus nuncium de morte furiosi Imperatoris, ipseque in sandapila allatus est; & iactantia minarum euanuit cum maxima gloria Dei.

Iocundũ dictum in Iulianum.

Iuliani mors prædicta.

Niceph. NICEPHORVS libro. 10. historiæ cap. 35. Cum Iulianus exercitum in Persas duceret, & Libanius illudens ad sanctum illum virum diceret, quidnam faceret fabri filius, respondens ille, ligneam, inquit, arcam ad mortem imperatoris tui elaborat, & parua intercessit mora cum mortuus ille adductus est.

Nũ Ioseph fuerit faber lignarius?

Auctor. AVCTOR. Quoniam

nomen

nomen fabri, quod Græce dicitur Tecton, generale est omnibus artificibus, ideo alii ex patribus Iosephum fabrum ferrarium fuisse putarunt, vt Hilarius canone 14. in Matthæum. In hoc notatur Dominus, inquit à suis, & quamquam & docendi prudentia, & operandi virtus admirationem commoueret, infidelitas tamen eorum, virtutem iudicii non recepit. Non enim credunt hæc in homine Deum agere, quin & patrem ipsius, matrem, fratresque nuncupant, & paternæ artis quodam opprobrio lacessunt; sed plane hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem seculi virtutem iudicio decoquentis, massamque formantis in omne opus vtilitatis humanæ. Et Petrus Chrysologus sermone 48. Dicebant, hic est fabri filius, sed cuius fabri filius non dicebant. Dicebant fabri filius vt arte vili ars lateret auctoris, & Deitatis nomen fabrile nomen absconderet. Christus erat fabri filius, sed illius, qui mundi fabricam fecit, non malleo, sed præcepto; qui elementorum membra, non ingenio, sed iussione compegit: qui massam seculi, auctoritate, non carbone conflauit; qui solem non terreno igne, sed supremo calore succendit, qui lunam tenebras, noctem firmauit & tempora: qui stellas variata luce distinxit; qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit ò homo tibi, vt opificem, operis æstimatione pensares. Et Leander Hispalensis Archiepiscopus, libello de institutione virginis ad Florentinam sororem capite 23. Sed & Iosephus, cui desponsata fuerat, cum esset iustus, erat tamen pauper, ita vt victum, & vestitum artificio quæreret, quippe faber ferrarius fuisse legitur. Isidorus in regula monachorum capite. 5. & Ioseph iustus, cuius virgo Maria desponsata extitit, faber ferrarius fuit. Item Beda libro. 2. in Marcum capite. 23. Non autem sine certi prouisione sacramenti Dominus in carne apparens faber, & fabri filius æstimari, ac dici voluit, quin potius etiam per hoc se eius ante secula filium esse docuit, qui fabricator omnium, in principio creauit cœlum & terram: nam & si humana non sunt

Fabri nomen generale est.

Ioseph fuisse fabrum ferrarium qui putent.

Hilarius.

Petrus Chrysologus.

Leander Hispalen.

Isidorus.

Beda.

comparanda diuinis, typus tamen integer est, quia pater Christi igne operatur, & spiritu, vnde & de ipso, tamquã de fabri filio præcursor suus ait, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne; qui in domo magna huius mundi diuersi generis vasa, fabricat, imo vasa iræ sui spiritus igne mollienda in misericordiæ vasa commutat. Deniq; Anselmus in Mathæ. 13. Paternæ artis opprobrio ait, eum lacessunt, qui re vera filius erat fabri, quem summus fabricator omnium genuerat, & qui homines igne decoquit, dum eos in Spiritu sancto, & igne baptizat: qui etiam diuersi generis vasa fabricat, imo vasa iræ spiritus igne molliendo in misericordiæ vasa cõmutat. Verum quia prior sententia, & dicentium auctoritate, & fidelium omnium applausu iam diu comprobata est, ea nobis & certior videtur, & dignior.

Anselm. *Fabrum lignariũ fuisse Iosephũ verius.*

10 PROVECTA. EPIPHANIVS hæresi. 51. Aut solum vir vocatus est (Ioseph) eo quod desponsatus fuit cum senex esset, annorum plus minus octoginta. Et hære. 78. contra Antidicomarianitas. Et post multos annos accipit Mariam viduus agens annum viduitatis suæ fortassis octogesimum, & vltra. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Erat autẽ inter ceteros Ioseph homo de domo, & familia Dauid grandeuus. GEORGIVS Cedre. Atque huic octogenario in matrimoniũ tradita est. NICEPHORVS lib. 1. historiæ cap. 4. Porro non alius ipso Iosepho visus est magis idoneus ad solorum sponsalium cõiunctionem contrahendã, quippe qui propinquitate generis eam cõtingeret, insuper vero, & senio, & honestate morum iam pridem bonæ fidei existimationem consecutus esset. AVCTOR. Si consideremus finem, propter quem datus est virgini sponsus Ioseph à sacerdotibus diuino inspirante spiritu, certi efficiemur, non adolescentem, qui & si pius, & iustus, nec tanta esset prudentia, aut virili fortitudine ad custodiendã illã, & necessaria acquirendum, insuper & ad tot itinera peragenda, & à tantis periculis illam cum puero Iesu liberandum: quæ omnia virum postulabant prudentem,

Iosephi ætas *Epiphan.* *Hierony.* *Georg. Ced.* *Niceph.* *Auctor.* *Ioseph non adolescens.*

expertium, & laborum patientem: & qui solari posset teneram Virginem, tamquam pater, & tueri tamquam vir: nec adeo senem fuisse, vt volunt Epiphanius, & Cedrenus in compendio historiæ, qui octuaginta annorum fuisse dicũt cum ad ea munera subeunda, & tot itinera cõficienda non fuisset accommodatus; esset ergo, si coniicere licet, vir à triginta, vsque ad quadraginta annos natus. *Nec senex Ioseph.*

11 CASTITATEM. HIERONYMVS lib. aduersus Heluidium. Tu dicis Mariam Virginem non permansisse, ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph Virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur: si enim in virum sanctum fornicatio nõ cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur, Mariæ autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus, relinquitur Virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. AVGVSTINVS sermo. 14. de Natiuitate Christi. Habe Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum: sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate seruata, sis autem & tu pater Christi cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis, seculis Christianis nulla sit Zelotypia. Et infra, gaude itaque Ioseph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis, ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris. BEDA lib. 2. in Marcum cap. 23. & in caput 2. Ioannis. Non defuere, qui Ioseph virum semper beatæ Virginis Mariæ putarint ex alia vxore genuisse eos, quos fratres domini scriptura appellat: alij maiore perfidia alios eum ex ipsa Maria post natum Dominũ generasse putarunt. Sed nos, fratres charissimi, absque vllius scrupulo quæstionis, scire, & confiteri oportet, non tantum beatam Dei genitricem, sed & beatissimum castitatis eius testem, atque custodem, Ioseph, ab omni prorsus actione coniugali permansisse immunem. PETRVS Damianus, Epistol. 11. ad Nicolaum Pontificem, cap. 4. *Ioseph castitatem colebat. Hieronym. Augustin. Beda. Damianus*

Numquid ignoras Dei filium adeo carnis elegisse munditiam, vt ne quidem de pudicitia coniugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali? & ne hoc sufficere videatur, vt tantummodo Virgo sit mater, Ecclesiæ fides est, vt fuerit virgo, & is, qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster, tantopere dilexit floridi pudoris integritaté, vt non modo de virgineo vtero nasceretur, sed etiam à nutritio virgine tractaretur, & hoc cum adhuc paruulus vagiret in cunis: à quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnet in cælis? ANSELMVS in 12. & 13. Mathæi, & ad Galat. 1. Fratres Domini non filij beatæ Mariæ iuxta Heluidium: nec filij Ioseph ex alia vxore, iuxta quosdã, sunt putandi: sed potius sunt filij illius Mariæ, quæ dicitur mater Iacobi minoris, & Iosæ, & Iudæ; fratres auté apud Iudæos solent dici cognati. RVPERTVS lib. 2. in Cantica. Pascitur inter lilia, quænam sunt lilia? Nisi amicus dilecti Ioseph, & ego dilecta, cui dicit, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptiis, & cohabitatione castissima. Et super cap. Mathæi 1. repetit verba Hieronymi. AVCTOR. Grauis quæstio est, tantum propter auctorum sacrorum varietatem, num Iosephus antequam duxisset Virginem, fuisset alteri coniunctus? Nam quamplurimi ita fuisse affirmant, vt quidem Mariæ virginitatem tueantur, contra hæreticos, quod in Euangelio fratres Domini, & sorores numerentur; qui si non sunt ex Maria Virgine, vt non sunt, debent esse Iosephi ex alia vxore. Veruntamen cum supra cap. 1. numer. 11. satis fuse ostenderimus hos fratres non potuisse filios esse Iosephi, quod mater eorum Maria Iacobi viueret vna cum Dei genitrice: nec probari posse duabus vxoribus cõiunctum fuisse Iosephum, simul viuentibus; & apud omnes sit exploratum, præter hos, nullum alium filium ab auctoribus tribui Iosepho, satis apertum debet esse, & constans, nulli vxori fuisse coniunctum, præterquam Virgini Deiparæ; ac propterea castitatem coluisse, vt iam relati patres dixerunt.

Anselmus.

Rupertus.

Auctor.

Iosephus antea nõ tantũ Virgini iunctus matrimonio

DE

12 DE MORE. TOBIAE 7. 15. & adprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens, Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscũ sit, & ipse coniũgat vos, impleatq; benedictionẽ suam in vobis; & accepta carta fecerunt conscriptionẽ coniugij. *AVCTOR.* Ex hoc loco, & ex aliarum gentiũ consuetudine, apud quas viri cũ vxoribus dextris acceptis nuptias inibãt vt apud Persas, & Medos: quod refert Arrianus, de gestis Alexandri, lib. 3. similiter & apud Assyrios, facile colligetur, & hunc morem in vsu fuisse Hebræis. *Tobias.* *Dextris data mos nuptias celebrandi.* *Auctor.*

13 IN SPONSAM. EVODIVS primus post Petrum Episcopus Antiochiæ, in commentariis suis, præcipue in Epistola, quam Phos inscripsit, relatus à Nicephoro li. 2. cap. 3. Deinde vero sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita. GREGORIVS Nyssenus in oratione de sancta Christi Natiuitate. Sacerdotum ergo consilio Ioseph, puellam sponsam accepit; quæ tamen coniunctio sponsalia non est egressa. CHRYSOSTOMVS in oratione de Annunciatione Mariæ. Audi, quod de hoc viro, & de Virgine dicat propheta, dabitur hic liber obsignatus viro sciẽti literas, idest, Virgo plane immaculata, à quo dabitur? à sacerdotibus vtique; cuinam viro? Fabro Ioseph. Et infra. Cum igitur sacerdotes casto Ioseph virginem despondissent, eam illi commendarunt, nuptiarum tempus expectantes, verum eam, ipse suscipiens integram conseruaturus. AVGVSTINVS sermone 14. de Natiuitate Domini. Turbatur Ioseph homo iustus, quod Mariam de templo Domini acceperat, & nõdum cognouerat, & grauidam sentiebat. Et infra. Gabriel dicit ad Ioseph. Virga Aarõ annis siccata plurimis, sine aqua reuixit, in templo floruit, nuces produxit, quos clausa sub tecto produxit. DAMASCENVS lib. 4. fidei, cap. 15. Quia ergo obseruabat virgines nostræ salutis inimicus propter Isaiæ prædictionẽ, dicentis: Ecce Virgo cõcipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatũ, nobiscũ Deus, vt deciperet eum, qui semper in sapientia gloriatur, ipse *Euodius.* *Iosephus sponsus tantum ad custodiam.* *Greg. Nyss.* *Chrysost.* *Augustin.* *Damascen.*

qui

qui deprehendit sapientes in astutia illorum; in desponsationem puellæ Ioseph à sacerdotibus traditur, vt nouus liber literas scienti: nam desponsatio custodia Virginis erat, & virgines obseruantis depulsio. GERMANVS Archiepiscopus Ierosolymitanus, in oratione de Virginis oblatione. Tunc autem Dei nutu, & consilio sacerdotum de ea datur sors, & sorte eligitur Ioseph iustus, & hanc sanctam Virginem diuino consilio, ex templo Dei ab eius accepit sacerdotibus, ad inescandum mali auctorem serpentem, ne tamquam Virginem aggrederetur puellam ab omni labe alienam, sed tamquam ad sponsam ad eam accederet. SIMEON Metaphrastes, in oratione de vita, & dormitione Mariæ. Inuentus est itaque Ioseph, qualẽ quærebat ratio, ex eadem tribu, ex qua erat Virgo, & ex consilio sacerdotum despondet Virginem: coniunctio autem processerat vsque ad desponsationẽ. EPIPHANIVS præsbyter Constantinopolitanus in vita Virginis. Alebatur autem ex templo, donec propter ætatem non deceret illam inter sacerdotes versari, & sponsum Ioseph virginitatis suæ custodem accepit.

Germanus. *Simeon Metaphraste.* *Epiphan.*

14 DECEMBRI. EVODIVS loco iam relato apud Nicephorum lib. 2. historiæ, cap. 3. Deinde vero sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita, apud quem cum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illud accepit nuncium. *AVCTOR.* Cum certum omnibus sit, quod etiam sequẽti capite ostendemus, mense Martio conceptum Christi Virgini à Gabriele annunciatum; & quartus ante Martium mẽsis sit December, sequitur hoc mense ex Euodij sententia desponsam Virginem Iosepho. Diuersum affirmat Epiphanius presbyter, in vita Virginis, nempe non hoc mense quarto ante conceptionem Christi, sed duos ante menses traditam Virginem Iosepho; asserit enim oblatã Virginem tertio anno, & in templo egisse annos vndecim, & sex menses, cum Iosepho deinceps sex menses, decimoquinto peperisse. Quæ si ita se habent, cum oblata fuerit die 21. Nouembris, eodem die compleuit vndecim annos, quos degit in tẽplo; insuper

Maria Decembri mẽse desponsata. *Euodius.* *Auctor.* *Ratio.* *Epiphan.*

insuper, & sex menses sequēti Maio, in quo velle videtur Epiphanius Virginem accepisse Iosephum; apud quem inquit, degisse menses alios sex, qui complentur 21. Nouembris: à quo die vsque ad 25. Martij, quo Virgo Christum concepit, subputantur quatuor menses, & quatuor dies, atque hoc die ex subputatione Epiphanij, nata erat Virgo annos 14. sex menses, & 17. dies, sicque non 14. sed 15. anno concepit, peperitque Christum anno 16. inchoato per tres menses, & 17. dies. Ex quo vides, nec sibi constare Epiphanium, dum dicit Virginem anno 15. peperisse Christum: ex eius enim supputatione sequitur potius concepisse 15. & peperisse 16. anno; nec Euodio, & aliis, qui dicunt annos 11. traduxisse in templo, & anno 14. Iosepho traditam; quo ipso anno 25. die Martij concepit, ergo sequenti 15. peperit. Verior ergo est sententia Euodij, quæ dicit quatuor menses ante denunciationem traditam fuisse Iosepho Deiparam.

Mense Maio desponsatā quis sentiat.

Refellitur.

15 DECIMOQVARTO. EVODIVS ibidem. Siquidem trimula cum esset in templo est præsentata, & ibi in sanctis sanctorum traduxit annos vndecim. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Itaque ad quartumdecimum annum peruenit. GERMANVS Archiepiscopus Constantinopolitanus, in oratione de oblatione Mariæ. Mansit autē de cetero in sanctis sanctorum, seu in templi penetralibus, vsque ad secundam ætatem. Tum Dei nutu, & consilio sacerdotum de ea datur, sors, & sorte eligitur Iosephus iustus. AVCTOR. Siquidem Virgo nata est octauo Septembris die, à quo vsque ad octauum Decembris inueniuntur integri tres mēses, sequitur desponsam Virginem, anno 14. per tres menses inchoato: & cum integrum complesset annum decimum quintum, ab eo die, quo concepta est, nēpe ab octauo Decembris: quo fortasse desponsata fuit Iosepho. Confirmat hoc, quod diximus numero. 2. in Encæniis actum esse de Virgine desponsanda.

Ætas Virginis desponsatæ.

Euodius.

Hieronym.

Germanus.

Auctor.

16 AD CVSTODIAM. EVODIVS vbi supra. Iosepho ad custodiam est tradita. ORIGENES homil.

Euodius.

Iosephus.

Origenes. homil. 6. in Lucam. Quare Deus cum semel Saluatorem iudicaret nasci ex Virgine, non elegit puellam, absque sponso, sed eam potissimum, quæ iam fuerat desponsata? & nisi fallor hæc causa est, debuit de ea Virgine nasci, quæ non solum sponsum haberet, sed vt Mathæus scribit, iam viro tradita fuerat; licet eam vir necdum nosset, ne turpitudinem Virginis habitus ipse monstraret, si virgo videretur vtero tumenti: vnde eleganter in cuiusdã Martyris Epi-

Ignatius. stola scriptum reperi, Ignatium dico Episcopum Antiochiæ, post Petrum secundum, qui in persequutione Romæ pugnauit ad bestias, principem seculi huius latuit virginitas Mariæ, latuit propter Ioseph, latuit propter nuptias, latuit quia habere virum putabatur. Et

Maria desponsata ob quas causas homilia prima, ex variis locis Mathæi. Quæ fuit necessitas, vt desponsata esset Maria Ioseph? nisi propterea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, & ille malignus fraudis commenta aduersus desponsatã Virginem nulla penitus inueniret: vel ideo fuerat desponsata Ioseph, vt nato infanti, vel ipsi Mariæ curam videretur gerere Ioseph, siue in AEgyptum transiens, siue inde denuo veniens. Et infra. Ioseph vir eius: virum eum appellauit contra Iudæorum prauitatem, vt aduersus Virginem non sæuirent: propterea, & desponsata fuit ipsi Ioseph, vt supradictum est, si enim non fuisset desponsata Ioseph, omnium bonorum increduli, & inimici Iudæi lapidibus eam occidissent.

Euseb. Emisenus. EVSEBIVS Emissenus sermone in vigilia Natalis Domini. Primum autem quærendum est, cur beata Maria desponsata fuerit? Multæ rationes reddi possunt: si enim virum non habuisset, nulla ei excusatio subuenire posset, vt quasi adultera non lapidaretur: melius ergo fuit, vt semper Virgo ad tempus non virgo putaretur, quam accusata secundum legem lapidaretur: indigebat præterea viri auxilio multis modis Virgo Maria, quia secundum Dei dispositionem in Betlehem paritura erat, & eam simul cum filio in AEgyptum fugere oportebat.

Basilius. BASILIVS de humana Christi generatione. Per desponsationem nuptiarum

rum initia expressa sunt; simul autem vt, & Ioseph domesticus puritatis Mariæ testis esset, & ne præterea calumniatoribus illa foret obnoxia, vt virginitatem commaculans sponsum habuit vitæ sanctæ custodem. Affertur, & alia rario à quodam ex antiquis, vt Mariæ virginitas seculi huius principem diabolum lateret, nupta Ioseph, fuit, vt nuptiarum nomine suspensus facile deciperetur: Virgines namque in primis obseruabat, è quibus vnam parituram ex propheta cognouerat, dicente: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. GREGORIVS Nyssenus, oratione de sancta Christi Natiuitate. Deliberantes igitur in hanc sententiam diuinitus conuenerunt, vt eam cō nubij nomine cuipiam desponderent, qui tamen ad custodiam eius dumtaxat esset idoneus, ad hoc autem munus aptissimus inuentus est Ioseph. AMBROSIVS lib. 1. in Lucam, cap. 1. Ea potissimum electa est, vt Dominum pareret, quæ erat desponsata viro. Cur auté non ante quam desponsaretur impleta est? Fortasse, ne diceretur, quod concepit ex adulterio; & bene vtrumque posuit scriptura, vt & desponsata esset, & virgo: Virgo vt expers virilis consortij videretur, desponsata ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelę videretur insigne præferre: maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quam de matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam. Infra. Quid autem Iudæis, quid Herodi possit ascribi, si natum viderentur ex adulterio persequuti? Quin etiā locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset, & delere iniuriā, & vindicare opprobriū, si non agnosceret sacramentum: quid quod etiam fides Mariæ verbis maior adsciscitur, & mēdacij causa remouetur. Videtur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta prægnās; causam auté mentiendi indespōsata habuit, desponsata nō habuit, cū coniugij præmiū, & gratia nuptiarum partus sit feminarum: non mediocris quoque causa est, vt virginitas Mariæ falleret principem mun-

Ignatius.

Greg. Nyss.

Ambrosius

di

di, qui cum desponsatam viro cerneret, partum nō potuit habere suspectum. Et libro de institutione virginis cap. 6. eadem refert. EPIPHANIVS hæresi 78. Primum quando Virgo tradebatur ipsi Ioseph, sortibus cogentibus, ipsam ad hoc venire, nó tradita est ipsi ad coniunctionem, si verum dicere oportet, sed propter legem quidem, vir ipsius vocatus, iuxta consequentiam vero, ex Iudæorū traditione ostenditur, quod non coniunctionis gratia ipsi tradebatur Virgo, sed quo conseruaretur in testimonium futurorum, quod non spuria dispensatio aductus in carne accessit, sed quæ testimonia haberet in veritate extra semen viri in Spiritu sancto dispensata in veritate. CHRISOSTOMVS homil. 4. in Mathæum. Cuius tandem rei gratia non antequam desponderetur Virgo concepit? Vt videlicet mysterium interim, quasi obumbratum lateret, & vt virgo omnem prorsus occasionem malignę suspicionis effugeret. AVCTOR IMPERFECTI in Mathæum, homil. 1. Ideo autem, & desponsata, & domi habita, vt despōsatio ipsa fidelis esset, & fornicationis opprobrium à matre repelleret, & virginitatis gratiam nasci turo Domino reseruaret: sic enim quia in domo sponsi peperit, infideles Iudæi dixerunt, nonne hic est IESVS filius Ioseph? Quanto magis si extra domū sponsi peperisset, dicturi fuerant, nonne, hic est filius meretricis: nam quemadmodum in ea, quæ in domo viri concepit intelligitur conceptio maritalis, sic in ea, quæ extra domum cōcipit est suspecta conceptio: magis ergo voluit Dominus, vt haberet mater eius maritalem suspicionem, quam fornicationis opprobrium pateretur. HIERONYMVS Mathæi 1. Quare non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, vt per generationem Ioseph origo Mariæ monstraretur: secundo, ne lapidaretur à Iudęis, vt adultera: Tertio, vt in AEgyptum fugiens, haberet solatium: Martyr IGNATIVS, etiam quartam addidit causam, vt partus, inquiens, eius celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de vxore generatum. Et libro aduersus Heluidium. Si cui autem scrupulus commouetur,

Epiphanius *Chrysosto.* *Auctor imperfecti.* *Hieronym.* *Ignatius.*

ueatur, quare desponsata, & nõ potius sine sponso, siue vt scriptura appellat, marito virgo cóceperit? Sciat triplicem fuisse rationé, primo, vt per genealogiã Ioseph, cui Maria cognata erat, origo quoq; Mariæ móstraretur. Secúdo, ne iuxta legé Moysi, vt adultera lapidaretur à populo. Tertio vt in AEgyptũ fugiens haberet solatium custodis, potius quã mariti. AVGVSTINVS lib. de sanct. virginit. c. 4. Despósata est viro iusto, nó violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Augustinus

DAMASCENVS lib. 4. fidei. c. 15. Quia ergo obseruabat virgines nostræ salutis inimicus in desponsationem puella Ioseph à sacerdotibus traditur, vt nouus liber literas sciéti, nã despósatio custodia. Virginis erat, & virgines obseruantis depulsio. Damascen.

GERMANVS Archiepiscop. Cóstantinopolitanus, in orat. de oblatione Mariæ. Hanc sanctã Virginem diuino consilio, ex téplo Dei ab eius accipit sacerdotibus, ad inescandũ mali auctoré serpentem, ne tamquã Virginé aggrederetur puellã. ab omni labe alienam, sed tamquã ad spósam ad eã accederet. Germanus.

BEDA lib. 1. in Lucam. c. 3. Multas ob causas saluator, non de simplici virgine, sed de sponsa voluit nasci: primo videlicet, vt per generationé Ioseph, Mariæ quoq; nasceretur origo: deinde ne velut adultera lapidaretur à Iudæis, mallens aliquos de suo ortu, quam de pudore dubitare parentis: simul, & virginibus impudicis occasioné tollens, ne matrem quoq; saluatoris dicerent, falsis suspicionibus infamatam: tertio vt in AEgyptum fugiens, & inde rediens haberet solatiũ viri, qui integerrimæ virginitatis custos pariter, ac testis existeret: quarto ne partus eius diabolo pateret, qui si eũ de Virgine natũ cognosceret, forsan quasi ceteris hominibus eminentioré, morti tradere timeret. Beda.

THEOPHYLACTVS in 1. Mathæi. Quare Deus permisit, vt ipsa despósaretur, & omnino suspicioné daret hominibus, quod cognosceret eã Ioseph? Vt haberet in aduersis curatoré, nã hic in fuga eius in AEgyptum, curam eius habuit, & seruauit eam: est & alia causa, vt lateret diabolum; & propterea desponsata est: diabolus enim Theophyl.

cum audiſſet, quod Virgo vterum gereret, obſeruabat Virginem; vt igitur deceptor decipiatur, deſponſat ſemper Virginem Mariam. EPIPHANIVS presbyter Conſtantinopolitanus in vita Virginis. Sponſum Ioſeph virginitatis ſuæ cuſtodem accepit. ANSELMVS in primum Mathæi. Quare de ſpōſa Chriſtus Virgine voluit naſci? Multis de cauſis, vt ſcilicet per Ioſeph generatio texeretur, & Maria ab infamia defenderetur, & ne de fornicatione dānata lapidibus obrueretur; & etiam vt haberet qui eam procuraret, & puerum, & eā in AEgyptū duceret & reduceret, & eius nutritius eſſet: denique eſt & alia principalis cauſa, vt diabolo partus Virginis celaretur, vt cum eam grauidam videret, à ſponſo, cui liceret, etiam in deſponſationis tempore grauidatam eſſe putaret. RVPERTVS lib. 1. in Mathæum. Idcirco illam ſponſum habere Spiritui ſancto complacuerat, vt quomodo falſus fuit Saul cum vngeretur Rex Dauid, ita falleretur Herodes, ſiue habitans in Herode diabolus, in hoc ſacramento regis Domini: ac ſi diceret in ſecretis ſuis, virum vnum de populo accipiat Virgo hæc, & ſit ei deſponſata, vt dum conceperit, & pepererit dicat quia virum duxi, quia nuptias celebraui: atque ita ſicut Samuelem, tunc liberauit immolatio vituli, quaſi ob cauſam nullam aliam veniſſet in Bethlehem, ita Virginem hanc ab omni quæſtione liberet exiſtimatio carnalis commertij. EVTHYMIVS Mathæi 1. Quam ob cauſam non eſt imprægnata prius, quam deſponderetur? Ne occideretur vtpote ſuſpitione de ea habita, quod corrupta eſſet; cui enim perſuadere potuiſſet cum viro ſe non eſſe congreſſam: propter hoc ergo poſt deſponſationem, imprægnantur, vt veriſimile ſit ex viro concepiſſe, & ita periculum euadat: præterea, vt in neceſſariis habeat ſubminiſtratorem, & procuratorem, eo maxime tempore, quo in AEgyptum fugiendum erat. Et Luc. 1. Deſponſata erat Virgo, vt diabolum lateret Chriſti natiuitas, audierat enim prophetas annunciaſſe, quod eſſet à Virgine naſciturus, ideoq; virgines obſeruabat, vt ſi quā in vtero geſtare videret, circa hanc fraudulentiæ

Epiphanius

Rupertus.

Euthymius

dulentiæ

dulentiæ suæ laqueos apponeret: placuit itaq; Deo vt Virgo, quæ in habitaculum suũ segreganda erat, viro desponsata esset, vt hac relicta indesponsatas improbus ille obseruaret. BERNARDVS homil. 2. in Missus est. Mirũ cur desponsata fuerit, non nuptura? Dic quæso, quis eam videns desponsatã, & grauidam, non potius diceret corruptam, quam virginem? Nõ autem decebat hoc dici de matre Domini: tolerabilius vero, atque honestius fuit putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quã de fornicatione. Sed nõ poterat, inquis, Deus apertũ aliquod ostendere signũ, quo videlicet fieret, vt eius nec ortus infamaretur, nec mater criminaretur? Poterat vtique; sed non poterat latere dæmones. Quod scirẽt homines, oportebat autem à principe mundi, aliquandiu celari diuini consilij sacramentũ, vt sicut diabolus prius seduxit feminam, & post modum virũ per feminã vicit, ita prius à femina Virgine seduceretur, & post à viro Christo aperte debellaretur. Et infra. Necessario igitur despõsata est Maria Ioseph quando per hoc, & à canibus sanctũ absconditur, & à spõso virginitas comprobatur, & virginis tã verecundiæ parcitur, quã famæ prouidetur quid sapientius, quid dignius diuina prouidentia? vno tali consilio secretis cælestibus, & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra seruatur fama Virginis matris. *AVCTOR.* Ex his omnibus quæ hic, & num. 5. 6. 7. & 13. dicta sunt, constat, sacerdotibus his, qui tradiderũt Virginẽ Iosepho, manifestũ fuisse ex diuino oraculo eã ob rem Iosepho traditã ad id muneris electo, vt virginẽ eam, sicut Deo se consecrarent, custodiret, ac curã eius haberet, eiq; in omnibus prospiceret: at Dei id præcipientis fines fuerũt hi omnes, quos sancti patres assignarunt: inter quos vnus erat, vt diabolo celaretur sacer fœtus; hoc est vt Origen. & Ambros. & quidã alij insinuarunt, vt diabolo etiã scienti grauidã Virginẽ, & non ex homine, precluderetur via ad intentandã necem Virgini, ne fœtus cũ illa periret; nã si absq; sponsatione cõciperet facile suaderet Iudæis, vt illam interficerent; at sponsata, difficile; nemo enim crederet nõ de Ioseph fuisse cõ

Bernardus.

Auctor.

Sacerdotes ex diuino oraculo Iosepho tradunt Virgini.

Multas ob causas virgo desponsata.

ceptum: tum etiam vel sic suaderet Iudæis Virginē illam matrem vere esse Mariæ, & ita impediretur nostra redemptio, dū nullus Iudęorum filium eius odio prosequeretur, atq; ita nō interficeretur: si enim cognouissent, ait Ambr. eo loco, numquā dominum maiestatis crucifixissent, hoc est, numquam me redimi Domini morte fecissent. Fefellit ergo pro nobis, fefellit vt vinceret; vel certe partus Virginis celatus est diabolo virtute diuina, ne studiosior esset in Virgine speculāda, quāuis natura sua id posset facile cognoscere: constat enim ex August. 3. de Trinit. c. 7. & 8. dęmonem virtute diuina à multis impediri, quæ posset.

Coniugium verum fuit inter Ioseph & Mariā. Mathæus.

17 INITO CONIVGIO. MATTAEVS cap. 1. 18. Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, ante quam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius. Et v. 12. Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam cōiugem tuam. LVCAS cap. 1. 26. Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatā viro, cui nomen erat Ioseph. AMBROSIVS lib. 2. in Luc. cap. 1. Nec te moueat quod frequenter scriptura coniugem dicit, non enim virginitatis ereptio, sed coniugij testificatio, nuptiarū celebratio declaratur: denique quā non accepit nemo dimittit; & ideo qui nolebat dimittere fatebatur acceptam. Et lib. de institut. virgin. cap. 6. Desponsata viro coniugis nomen accepit, cū enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adsciscitur; nō enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis; denique cum iungitur puella coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur. AVGVSTINVS lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 1. Non est fas, vt Ioseph ob hoc à coniugio Mariæ separandum Euāgelista putaret, quod nō ex eius cōcubitu, sed virgo peperit Christum; hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus cōiugibus, etiā seruato pari cōsensu posse permanere, vocariq; cōiugiū, nō permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Et li. de nupt. & corrup. c. 11. Absit vt inter illos vinculū coniugale rūpatur, imo firmius erit, quo magis ea pacta secū inierint quę charius, cōcordiusq;

Lucas. Ambros.

Augustin.

seruan-

seruata sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed volũtariis affectibus animarũ: cur ergo nõ coniuges, qui ex cõsensu concũbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph, & Maria, qui concũbere nõ cęperunt. AVCTOR. Quod autem multi ex sanctis patribus affirmant Virginem desponsatam Iosepho, non nuptam; & Iosephũ sponsum non maritum fuisse, vt Abdias in vita Bartholomæi lib. 6. historiæ Apostolicæ, Ioseph, ait, desponsatã, verum minime nuptam Mariam virginem habebat; & Origenes homil. 17. in Lucam. Porro quod asserunt eam nupsisse post partum, vnde approbent nõ habẽt. Et hom. 1. in diuersos, de hinc inuenta non congrue putatur ab ipso beato Iosepho sancto, & iusto, qui pene licentia maritali, licet eã non contingeret, futuræ tamen, vt putabatur, vxoris, omnia nouerat. Et infra. Si tibi vxor nominatur, si desponsata tibi habetur, non tamen tibi vxor est. Hilar. cano. 1. in Mathæum, quotiescumq; de vtroq; fit sermo, mater potius Christi, quia id erat, non vxor Ioseph est nuncupata, quia nõ erat. Epiphan. hæres. 78. Accepit Mariã, velut etiã Euangelium habet; desponsa enim, inquit, Maria, & nõ nupta. Hierony. Math. 1. Non ab alio innenta est, nisi à Ioseph, qui pene licentia maritali futuræ vxoris omnia nouerat. Et aduersus Heluidiũ frequenter, cũ Euangelista dicit, antequã conuenirent, proximum nuptiarũ tempus ostendit, & in eo iam rem fuisse, vt quæ prius sponsa fuerat, esse vxor inciperet. Et infra. Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit quã maritus. Chrysost. homil. 4. in Mathæum, nec vero nomen Virginis memorasse contentus, addidit, coniugẽ, haud ita vocaturus, si corrupta fuisset: cõiugis autem nomine sponsam intellexit. Et infra. Copulat non in fœdus solenne coniugij, sed in consortium cõmunis habitaculi. Bernard. homil. 2. in Missus est, mirũ, cur desponsata fuerit, non nuptura? & infra, virũ nominat, nõ quia maritus, sed quod homo virtutis erat, vel potius quia iuxta alium Euangelistã, non vir simpliciter, sed vir eius dictus est, merito appellatur, quod necessario putatur; debuit ergo vir eius appellari, quia necesse fuit reputari, sicut & pa-

Num Maria dicenda sit nupta Iosepho.

Auctor.

Virginẽ non nuptam Iosepho, qu accipiendũ.

Abdias.

Origenes.

Hilarius.

Epiphanius

Hieronym.

Chrysostom.

Bernardus.

ter Saluatoris non quidé esse, sed dici meruit, vt putaretur esse; nec vir ergo matris, nec filij pater extitit quamuis certa, & necessaria dispẽsatione vtrumq; ad tempus, & appellatus sit, & putatus. Similia dicunt Cyrillus Ierosolymit. catech. 12. Gregor. Magnus hom. 26. in Euãgelia, Theophyl. & Euthym. Math. 1. Hoc ergo dictũ, in quo dissentire sancti videtur, sic est intelligẽdũ; quod attinet ad rationem contractus initi, & ad pactionis cõiugalis vinculum perfectissimum fuisse coniugium, & matrimonium, vt dixerunt Ambros. & August. & vere Iosephum virum, coniugem, ac maritum appellari Mariæ: ipsamque nuptam, coniugem, & vxorem Iosephi: & eo maxime quod, vt ait Augustinus lib. 1. de nuptiis, & concup. cap. 11. Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, & sacramentum; prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium; sacramentum quia nullum diuortium; solus ibi nuptialis concubitus non fuit. At si consideremus accidentariam huius contractus perfectioné, quæ consistit in copula, quia hæc non fuit in illo coniugio reperta; & quia in communi vsu sponsæ iam corruptę, & matres factæ coniuges, vxoresque vocantur, ideo sancti patres summopere cauerunt, ne his appellationibus existimaretur Virgo humano modo mater facta; quod sponsæ nomen maxime ostendit, quod Virgini desponsatę conuenit, nũquam vsque ad nuptiarum celebritaté corrũpi permissæ: ꝙ inferius, ex more scripturæ, verum esse ostendemus. Hac ratione vere dixit Bernardus eadem ratione fuisse Ioseph virum Marię, qua fuit pater Christi; quia sicut putabatur Christi pater, ita putabatur ex Virgine Christum genuisse.

Cyril Iero. *Greg Mag.* *Theophyl.* *Euthymius* *Augustin.* *Bernardus.*

Obiectio. *Maria quomodo consensit in coniugium emisso voto?* *Solutio.*

Quod si vlterius inquiras, si verũ fuit coniugium inter Mariã, & Iosephum, quomodo excusari potest à crimine Maria, quæ cũ castitatem vouisset, consensit in cõiugium illud? Siquidem, virginitaté vouentibus non solũ nubere, sed velle nubere dãnabile est? Dicendũ excusari maxime; nã matrimoniũ contrahere illum, qui castitaté vouit, propterea dãnabile est, quod exponit se certo periculo votum fran-

frangendi per copulam: qui ergo non fuerit in hoc periculo, sed certus potius conseruandā mutuo castitatē, nō peccabit. Itaq; si nulla adhibita explicita cōditione deseruanda castitate contrahat, verū facit matrimoniū; si certus de nō habenda copula, sanctum. Et hoc modo cōtraxit Virgo certa diuino oraculo Iosephum sponsum nō consumaturū matrimoniū; sed ad cetera omnia ministranda coniugē futurum. Sunt tamen qui existiment ante annunciationem, non fuisse ratū matrimonium, inter Ioseph & Mariā, desponsam tantum virginē, vt post ratum facerent cōiugium, quòd Luc. 1. ad desponsatā dicitur Angelus missus, ea vero promissa tantum dicitur, nō tradita. Verū de ea re dubitari nō debet, cum ex eo loco, & Luc. 2. ascendit Ioseph in Bethlehē, vt profiteretur cū Maria desponsata sibi vxore; & ex illo Math. 1. Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph; colligatur certum, verum initum matrimonium inter Ioseph, & Mariam; vnde, & subiecit Angelus, Ioseph fili Dauid: noli timere accipere Mariam coniugem tuam: nomen enim desponsatæ illis in locis non pro promissa tantum, sed pro coniugata vsurpatur, quæ nondum tamen ad vsum peruenerit coniugalem.

Maria certa de copula non habenda sancte contraxit.

Maria non fuit sponsa de futuro tantum.

18 NAZARETHAM. LVCAS cap. 1. 26. Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatē Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatā viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Igitur nuptiarum iure de more celebrato, Virgo Domini Maria ad domum parentum suorum in Galilæam reuersa est. AVCTOR. De reditu Virginis è Ierosolymis Nazaretham, vbi eam Angelus inuenit, non potest dubitari: & traditam consanguineis, & conciuibus; qui post celebratum festum in Galilæam reuertebantur satis est & rationi, & historiæ filo consentaneum?

Nazareth ducitur tamen sponsa Maria. *Lucas.* *Hieronym.* *Auctor.*

19 ET IN DOMO. HIERONYM. in hist. de ortu Mariæ. Virgo autē Domini Maria ad domū parentum suorū in Galileā reuersa est. Et lib. de locis Hebraicis. Nazareth viculus in Galilæa, iuxta montē Tabor, vnde & Dominus

In domum parentum reducitur. *Hieronym.*

noster Iesus Christus Nazarenus vocatus est, habetq; Ecclesiam in loco, quo Angelus ad beatam Mariam Euangelizaturus intrauit; sed & aliam vbi dominus est nutritus.

Illefonsus. ILLEFONSVS sermon. 5. de Mariæ Assumptione. Vt humano vsu loquamur, vbi erat corpore quando Angelus à Deo mittebatur ad eam? vtique in domo parentum.

Beda. BEDA de locis sanctis, cap. 16. Nazareth muros nõ habet, sed magna ędificia, duasque grandes Ecclesias, vna est in medio ciuitatis super duos fundata cancros, vbi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus est infans; altera vero est Ecclesia, vbi domus erat, in qua Angelus ad beatam Mariã venit.

Auctor. *AVCTOR.* Iosephus nõ videtur domum aliquam hactenus habuisse Nazarethæ, quod in ea ad hoc vsque tempus nõ habitarit, quoniam Bethlehemites erat, vt iam diximus nu. 8. vnde colligitur? Mariam constitutam in domo sua, quæ ei iure hereditario, defunctis parentibus, seruabatur à cognatis. In hac domo Angelus lætum illud nuncium annunciauit, ex hacque egressa est ad Elisabetham, & inde post tres menses reuersa est in domum suam, non in domum Iosephi. Quod vero patres mox referendi plane affirmant Virginem Iosepho tunc traditam, & in domo eius habitasse, quam sit certum iam iam explicamus.

Iosephus domo carebat Nazareth.

Iosephus redit Bethlehemum.

20 BETHLEHEMVM. HIERONYMVS, in historia de ortu Mariæ. Igitur nuptiarum iure de more celebrato, ipse quidem in Bethlehem recedit ciuitatem, domum suam dispositurus, & nuptiis necessaria procuraturus.

Hieronym.

Chrysost. IOANNES Chrysostomus in imperfecto, in Mathuæum homilia prima. Sicut historia quædam non incredibilis, nec irrationabilis docet, quando gesta sunt, quæ refert Lucas, Ioseph absens erat. Nec enim conueniens est putare præsente Ioseph, introisse Angelum ad Mariam, & dixisse quæ dixit, & Mariam respondisse, quæcumque respondit, si concedamus Angelum potuisse intrare ad eam, & loqui plane; confestim Mariam abiisse in montana cum festinatione, & introisse in domum Zachariæ, & salutasse Elisabetæ, & man-

fisse cum ea mensibus tribus, possibile nō fuit, præsente Ioseph, quia necesse erat vt absentationis eius, & mansionis diutinæ requireret causas. AVCTOR. Grauis hic sese offert difficultas, ex qua historiæ Euangelicæ ad virginem spectantis magna ex parte veritas elucebit: nū Iosephus statim post initum Ierosolymis matrimonium, virgine remissa Nazaretham, Bethlehemum redierit, tempus ibi nuptiarum celebrādarum expectaturus, an potius ipsemet virginem reduxerit Nazaretham, ibiq; in propria secum domo habuerit vsque ad nuptiales solennitates? Communis hæc est patrum sententia, statim ab inito coniugio, Iosepho virginem traditam, & mox Nazaretham ab eo deductam, ibique in propria domo custoditam; sic Euodius apud Nicephorum lib. 2. historiæ cap. 3. Ioannes Chrysostomus homil. 4. in Mathæum; Auctor imperfecti in Mathæum hom. 1. Germanus Patriarcha Constantinopoli. oratione de oblatione Mariæ; Epiphanius Presbyter Constantinopoli. in vita virginis, Bernard. homil. 2. super Missus est, Euthymius in primum Math. Nicephorus lib. 1. historiæ cap. 8. Ducti sunt hi auctores ad hoc asserendum, primo consuetudine quadam inueterata, quam dicunt à Iudæis obseruatam; & colligit eam Chrysostom. homil. 43. in Genesim, ex Genesis. 19. ex historia Loth, qua erat in vsu, vt à die desponsationis vsque ad tempus nuptiarum sponsis sponsæ traderentur custodiendæ, vt earum ipsi eo pudicitiam seruarent studiosius, quó sibi ipsi fideliores existerent. Secundo, quia si aliud effectum fuisset non id commodi ex hoc sacro matrimonio consequeretur Deus, quod nitebatur, nempe vt dum concepisset virgo in domo sponsi Ioseph, Iosephi esse existimaretur conceptus, & non ex fornicatione habitus, si non nupta concepisse videretur: cogimur ergo affirmare etiam ante solennes nuptias fuisse virginem sub custodia Iosephi.

Auctor. Num Ioseph Nazarethā reduxerit virginem. Communis sententia. Euodius. Chrysost. Auctor imperf. German. Epiphan. presbyt. Bernar. Euthym. Niceph. Consuetudo Prima ratio Chrysost. Secunda ratio.

Certioribus alii conuicti rationibus in ea sunt sententia, vt existiment Iosephum post initum matrimoniū rediisse Bethlehemum patriam suam, tempus nuptiarum

Altera sententia certior.

spectaturum, & necessaria paraturum ex more, nec profectum Nazaretham vsque ad reditum virginis ex visitatione Elizabethæ, quando inuenta est à Iosepho habens in vtero. Sunt autem eorum rationes huiusmodi. Prima, quia Iosephus Bethlehemo oppido propinquo venerat Ierosolymam, inscius de futuro matrimonio; nec vlla ratio cogebat, vt relicta omnino patria, & re sua familiari, ad ignotam terram imparatus abiret, Nazaretham videlicet, non prope distantem. Secunda, quia si cum virgine abiisset, non potuit cum ea habitare vsque ad solennitatẽ nuptiarum ex veteri Iudæorum consuetudine, variis ex scriptura animaduersis exemplis comprobata, vsq; ad Christũ, qua erat cõsuetũ, sponsas ante multũ tempus desponderi solitas, & interim permanere in parentum domibus, aut tutorũ, donec per nuptiarum solennitatem spõsi traditas accepissent; numquã enim vsq; ad nuptias, nec custodiendæ spõsis permittebãtur; & hoc est quod vocat scriptura, spõsam accipere spõsum, & iura post initũ verbis contractũ sollẽniter, rei emptæ possessionẽ, aut hereditatẽ adire; quod nisi per solẽnem traditionẽ, & nuptiarũ celebrationem nõ fiebat. Hanc cõsuetudinẽ, quoniam diuersa est ab ea, quã in vsu fuisse Iudæis dixerunt patres pro superiori sententia citati, nouẽ scripturæ sanctæ testimoniis, & exẽplis confirmabimus. Primum, ex Genes. 19. 8. dixit Loth, habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum, educam eas ad vos. Et versu. 14. egressus itaq; Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erãt filias eius, surgite, & egredimini de loco isto: cũq; esset mane cogebant eum angeli dicẽtes, surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, & apprehenderunt manũ eius, & manũ vxoris, & duarum filiarũ, eduxeruntq; eum. Ex hoc loco constat duas filias Loth iam desponsatas fuisse duobus illis generis, vt etiã aduertit Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 6. maritos vocans, & Chrysosto. hom. 43. in Genesim, vnde morem illum colligit, & tamen extra domum habitasse vsque ad acceptionem, siquidem egressus est de domo, vt eos moneret de fuga, & nec noctu, nec mane domi erant; insuper

Ratio prima.

Ratio secunda.

Sponsæ non tradebãtur sponsis vsq; ad solennitatem nuptialem.

Accipere spõsum quid vocat scriptura.

Primum testimonium.

Ambros.
Chrysost.

per

per & virgines erant filiæ, & generos vocat, qui acceptu-ri erant filias suas, hoc est, solenniter per nuptias in posses-sionem earum venturi, vt eis iam tamquam vxoribus vte-retur. Secundo, Genes. 24. Rebecca sponsa iam facta, du-cta est ad Isaac, qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem; hoc est, soléniter nup-tias celebrauit, & possessionem eius accepit vsu matrimo niali. Tertio, Gene. 29. desponsata est Rachel Iacob pro seruitute septé annorũ, quibus finitis, ait, da mihi vxorẽ meã, quia iam tẽpus impletũ est, vt ingrediar ad illam; qui (Laban) vocatis multis amicorũ turbis ad conuiuiũ, fecit nuptias, & vespere Liam filiã suã introduxit ad eũ, & in-fra. Imple hebdomadã huius copulæ, & hanc quoq; dabo tibi pro opere, quo seruiturus es mihi septé annis alijs. Ac quieuit placito, & hebdomada trãsacta Rachel duxit vxo-rem. En vsq; ad nuptias nec datã sponsam à patre sponso, nec acceptam; vnde vsque ad nuptias non fiebant extra parentũ potestatẽ, nec sponsis permittebantur. Quod au-tẽ asserit de hebdomada copulæ, hoc est, vt autem August. & Eucherius quæstionibus in Genesim, cõsuetudinẽ fuis-se Iudæis septé diebus nuptias celebrare, vt cõstat ex San-sonis nuptiis, Iud. 14. sic enim iuuenes facere cõsueuerãt. Quarto, Genes. 38. 2. & accepta vxore ingressus est ad eã: ergo aliud erat accipere per solennitatẽ à cõgressu. Quin-to, Deuter. 20. 7. dicitur, quis est homo, qui despõdit vxo-rẽ, & non accepit eam, vadat & reuertatur in domum suã, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eã. Au-gust. quęstionibus in Deut. q. 31. accepit, duxit vxorẽ, de-clarat, & Ioseph. lib. 4. Antiqui. c. 8. pręter hos, inquit, qui despõsata vxore, nondũ eam domũ duxerũt, ne harũ rerũ desiderio sibi parentes, seruantes se relictis voluptatibus, in gratiã vxorum, parũ fortiter rem gerant. Philo. lib. de fortitudine, edicitur enim, ait, vt siquis ędificauit domũ, nec dũ immigrauit in eã; siue plantauit nouellam vineam opera sua, necdum aduenit tẽpus vindemiæ; siue sponsam habeat virginem, necdum celebrauit nuptias, abstineat à militia. Sexto, Deuteronom. 22. v. 23. Si puellam virginem despon-

Secundũ testimonium.

Tertiũ testimonium.

August.
Euchir.

Quartũ testimonium.

Quintũ testimonium.

August.

Iosephus.

Philo.

Sextũ testimonium.

desponderit vir, & inuenerit eá aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, lapidibus obruetur vir, quia humiliauit vxorem proximi sui & cetera. GREGOR. Epistola ad Mauritium Imperat. & refertur 27. quæstione 2. cap. qui desponsatam; & illud, ait, in Deuteronomio, siquis cuiuslibet hominis desponsatam puellam in agro, vel in quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam, moriatur, quia vxorem proximi sui violauit, non quæ iá vxor erat, sed quæ à parentibus vxor fieri debebat: ex quo colligitur sponsas sub cura parentum fuisse, à quibus vxores fieri debebant, hoc est, vsque ad nuptias, non sub cura sponsorum; quod explanat Philo. lib. de specialibus legibus, si quis, inquiens, post epulum nuptiale cum puella non maritali affectu, sed tamquam cum meretrice libidinis causa congressus calumniose vertat se ad occulta crimina, dicendo à se deprehensam non virginem, vocetur vniuersus senatus, & adsint etiam accusatæ parentes communem causam acturi; in tali enim controuersia, quando de castitate corporis quæritur non imminet periculum soli filiæ, sed etiam eius curatoribus, non modo quia vsque ad suum tempus non custodierunt natæ pudicitiam, verum quia vitiatam ab alio desponderunt pro virgine. Ecce ad parentes, tutoresque spectabat vsq; ad nuptias etiam desponsatæ puellæ virginitatem custodire, non ad sponsos. Septimo Iudicum. 14. Sanson despondit sibi Philistæam, & post aliquod tempus venit pater eius, & fecit filio suo Sanson conuiuium, sic enim iuuenes facere consueuerant, & omnes conuocauit ad nuptias celebrandas per septem dies: hoc est illud, quam quæso vt mihi accipiatis vxorem, & hanc mihi accipite; & vsque ad acceptionem non habitauit cum ea, quo vsque iratus, remisso mulieri nuncio res suas sibi habere iussit; ac ita dimisit eam, vt constat etiam ex Iosepho lib. 5. Antiquitatum c. 10. Octauo Tob. 6. 18. dixit angelus Tobię, tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, Tobias autem despódit sibi Saram. Tob. 7. & post desponsationem, celebratis solenniter nuptiis,

accepit

Gregor. *Philo.* *7. Testimo.* *Iosephus.* *8. Testimo.*

accepit eam, & statim secũ deduxit in domum patris sui. Nono. 1. Machab. 9. 37. habetur, post hęc renunciatum est Ionathæ, & Simoni fratri, quia filii Iambri facerẽt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba filiam vnius de magnis principibus; & ecce tumultus, & apparatus multus, & spõsus processit, & amici eius, & fratres eius, obuiã illis cũ tympanis, & musicis, & ramis multis quã historiã Ioseph. lib. 13. Antiquit. c. 1. sic refert: eodẽ tẽpore nunciatum est Ionathæ, & Simoni fratribus, quod Amarei filii celebraturi essent nuptias, & adducturi sponsam ab oppido Gabatha, filiam illustris cuiusdam inter Arabas, eãq; puellam introducendam cum pompa sumptuosa, & splẽdida, vt vero in conspectum venit sponsus cum virgine & amicorum comitatu, vt fieri solet in nuptiis, coorti ex insidiis omnes ad vnum interfecerunt. Ecce morem deducendi sponsam in domum sponsi, & exeundi illi obuiã, quem Christus in illa parabola Math. 25. repetiuit, tamquam vsu communi frequentem, cũ decem virgines, quæ comitabantur sponsam exierunt cũ lampadibus obuiam sponso, cũ quo intrauerunt ad nuptias: quæ consuetudo etiã gentilibus frequens fuit, vt constat in Statio in Epithalamio stellæ & violantilæ: & multis aliis, quæ adducit Neapolitanus Alexander lib. 2. Genialiũ dierũ c. 5. & super eũ Tiraq. Ex quibus omnibus certo certius colligitur eam fuisse Hebræis consuetudinem, vt ante nuptias sponsa nõ traderetur spõso, nec ad custodiam. Hoc enim vel parentũ erat munus, vel tutorũ: in nuptiis vero tradi solitã, & inde deduci in sponsi domũ. Et hoc significauit angelus Math. 1. cum Iosepho dixit, noli timere accipere Mariã coniugẽ tuã. Tertia, quoniã aliqui ex patribus indicant virginem quidem habitasse in domo parentũ suorum, Iosephum autem in separata domo vel cognatorum, vel conducta; sic Eusebius Emissenus sermone in vigilia natiuitatis, & Anselm. in primum cap. Math. vnde frequenti sponsam visitatione vna cum parentibus custodiret. Adnitar probare nec in vrbe Nazaretha propter hanc rationem degisse; quia pro cõperto haberi debet Iosephũ

Nonum testimonium. *Iosephus.* *Christus meminit prædictæ cõsuetudinis.* *Statius.* *Alexan.* *Tiraquell.* *Conclusio.* *Ratio tertia.* *Euseb.* *Anselm.*

nihil nouisse eorum, quæ cum angelo tractauit Maria, nec de eius discessu in domum Zachariæ, nec de his, quæ dicta sunt ab Elizabetha, & gesta in eius domo, donec post reditum nocte admonitus ab angelo est Math. 2. de fœtu dato diuinitus; quod ita esse probamus satis superq; infra cap. 6. num. 8. & 10. & cum nisi gratia sponsæ ad vrbem Nazaretham abiisse credatur, quod non esset eius patria, & ea causa cessaret, profecto & rationi, & fidei satis consonum est non fuisse in vrbe Nazaretha tunc Iosephum, sed Bethlehemi, donec tempus accederet nuptiarum. His igitur rationibus mihi persuadeo veram esse historiam de ortu virginis supra adductam, Chrysostomi etiam auctoritate probatam.

Historia de ortu virginis vera. Chrysost.

Quoniam vero ad priorem superioris sententiæ rationem satis responsum est; posteriori satis faciemus dicendo, satis prouisum fuisse famæ, & honori virginis, quòd Elizabethæ reuelatum est mysterium, & domui eius vniuersæ declaratum, & inde ad ceteros cognatos delatum: tum etiam posteà dum reuelatum est Iosepho, apud quē iam non bene audiebat sponsa; eius enim erat eam deferre, si adultera putaretur. Verum hoc adhibito remedio tam certi, & iusti innocentiæ virginis, & cælestis, testes mysterii satis erant, vt eā omni periculo liberarent, eiusq; honori consulerent; præsertim cum iam virum Iosephum cum ea deinceps habitantem vidissent, nihil erat cur suspicarentur malum, qui non tam curiose alienam sponsam speculabantur; maxime cum non liceret sponso Iosepho congredi cum sponsa, vt dicunt Tertullianus, Chrysostomus, & Augustinus infra relati cap. 6. numero. 12. ac proinde nec sic cōtegeretur fœtus domestica Iosephi habitatione.

Ad priorē rationem. Ad posteriorem.

Congressus interdictus sponsis vsq; ad nuptias. Tertullia. Chrysost. August.

(.?.)

G A-

GABRIEL VIRGINI conceptionem filii Dei annunciat. Cap. V.

CVM 1 quartus iam mẽsis ageretur, ex quo desponsa fuerat Maria Iosepho, missus est à Deo 2 Gabriel 3 Archangelus ad virginem in Nazareth a ciuitate Galileæ tunc degentem, vt cum ea ageret de re seculis omnibus optatissima: erat autẽ dies, in quo tam magnifica legatio obita est, 4 Martii mensis vigesimusquintus. Gabriel vt demandatum munus rectius obiret, spectabilem 5 viri formam assumens, ingressus ad eam est 6 in cubiculo suo diuinis de more vacantem, atque noua hac forma salutandi sibi attentã reddens, Aue, inquit, gratia plena, omniumque supernaturalium donorum copia referta, quibus altissimi summam beneuolentiam promeruisti, Dominus tecum est, singulari hoc te amore prosequens, vt sola inter omnes mulieres omnis benedictionis genere replearis. Illa videns ab Archangelo insolito 7 modo sibi honorem exhiberi, seq; ab eo tam magnifico sermone salutari, turbata est, & quæ nã esset isthæc tam præter

con-

consuetudinem viri salutatio, tacita mente cogitabat. Sed Dei paranymphus, cum eam aspiceret virgineo pudore suffusam, & præ timore cogitabundam, vt hunc illi timorem adimeret, proprio eam nomine compellans, noli, inquit, metuere, Maria, quia tam eximiam gratiam à Deo consecuta es, qua arctissimo tibi eum amore deuinxisti, vt te in illam virginem elegerit, quæ ante multa secula ab 8 Isaia prenunciata est, & à te iam diu expetita. Ecce enim concipies in vtero tuo, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit quidem magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus solium Dauidis patris eius, & regnabit super familiam Iacob, quam sibi comparabit, in æternum; & regni eius nullus adueniet finis. His Mariæ animus tranquillior redditus, dubitationem vnam explicari sibi summisse petit, vt liberior facta absque vllo culpę timore possit assentire. Doceri, inquit, volo 9 quomodo conceptura sim, & paritura filium, cum, Deo ipso excitante, meam iam dudum ei virginitatem cōsecrauerim; & propterea Iosephus, ipsius Dei nutu sponsus mihi delectus est ad custodiam tantum, non autem ad filios procreandos. Ad hæc respondens angelus, ait, de

tuo

tuo propoſito ſeruando ne ſis ſolicita, quia non is fœtus opera viri concipiendus eſt, diuinū id totum erit opus; nam Spiritus ſanctus cœlitus illabetur in te, & ſumma Dei patris potētia tibi mox aderit; atq; idcirco ſanctum id, quod ex tanti opificis manu prodibit, vocabitur, ac re ipſa erit filius Dei: & ecce, quò magis confirmeris, Elizabetha 10 cōſobrina tua, ſenio iam pene confecta, concepit filium, & hic eſt ſextus menſis, ex quo illa concepit, quæ per opprobriū ſterilis ab omnibus dicebatur; neque enim quicquam eſt hominibus exiſtimatum impoſsibile, quod Deo non ſit factu perfacile. His angeli verbis ſatis de re omni inſtructa Maria, iam fide plena, & ad obediendum promptiſsima, breui hoc, ac modeſtiſsimo reſponſo ſuum aſſenſum expromēs, ecce, inquit, ancilla ſum Domini, ad omne illius obſequium paratiſsima, fiat in me ſecundum verbum tuū. Ac 11 cōfeſtim, ò ſtupendum miraculum, Dei patris adfuit omnipotentia, & Spiritus ſancti efficax operatio ſuperuenit, qua mirifica virtus Mariæ attributa eſt, vt 12 abſque vlla carnis voluptate, ſed cum multa, ſancta, & ſpirituali delectatione, tantum virginei, ac puriſsimi 13 ſanguinis ſuppeditauerit, quantum hu-

mano corpori formando sufficeret: quod sub eodem 14 momento & coagulatum est, & in masculum efformatum, & anima rationali perfectissime informatum, & verbi Dei personæ arctissime vnitum, atque ita, verbum caro factum est. 15 Quam vero copiosa charismatum dona fuerint tunc virgini iam matri collata, referre nemo potest. Functus sua tã feliciter legatione cœlestis paranymphus, vale virgini, ac matri Dei summa cum gratulatione dicto, ab ea discessit, & ad eũ, á quo missus fuerat, regressus est.

Testimonia.

Mense 4. à desposatione facta est Annũciatio.

1 QVARTVS. EVODIVS in cómentariis suis, & in epistola quã lumé inscripsit, post Petrũ Antiochię Episcopus, apud Nicephorũ lib. 2. hist. c. 3. Deinde vero sacerdotũ manibus Iosepho ad custodiã est tradita, apud quẽ cũ mẽses peregisset quatuor, ab angelo Gabriele lætum illũ accepit nuncium. *AVCTOR.* Vetusti huius patris auctoritas, si ex fide refertur à Nicephoro, sufficere debet, vt hæc quatuor mensium enumeratio vera habeatur, quãuis historia de ortu Mariæ aliud innuere videatur, sic enim habet. His vero diebus, primo scilicet aduẽtus sui in Galilæã tẽpore, missus est ad eam angelus Gabriel à Deo. Et infra. Ioseph à Galilæa in Iudæã veniés desponsatam sibi virginẽ vxorẽ ducere intẽdebat; Iã nãq; tres fluxerãt mẽses, & quartus instabat ex eo tẽpore, quo sibi despõsata fuerat. Quibus verbis satis plane ostendit statim post initũ coniugiũ, & postquã aduenit virgo Nãzaretha, missum angelũ ad eam: nam transactis tribus mensibus, quos apud

Euodius.
Auctor.
Hierony.

apud Elizabetham est cómorata, & domũ reuersa, inuẽta est in vtero habẽs de Spiritu sancto à Iosepho, tunc Bethlehemo redeũte. Quã historiam, si admiserimus, dicemus cognatos virginis cũ aliis venisse Ierosolymã ad celebrãdum pascha 14. luna Martii; & tunc quidẽ matrimonium virginis cũ Iosepho initũ, & eo confecto ductã virginem Nazarethã: & 25. Martii die statim secuto nuncium accepisse cælestes, & cócepisse Christũ. Estq; satis vero simile. *Virg. desponsatã tẽpore paschali.* De sentẽtia vero Epiphanii, qui sex menses post despõsatione id factum refert, vt desponsatio facta fuerit mense Maio, nó Decẽbri, vt indicat Euodins, nec Martio, vt historia prædicta, diximus iam c. 4. n. 15. Si enim sex mẽses, quos dicit mansisse cum Iosepho virginem, intelligat ad complendum annum 12. ex quo oblata fuit, bene: si autẽ vsq; ad Christi cóceptionẽ, falso: quia illi perueniũt vsq; ad 21. Nouembris, quo puella est oblata; at virgo cócepit quarto post mense, die 25. Martii. Quare Euodii sententiam amplectamur propter tanti viri auctoritatem. *Epiphanius explicatur.*

2 GABRIEL. HIERONYMVS de nominibus Hebraicis ex Luca. Gabriel, confortauit me Deus, aut fortitudo Dei, vel virtus mea Deus. *Gabrielis nominis ethymologiæ Hieronym.* PROCLVS Archiepiscopus Constantinopol. in Ephesina Synodo ad Nestorium verba faciens. *Proclus.* Reuerere nomen Archangeli, qui nuncium illum apportauit Mariæ, qui Gabriel est appellatus, dictus Gabriel, id est, Deus & homo, Geber enim homo, El, Deus, nomine ipso significans nuncium, quem apportat, quoniam is, quem euangelizat Christus Deus & homo erat oriturus, nomenclatura ipsa miraculum significat. *Gregor.* GREGORIVS hom. 34. in Euang. Ad Mariam Gabriel mittitur, qui fortitudo nominatur, illum quippe nunciare veniebat, qui ad debellandas aëreas potestates humilis apparere dignatus est. *Beda.* BEDA lib. 4. in Lucam c. 3. Idcirco angeli priuatis nominibus cẽsentur, vt significetur per vocabula etiam in operatione quid valeant, cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina à ministeriis trahunt. Ad Mariam ergo virginẽ Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur, illũ

quippe nunciare veniebat, qui ad debellendas aëreas potestates, humilis apparere dignatus est. THEOPHYLACTVS Archiepiscopus Bulgariæ in primum Lucæ. Disce autem quod Gabriel, si quis interpretatur, idem est, quod homo Dei. Merito igitur cũ nasci voluit Deus homo, missus est Gabriel, hoc est, homo Dei. BERNARDVS hom. 1. super missus est. Non arbitror hunc angelũ de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione, quod & ex eius nomine palam intelligi datur, quod interpretatum fortitudo Dei dicitur. Et infra. Nec discordat nomen à nũcio, Dei quippe virtutem Christum, quem melius nunciare decebat, quã hunc; quem simile nomen honorat, nam quid est aliud fortitudo, quam virtus? non autem dedecens, aut in congruũ videatur Dominum, & nuncium cõmuni censeri vocabulo, cum similis in vtroq; appellationis, non sit tamen vtriusq; similis causa, aliter quippe Christus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter angelus. Angelus enim tantũ nũcupatiue, Christus autẽ etiã substantiue. Christus Dei virtus, & dicitur, & est, quæ forti armato, qui suũ atriũ in pace custodire solebat, fortior superueniens, ipsum suo brachio debellauit; & sic ei vasa captiuitatis potẽter eripuit: Angelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel quod huiuscemodi meruerit prærogatiuã officii, quo eiusdẽ nunciaret aduentũ virtutis; vel qui virginẽ natura pauidã, simplicẽ, verecundã, de miraculi nouitate ne expauesceret cõfortare deberet, quod & fecit, ne timeas, inquiens, Maria? AVCTOR. Gabriel nomẽ est cõpositum à Gueber vir, fortis, robustus, hinc est illud Ierem. 31. femina circumdabit Gaber virũ, à virtute, & fortitudine, ita dictus; & cum affixo, Gabri, vir meus, & nomẽ Dei El, quod fortẽ significat. Idẽ ergo est quod vir meus Deus, aut virtus mea Deus, aut fortitudo mea Deus fortis, quo facile innuitur expositio Procli Archiepis. Cõstant. ꝙ idẽ sit ac si dicatur, homo meus Deus, id est, Deus factus est homo, vt vnus è nobis.

3 ARCHANGELVS. IRENEVS Lugdu. Episcopus lib. 5. aduersus Valentinum cap. 21. Danieli angelus

Theophy. *Bernard.* *Auctor.* *Nominis Gabrielis ratio.* *Archangelus fuit Gabriel.* *Ireneus.*

Gabriel

Gabriel exolutionem visionũ fecit, hic autẽ est archangelus Demiurgi; & hic idẽ Mariæ Euangelizauit manifestũ aduẽtũ, & incarnationẽ Christi. ATHANASIVS in Euangeliũ de sanctissima Deipara. Emissum esse archangelũ Gabrielẽ à Deo in Nazareth. Et infra. Cũ igitur diuersa sit à voce archangeli hypostasis verbi, & subsecutus archangelus ad eã dixit, ne timeas. Et lib. 4. ex variis scripturæ locis ad Antiochum q. 12. sola sancta Deipara virgo nudã essentiã Gabrielis archãgeli, vt est, contemplata est. AMBROSIVS lib. 1. de Spiritu sancto c. 7. Vides quia & plenitudinẽ, & fiduciã dat spiritus, cuius operationem archãgelus nũciat Mariæ, dicẽs, Spiritus sanctus superueniet in te. AVGVSTINVS serm. 14. de natali Dñi, qui est 18. de tẽpore. Ignaro sponso meo Ioseph venit ad me quidã magnus Christi paranymphus, nõ Patriarcha primus, aut Propheta egregius, sed Gabriel ille archangelus, facie rutilãs, veste coruscãs, ingressu mirabili, aspectu terribili; visitauit & perturbauit me, salutauit, & grauidauit, dixitq; mihi Aue gratia plena. LEO Magnus serm. 2. de natiuitate. Auctor in carne nascenti Deus est, testante archangelo ad virginẽ Mariã, quia Spiritus sanctus superueniet in te. GREGORIVS Magnus homil. 34. in Euangelia. Hinc est quod ad Mariã virginẽ non quilibet angelus, sed Gabriel archãgelus mittitur; ad hoc quippe ministeriũ summũ angelũ venire dignũ fuerat, qui summũ omnium nunciabat. ANDREAS Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitanus in oratione de annunciatione. Vni igitur ex præstãtioribus angelis mandat vt mysteriũ exequatur. Solet vtiq; Gabriel in Dei mysteriis minister adhiberi, vt patet in Daniele. Et infra. Hæc ipse secũ archãgelus. Et, quo internuncio hæc gesta sunt? archãgelo Gabriele, qui ab altissimo missus rẽ admirabilem nunciauit. ISICHIVS homi. 2. de Deipara. Iure proculdubio omnis grati animi lingua salutat virginẽ, & Deiparã, ac pro viribus Gabrielẽ agelorũ principẽ imitatur. IOANNES Damascenus oratione de dormitione Deiparæ. Hanc autẽ omni ex parte beatam, quæ aures inclinauit Dei verbo, &

Athan. Ambros. Augustin. Leo Magn. Greg. Mag. And. Cret. Isichius. Damasc.

repleta fuit operatione spiritus, & per archangeli hymnũ spiritualem, & patris voluntate, absque voluptate, & viri coniunctione concepit omnia implentem Dei verbi personã; & apposite peperit absq; doloribus, & tota Deo fuit vnita, quomodo mors deuorauerit? ANTIPATER Bostrorũ Episcopus oratione de sancto Ioanne Baptista. Ortũ tuũ attulit archangelus. BERNARDVS serm. 1. super missus est. Non arbitror hunc angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione, quod & ex eius nomine palam intelligi datur, quod interpretatum, fortitudo Dei dicitur; & quia non ab alio aliquo forte excellentiori se (vt assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, à Deo. Vel ideo dictũ est à Deo, necui vel beatorum spirituum suũ Deus antequã virgini reuelasse putetur consilium, excepto dumtaxat archangelo Gabriele, qui vtiq; tantæ inter suos inueniri potuit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur, & nuncio. GEORGIVS Cedrenus in compẽdio historiæ. Elapsis sex mẽsibus princeps angelorum Gabriel ei apparuit, & Maria digresso archangelo. *AVCTOR*. Diuini Dionysii cap. 13. de cælesti Hierarchia, sententia, quam sequitur Gregorius homil. 14. in euãgelia, ceteriq; omnes, satis debet esse, vt credamus Gabrielẽ nõ esse de summis ordinibus, qui numquã mittũtur, esse tamen principẽ inter archangelos.

4 MARTII 25. ATHANASIVS in lib. 4. ad Antiochũ Principẽ q. 17. Quare vicesimoquinto die mensis Martii in vtero virginis clausus habitare cœpit Christus, & Deus noster veniẽs in terrã? responsio, quia eadẽ die in mũdi principio Deus creauit Adam; hinc est quod in hoc ipso mense omnes arbores, & herbæ, animalia itẽ ad proferendum fructum, & ad liberos procreandos commouẽtur, tamquam à Deo hoc tẽpore certa sint. D. IOANNES Chrysostomus Archiepiscopus Constantinopolitanus homi. in primũ Lucæ de natiuitate Ioãnis Baptistæ. Post sextum mensem conceptionis Ioãnis, qui est octauo calendas Octobris, sextus mensis Martius principiũ anni,

Antipater. *Bernard.* *Cedren.* *Auctor.* *Dionys.* *Gregor.* *Martii 25. facta est annunciatio.* *Athanas.* *Christus eodem conceptus die, quo creauit mũdum.* *Chrysost.*

quia princeps & primarius omniũ ipso mẽse cõceptus, & passus est. Ex die igitur cõceptionis Ioãnis octauo calendas Octobris vsq; octauo calẽdas Aprilis, quãdo angelus Gabriel ingressus est ad Mariã, & salutauit eã. Conceptus est ergo Dñs noster octauo calẽdas Aprilis, mẽse Martio, qui est dies Paschæ passionis Dñi, & conceptionis eius, in qua enim die cõceptus est, in eadẽ & passus. AVGVSTINVS lib. 4. de Trinitate c. 5. Ipsa perfectio corporis Dñi tot diebus ad partũ perducta cõperitur, sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas. Octauo enim calẽdas Aprilis cõceptus creditur, quo & passus. Ita monumento nouo quo sepultus est, vbi nullus erat mortuorũ positus, nec ante nec postea, congruit vterus virginis, quo conceptus est, vbi nullus seminatus est mortaliũ. Natus autẽ traditur octauo calẽdas Ianuarias. Ab illo ergo die vsq; ad istũ cõputati ducenti septuaginta & sex reperiuntur dies, qui senarium numerũ quadragies sexies habent; quo numero annorum templum ædificatũ est, quia eo numero senariorum corpus Domini perfectum est. Et lib. 3. contra Iudæos cap. 5. Octauo calendas Aprilis conceptus Christus creditur, quo & passus, natus autem creditur octauo calendas Ianuarias. Et sermone. 18. de natiuitate Domini, qui & 22. de tempore. Denique ex hodierno, dies accepit incrementũ, & augmẽta sumit cursus sui, qui electus ad gloriam Dei noscitur; conceptus est enim ęquinoctio verno, & natus est solstitio hiberno: & qua die est cõceptus in vtero virginis, in ipsa resurrexit ab inferis cũ gloria passionis: & in conceptu tamen, & in natiuitate eius dies accepit incrementũ, & nascente vera luce, lucis, & diei augmẽtatur officiũ. BEDA lib. 1. in Lucam c. 3. Mensem sextũ Martiũ intellige, cuius vicesimo & quinto die Dominus noster, & conceptus traditur, & passus: sicut & vicesimoquinto mensis Decẽbris natus. Et lib. de tẽporibus c. 47. CALENDARIVM Græcorũ. Martii 25. die annũciatio virginis Deiparæ dñæ nostræ. ADON Treuirensis Archiepiscopus in Martyrologio. Octauo calẽdas Aprilis, apud ciuitatem Galileæ Nazareth Annunciatio

Christus eodem mense & die passus est, quo conceptus.

Augustin.

Christus cõceptus, & passus eodẽ die.

Christus eodem quo cõceptus die resurrexit.

Beda.

Christus cõceptus, & passus eodẽ die.

Calend. Roman.

Adon.

Zachar. dominica. ZACHARIAS Episcopus Chrisopoli. lib. 1. in vnum ex quatuor cap. 3. Mensem sextum Martiũ intellige cuius vigesimoquinto die Saluator traditur, conceptus, & passus. *Geor. Cedr.* GEORGIVS Cedre. in cõpendio histor. Res acta est primi qui est Martius, mensis die 25. prima, & septimanæ, & lunæ die. *Rupertus.* RVPERTVS Abbas lib. 3. de diuinis officiis cap. 19. Superius iam dictum est, dominica nocte Christum natum fuisse, videlicet vt qua die dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, eadem die vera nobis lux in tenebris oriretur. Addere nunc libet & illud, quod hic idem mirabilis plastes noster, qui, vt dictũ est, dominica nocte natus est, feria sexta conceptus est: nã si superius scriptos illius anni quinq; concurrentes vni Aprilis regulari adiicias, fiunt sex, cum autem sexta feria mensis Aprilis incipit, profecto octauo calendas Aprilis sexta nihilominus feria habetur, quando dominicam annunciationem habemus. Igitur pium atq; pulchrum ordinem, prouidamque dispositionem in hoc salutis nostræ opifice mirantes veneramur, qui die, qua veterem formauit Adam de limo terræ, nouum sibi reformare cœpit hominem de vera carne virginis Mariæ, eadem nihilominus die redempturus mortis passione.

Conceptus Christus feria. 6.

Christus eodẽ die, quo homo creatus, conceptus, & passus.

5 VIRI FORMAM AMBROSIVS lib. 2. in Lucam cap. 2. trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri, & 1. lib. officiorum cap. 18. Hic pudor primus in ipso cognitionis ingressu Domini matrem commendat legentibus, & tamquam testis locuples dignam, quæ ad tale munus eligeretur adstruit; quod in cubiculo; quod sola; quod salutata ab angelo tacet, & mota est in introitu eius; quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus virginis. Et lib. 2. de virginibus in principio. Denique & Gabriel eam vbi reuisere solebat inuenit, & angelum Maria quasi viri specie mota, trepida quasi non incognitum, audito nomine recognouit; ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. *Hierony.* HIERONYMVS Epistola. 7. ad lætam.

Sub viri forma Gabriel.

Ambros.

Imitatur Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, & ideo forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit. Et Epistol. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis, versus finem. Propone tibi beatā Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt mater Domini esse mereretur, ad quam cum Angelus Gabriel, in viri specie descendisset, dicens: Aue gratia plena, dominus tecū, consternata, & perterrita, respondere non potuit, numquam enim à viro fuerat salutata. Denique nuncium discit, & loquitur, & quæ hominem formidabat, cum Angelo fabulatur intrepida. AVGVSTINVS sermone 14. de natiuitate Domini. Nam ignaro Ioseph sponso meo venit ad me quidam, vt supra num. 3. PETRVS Chrisologus sermone 140. Quid est quod personam videt, & de sermone turbatur? Quia venerat Angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, diuina repromittens. Vnde & Virginem, quā leuiter visus solicitauerat, nimium turbauit auditus, & quam missi præsentia parum moueret, concussit toto pondere mittentis auctoritas. LAVRENTIVS Iustinianus sermone de Annunciatione Mariæ. Lætus paranymphus effectus pro officio, exhilaratus pro gratia, pro obsequio expeditus, insolito fulgore vestitus, in humana effigie descendit ad Virginem.

Augustinus

Petrus Chrisologus.

Iustinianus.

6 IN CVBICVLO. BARTHOLOMAEVS Apostolus, apud Abdiam lib. 8. historiæ Apostolicæ. Huic subito in suo cubiculo clausæ splendens sicut sol Gabriel Angelus apparuit: quæ cum terrore perculsa hoc visu expauisset, ait ad illā Angelus, noli timere. EVSEBIVS Emissenus in explicatione Euangelij de Annunciatione. Non enim in plateis erat, nō in publico morabatur, intus erat, in penetralibus sola sedebat, nec tamē sola tanto virtutum exercitu circumscripta. AMBROSIVS lib. 2. in Lucam cap. 2. Discant mulieres propositum pudoris imitari, sola in penetralibus, quam nemo virorum videret solus Angelus reperiret; sola sine comite; sola sine teste, ne quo de genere deprauaretur aflatu, ab Angelo saluta-

In cubiculo inuenitur ab Angelo Maria.

Bartholomaeus

Euseb. Emissenus.

Ambrosius.

tur. Et lib. 1. officiorũ, cap. 18. Quod in cubiculo, quod sola & cetera, vt supra num. 5. & lib. 2. de virginibus. Hæc ad ipsos ingressus Angeli, inuenta domi, in penetralibus, sine comite, nequis intentionem abrumperet, nequis obstreperet: nec enim comites femina desiderabat, quę bonas comites cogitationes habebat: quin etiam tũ sibi minus sola videbatur cũ sola esset, nam quemadmodũ sola, cui tot libri adessent, tot archãgeli, tot prophetæ? deniq; & Gabriel eam, vbi reuisere solebat, inuenit.

Hieronym. HIERONYMVS in 7. Isaiæ. Ecce virgo cõcipiet. Ergo Alma, nõ solũ puella, vel virgo, sed cũ epitasi virgo abscõdita dicitur, & secreta, quæ numquã virorũ patuerit aspectibus, sed magna parentũ diligẽtia custodita sit. Et in histor. de ortu Mariæ. Ingressus ad eã, cubiculũ quidem, vbi manebat, ingente lumine perfudit.

Andreas Cretens. ANDREAS Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitanus, in orat. de Annunciat. Mariæ. Quamobrẽ Gabriel diuina iussa facessens ad Virginẽ deuolauit, cumq; Nazarethę peruenisset, ad domũculam cõsistit, & cogitabundus, atq; hæsitans hæc se cũ ipse, vt arbitror, volutabat. Quomodo quæ mihi à Deo mãdata sunt perficere aggredior? Celeriter in thalamũ introeam, & animũ Virginis perturbabo? fores ne pulsem? quo pacto cum id non sit Angelorum proprium, ostium aperiã? At mihi vel ostio clauso licet ingredi. Tum domum petit, & ad thalamum in quo Virgo habitabat, accedens, sensim ad fores appropinquauit, cumque iam esset intus miti voce Virginem alloquens. Aue (inquit) gratia plena.

Beda. BEDA lib. 2. in Lucam cap. 3. eadem quæ Ambrosius dictus in primum Lucæ.

Bernardus. BERNARDVS homilia 3. super missus est. Quo ingressus ad eam? Puto in secretarium pudici cubiculi, vbi illa fortassis clauso super se ostio orabat patrem in abscondito: solent Angeli astare orãtibus, & delectari in his, quos vident leuare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ deuotionis gaudent se offerre Deo in odorem suauitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerint in conspectu altissimi, Angelus indicauit, qui ingressus ad eam, tam reuerenter salutauit. Nec

fuit

fuit difficile angelo per clausum ostiú penetrare ad abdita Virginis, qui vtiq; ex subtilitate substantiæ suæ, hoc habet in natura, vt nec seris ferreis eius arceatur ingressus, quocumq; eú suus impetus ferat. Suscipiendú igitur non est quod apertú inuenerit Angelus ostiolú Virginis, cui nimirum in proposito erat hominú fugere frequẽtias, vitare colloquia, ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continẽtis castitas tentaretur: clauserat itaq; etiã illa hora suum super se habitaculú virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis: proinde, & si ad eam potuit intrare Angelus, sed nulli hominum facilis patebat ingressus.

Angelus ostio clauso ingreditur.

Salutatio & insolita.

Origines.

7 MODO. ORIGINES homil. 6. in Lucam. Id quod ait, Kecharitomeni, Aue gratia plena, vbi in scripturis alibi legerim, non recordor: sed neque ad virum istius modi sermo est, salue gratia plena, soli Mariæ hæc salutatio seruabatur; si enim sciisset Maria, & ad alium quempiã similem factum esse sermonem (habebat quippe legis scientiam, & erat sancta, & prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat) numquam quasi peregrina eam salutatio terruisset. AMBROSIVS lib. 2. in Lucam. Maria salutationem Angeli verebatur, erat cogitans cum verecundia, quia pauebat cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ numquam lecta est, nusquam ante comperta; soli Mariæ hæc salutatio seruabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratia, quam nulla alia meruerat, consequuta est, vt gratiæ repleretur auctore. SOPHRONIVS sermone de Annunciatione Virginis. Non simplex fateor, vel consueta fuit ista salutatio, sed omni admiratione digna, siquidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequij. BEDA in Lucam. Maria salutationem Angeli verebatur, erat enim cogitans qualis esset hæc salutatio, & ideo cum verecundia, quia pauebat, cum prudentia, quia benedictionis nouã formulam mirabatur, quæ numquã lecta est, nusquã ante comperta. PETRVS Damianus serm. 3. de Natiuitate Mariæ. O nouú, & inauditum angelicæ salutationis

Ambros.

Sophronius.

Beda.

Damianus.

tionis obsequium, plenam appellat gratia, quia ipse in eam descendebat, per quem omni mundo collata est gratia, BERNARDVS serm. 2. de Anuunciatione Virginis. Iniungitur noua legatio Angelo Gabrieli, & nouam virgo professa virtutem, nouę salutationis honoratur obsequio; antiqua excluditur maledictio mulierum, nouam noua mater accipit benedictionem. LAVRENTIVS Iustinianus, sermone de Annunciatione Virginis. Merito Angelus ad Virginem mittitur, vt nouam gratiam noui partus, noua salutatione differeret. *AVCTOR.* Hæc salutatio duplici ex capite singularis est, & soli Mariæ competens: primo ex angeli sensu, quem externis gestibus, & nutibus honorificis ostẽdit: quia enim videbat illam virginem adeo gratam Deo, vt eam sibi in matrẽ elegisset, non poterat, non externo habitu, etiam egregium id quod mente concipiebat, significare, vnde Græce dicitur quæ idusa: cũ vidisset turbata est in sermone eius, quo insinuatur viso etiam Angelo turbatam, quod asseruerunt sancti num. 5. allati. Secundo, quia verbum illud Kecharitomeni, sua significatione, quid singulare cõplectitur; eo enim Lucas expromere voluit significatum Syri verbi Rehimta, quo vsus est Angelus, idem enim est, ac acceptissima, gratiosissima. Quod totum significat verbum Græcum, præsertim absque articulo positum, non esse hanc feminam gratiosam vna, aut altera gratia, sed omni modo: nam hanc esse vim huius verbi sine articulo, docet Grammaticus Appollonius, lib. 1. de syntaxi, & Epiphanius heresi 9. contra Samaritas. Vnde hæresi 78. ad finem: ea, ait, diximus patrocinantes Kata Panta Kecharitomeni, per omnia gratiosę, velut Gabriel dixit: Aue gratiosa, Dominus tecum. Quia vero nihil gratiosnm est, & acceptum, nisi iuxta gratiæ, ac virtutum magnitudinem, inde est, vt merito Virgo, quæ per omnia gratiosa erat Deo, gratia plena, omnique charismatum genere dicatur referta.

Iustinianus — *Auctor.* — *Salutatio duplici ratione singularis.* — *Apollonius* — *Epiphanius* — *Gratiosa cur Maria.*

8 ISAIA. ISAIAS cap. 7. Et adiecit dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi signũ à Domino Deo tuo, in profundum inferni, siue in excelsum supra: & dixit Achaz,

Isaias de Virginis cõceptu.

Achaz; non petam,& non tentabo Dominum:& dixit,audite ergo domus Dauid,numquid parum vobis est molestos esse hominibus,quia molesti estis,& Deo meo:propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo concipiet,& pariet filium,& vocabitur nomen eius Emanuel. MATHAEVS cap. 1. Hoc autem totum factũ est,vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem:Ecce virgo in vtero habebit,& pariet filiũ & vocabitur nomen eius Emanuel,quod est interpretatũ, nobiscum Deus. AVGVSTINVS serm.5. de natali Domini.Reuolue Maria propheticam lectionem:neque enim te scientia potest præterire librorum,quæ ipsam plenitudinem paritura es prophetarum:recole in libro Isaiæ Prophetæ Virginem quã legisti,& gaude quia tu esse meruisti,tu tibi præsignata es virgo;tu ecce concipies in vtero,non de viro,sed de Spiritu sancto,& grauida eris, & incorrupta manebis,paries filium,& virginitatis non patieris detrimentum. *Mathæus.* *Augustinus*

9 QVOMODO. GREGORIVS Nyssenus Episcopus, in oratione de humana Christi generatione. Audi pudicam virginis vocem,quomodo erit mihi istud, quoniam virum non cognosco, & cetera vt supra cap. 3. num.16. AVGVSTINVS lib. de sancta virginitate cap.4.Ipsa quoque virginitas eius gratior,& acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret,ipse præripuit, sed priusquam conciperetur iam Deo dicatam, & de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba,quæ sibi fœtũ annuncianti Angelo Maria reddidit,quomodo,inquit,fiet istud,quoniam virũ non cognosco;quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vouisset.Et cetera vbi supra.Et homil.14. de natiuitate.Quomodo fiet istud,vt grauescã ex pudico, & castissimo marito,quoniam virum penitus non cognosco,desponsata sum homini iusto,si cum illo non conuenero, vnde erit quod generabo? Sed si poterit fieri, vt concipiam intacta,& generem clausa, indica modum , & paratum inuenies cor meum , omnibus enim modis exopto me ego *Votum suũ proponit angelo* *Greg. Nys.* *Augustin.*

Deo

Deo meo, vt habeam prolem, & non perdam pudorem. *Beda.* BEDA homil. in Euangeliũ Missus est. Quomodo fieri potest vt concipiam, pariamque filium, quæ in castimonia *Metaphras.* virginitatis vitã consumare disposui. SIMEON Metaphrastes, in oratione de vita & dormitione Mariæ. Audi puram vocem Virginis, Angelus partum annunciat, & illa adhæret virginitati, & neque potest Angelo non credere, nec discedit ab his, quæ statuerat. Est mihi, inquit, prohibita cum viro consuetudo: quomodo erit mihi hoc, quoniam virum non cognosco? & cetera vt supra. *Anselm.* ANSELMVS homil. Intrauit IESVS in quodam castellum. Si cuilibet virgini desponsatæ in animo suo disponẽti nubere diceretur, filium habebis, non miraretur, nec interrogaret, quomodo istud fieret; vtpote quæ se desponsatam, & in proximo nupturam sciret, & à viro grauidari vsu naturæ speraret: hoc autem non immerito mirata est Maria, & quomodo fieret quod promittebatur scicitatur, quoniam, quamuis desponsatam, tamen se numquam nupturam, nec virũ cognituram certo sciebat. BERNAR- *Bernardus.* DVS serm. signum magnum. De cetero sane, & virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoq; propositi nouitas euidenter illustrat, quod videlicet in libertate spiritus, legis Mosaicę decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul, & spiritus sanctimoniã vouit: probat enim propositi inuiolabile fundamentũ, quod tã constanter promittenti filium Angelo respõdit: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et serm. 4. de Assumpt. Mariæ. Si rerum precia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est: Quomodo, inquit, fiet istud quoniam virum non cognosco? Immobile propositum virginitatis, quod nec, Angelo filiũ promittente, aliquantulũ titubauit: quomodo fiet istud? nec enim eo modo, quo fieri solet in ceteris virum penitus non cognosco, nec filij desiderio, nec spe prolis. Et homil. 4. super missus est. Quomodo fiet istud? Non dubitat de facto, sed modũ requirit, & ordiné, nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo, quasi

dicat,

dicat, cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ, nõ cognoscere virũ, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito, fiat tamen voluntas tua: sin vero Virgo concipiam, virgo & pariam, quod vtique si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio vere; quia respexit humilitatem ancillæ suæ. *AVCTOR.* Vsus cõmunis est, non tantum, scripturæ sacræ, sed etiã linguis aliis, metonimicos, nomine actionis, præsertim cum negatur, intelligi facultatem ad agendum, siue secundũ naturam, siue secundum mores: nam cum dicitur, non mæchaberis, non furtum facies, perinde est, ac si diceret, non licet tibi mæchari, aut furtum facere. Vnde Genes. 39. 9. quod Hebraice dicitur: Quomodo faciam hoc malum, & peccare in Deum? Vulgatus vertit: quomodo ego possum hoc malum facere? Similiter Genes. 37. 1. Hebraicum, & caligauerant oculi eius à videndo, vertitur, & videre non poterat, & v. 20. quomodo tam cito inuenisti, vertitur, quomodo tam cito inuenire potuisti? Et vulgo de cœco dicitur, non videt, pro non potest videre, de surdo, non audit, pro non habet facultatem ad audiendũ: & hoc in verbo cognosco est manifestum, Genes. 27. 23. & non cognouit eum, idest, non potuit cognoscere, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant, Psalm. 91. 7. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget, hoc est, non poterit cognoscere, nec intelligere. Deuter. 34. 6. Non cognouit homo sepulcrum eius, vsque in præsentem diem, pro non potuit cognoscere. Ierem. 18. 9. Prauum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud, pro, quis poterit cognoscere. Hac simili ratione dixit Virgo, quoniã virum non cognosco, hoc est, nõ possum cognoscere, quia voto sibi id interdixerat: vnde certior facta nõ opus esse viri, sed Diuini Spiritus, qui conseruaturus erat virginitatem, assensit.

Auctor.

Actio per facultate ad agendum solet accipi.

Non cognosco, pro non possum cognoscere.

10 CONSOBRINA. *AVCTOR.* Erant Maria, & Elisabeth duarum sororum filiæ, Annæ, & Esmeriæ, vt diximus supra cap. 1. numero 11. Præterea enim nihil in parti-

Auctor.

particulari de hac cognatione tradunt sancti; tantum affirmant consuetum fuisse misceri tribum regiam cum sacerdotali, atque ea propter Elisabeth, quamuis esset de filiabus Aaron, potuit esse cognata Beatæ Virginis Mariæ, vnde huic iuxta duos modos Maria cognata erat ipsi Elisabeth, nam hæ duæ tribus solæ cõiungebantur inter se, regia sacerdotali, & sacerdotalis regiæ, dixit Epiphanius hæresi 78.

Epiphanius

Conceptus diuinus statim post assensum.

Anastasius

11 CONFESTIM. ANASTASIVS Papa ad Vrsinum in fragmento, quod habetur 2. tomo conciliorum ante Concilium Aruernense. Dignatus est post consensionem sanctæ Virginis, cum dixit ad Angelum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, ineffabiliter sibi ex ipsa ædificare templum. & statim sibi vniuit, quod non coæternum de sua substantia è cælo detulit corpus, sed ex massa nostræ substantiæ, hoc est, ex Virgine hoc accipiens, & sibi vniens, non Deus verbũ in carnem versus est, neque vt phantasma apparens, sed inconuertibiliter, & incommutabiliter suam conseruauit essentiam, & primitias nostræ naturæ sibi vniuit. AVGVSTINVS serm. 2. de Annunciatione. Noli morari virgo, nuncio festinanter responde verbum, & suscipe filium, da fidem, & senti virtutem: ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Nec mora, vertitur nuncius, & virginalem thalamum ingreditur Christus; efficitur subito prægnans beata Dei genitrix, & cuncta per secula prædicatur felix, concepit mox diuinitatem verbi, virilis ignara cõsortij. GREGORIVS li. 18. Moral. cap. 17. Nunciante Angelo, & adueniente spiritu mox verbum in vtero; mox intra vterum verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ est ei cum patre, & cũ sancto Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea viscera, vnde, & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante secula, temporalis posset esse in fine seculorũ, & per ineffabile sacramentum conceptu sancto, & partu inuiolabili secundum veritatem vtriusque naturæ, eadem Virgo, & ancilla Domini esset, & mater. BASILIVS Seleuciæ

Augustin.

Greg. Mag.

Basil. Seleuciæ.

ciæ

ciæ Episcopus in oratione de Deiparæ Annunciatione. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; nec mora, diuinæ conceptionis miraculum in vtero Virginis confectum fuit. DAMASCENVS lib.3.fidei orthodoxæ, cap.2. Post consensum sanctæ Virginis, Spiritus sanctus superuenit in eam, iuxta sermonem Domini, quem dixerat Angelus instruens eam, & virtutem diuinitatis verbi susceptiuam præbuit, simul autem, & generatiuam, & tunc obumbrauit ei Dei altissimi in sua sub sistens hypostasi sapientia, & virtus filius Dei, patri consubstantialis, velut diuinum semen, & construxit sibi ipsi ex castis, & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, non cum semine, sed conditorio opere per Spiritum sanctum. RVPERTVS lib. 1. de operibus Spiritus sancti, cap.9. Vbi bene credula mentem suam, & os suum aperuit, vt diceret: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuũ, mox iuxta dictum Angeli, Spiritus sanctus superueniens in eam per apertas fidei ianuas, se se infudit. Quo autem se se infudit? nimirum in sacrarium pudici pectoris, deinde in templũ sacri, & incorrupti vteri, in domum pectoris vt prophetissam faceret, in vterum vt matrem faceret. EVTHYMIVS Lucæ 1. Discessit ab ea Angelus, simul ac iam per verbum suum conceperat. *AVCTOR.* Quod sanctorũ multi, vt Petrus Episcopus Alexandrinus in Concilio Ephesino, & refertur in Calcedonensi act. 1. sub titulo Nicenę synodi fides, Chrysost. in Lithurgia. Petrus Chrisologus serm. 1. de Annunciatione, Athanasius serm. de Virgine Deipara, Andreas Cretensis, serm. de Annunciatione, Petrus Damianus, sermo. 1. de Natiuitate, affirmãt post angelicam salutationẽ, Aue Maria, Dominus tecum, statim verbum Dei assumpsisse in vtero Virginis naturã humanam, idque esse, dominus est iam tecum; explicari eos oportet de integro Angeli sermone locutos, vsque ad Virginis assensum, nã & post hæc verba, Dominus tecũ, Angelus de futuro locutus est, ecce concipies; quia reuera nondũ conceperat. Idq; patet

Damascen. Rupertus. Euthymius. Auctor. Petrus Ale. Chrysost. Chrisolog. Athanasius. Andreas Cretens. Damianus.

ex Augustino, qui libro de symbolo ad Cathecum, cap. 5.
Augustin. ita loquitur: Quando Angelus istam Virginem salutauit, tunc eam Spiritus sanctus fœcundauit, tunc illa femina virum sine viro concepit, tunc est repleta gratia, tunc dominum suscepit, vt esset in ea qui fecerat eam: & tamen, vt supra retulimus, aperte dicit post illa verba: Ecce ancilla
Nicephor. Domini, verbum caro factum. Similiter, & Nicephorus lib. 1. histor. cap. 8. est intelligendus.

In Christi cõceptu nulla voluptas carnis. *Origenes.*

12 ABSQVE VOLVPTATE. ORIGENES homil. 1. indiuersos. Audite omnes filiæ Euæ, audite omnes vos, quę hereditatem doloris, & tristitiæ post illam, & ex illius condemnatione sumpsistis, vos quæ in tristitia generatis filios, vel magis vos, quæ concupiscentiam corruptibilem non timuistis, audite, & lætamini, audite, & consolamini: audite quod Virgo in vtero accipiet, nõ ex desiderio partum concipiens, quæ nec persuasione serpentis decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta. A V
Augusti. G V S T I N V S in Enchiridio cap. 34. Nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse, sed naturę ab omni peccati nexu omnimodo liberæ, non qualis de vtroq; sexu nascitur per concupiscientiam carnis, cũ obligatione delicti, cuius reatus per regenerationem diluitur, sed qualem de Virgine nasci oportebat, quem fides matris non libido conceperat. Et serm. 11. in Natiuitat. Domini. Angelus sermonem eiecit, & Christũ virgo concepit: O cõiunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, & vxor auricula. Hoc splendore concipitur Dei filius, hac mũditia generatur: nulla fieri potuit grauedo cõcipienti, nulla tristitia parturienti. Et serm. 14. in eodem festo. Ita te virtus altissimi obumbrauit, vt nec æstũ patiaris libidinis, &
Andreas Cretens. mater sis creatoris. A N D R E A S Episcopus Ierosolimytanus, sermone de Annunciatione. Non carnis interuenit voluptas matris Dei partui; naturæ quippe terminos superat, non passio vlla circa partũ deorsum, quoniã nec circa generationem sursum subsecuta est. Et infra. Virtns altissimi obumbrabit tibi, vmbraculum ineffabile, per se efficax in ipsa, pro incarnationis ratione, secundum quam

inuio-

inuiolabiliter corporis templum in libero à passionibus Virginis vtero, omni expurgata materiali molestia, & affe ctione. DAMASCENVS lib. 4. fidei cap. 15. Cuius voluptas non præcessit, nec pariendi dolor subsequutus est. BEDA in primum Lucæ. Erit in te conceptio, libido non erit, coucupiscentiæ non erit æstus, vbi vmbram faciet Spiritus sanctus. Et homilia de Assumptione. Obũbrauit Beatæ Dei genitrici virtus altissimi, quia Spiritus sanctus cor illius cum impleuit, ab omni æstu concupiscentiæ carnalis temperauit, emundauit à desideriis temporalibus; ac donis cælestibus mentem simul illius consecrauit, & corpus. Et homilia de Visitatione Mariæ. Maxime beatam Dei genitricem ea verba proferre decebat, quæ meriti priuilegio singularis spirituali ipsius dilectione flagrabat, cuius corporali conceptione gaudebat; quæ iure in IESV, idest, in salutari suo spirituali præceteris sanctis gaudio potuit exultare, quia quem perpetuum salutis auctorem nouerat, hunc ipsum temporali ortu de carne sua nasciturum esse sciebat. HAYMO Episcopus super Lucam. Adueniens Spiritus sanctus vmbram fecit Mariæ, quia omnem calorem concupiscentiæ carnalis ab illa abstulit, vt post modum nullam passionem, quam habent virgines, inde haberet. BERNARDVS sermone de Beata Maria. Signum magnum. Iure illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ muliores laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate consensit: vnde & in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimum ceteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, vt Elisabeth ministraret. Et Epistol. 174. Ex tolle nescientem, vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem.

Damascen. *Beda.* *Haymo.* *Bernardus.*

13 SANGVINIS. SOPHRONIVS Patriarcha Ierosolym. Epist. synodica in 6. synodo act. 11. Ex inuiolabili namq; & virginali sanguine sanctę, atq; immaculatæ Virginis Mariæ verbum vere factum est incarnatum,

Ex sanguine virgineo conceptus Christus. *Sophronius.*

Damascen. & veraciter homo. DAMASCENVS lib. 3. fidei, cap. 2. Tunc obumbrauit ei Dei altissimi in sua subsistens hypostasi sapientia, & virtus, filius Dei; & construxit sibi ipsi ex castis, & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali: & lib. 4. cap. 15. Suppeditauit creatori creari, & plasmatori plasmari, & filio Dei, & Deo incarnari, & humanari ex puris, & illibatis carnibus eius, & sanguinibus, primæ matris absoluens debitum.

Theophyl. THEOPHYLACTVS Luc. 1. cópacta ex sanguinibus semper Virginis carne.

Christi corpus in momento efformatum. Ieremias. Cyprianus. 14 MOMENTO. IEREMIAS cap. 31. 22. Creauit Dominus nouum super terram, femina circumdabit virum. CYPRIANVS sermone de Christi natiuitate. Nouum faciet dominus super terram, mulier circundabit virum: quem nos paruulú, propheta nuncupat virum, insinuans, ei numquá defuisse virtutem; sed semper virilis ętatis afluisse fortitudinem, quę infantilis infirmitas occultabat.

Sophronius. SOPHONIVS sermo. de Assumptione Mariæ. Circumdedit virum in vtero, sicut Ieremias sanctus testatur, & non aliunde accepit: faciet, inquit, Dominus nouum super terram, & mulier circumdabit virum; vere nouum, & omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum, quando Deus (quem ferre nó potest mundus, neq; videre aliquis vt viuere possit) sic ingressus est hospitium ventris, vt corporis claustrum nesciret, sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset.

Bernardus. BERNARDVS homil. 2. super missus est. Nouum creauit Dominus super terrá, femina circumdabit virum. Quæ est hęc femina? Quis vero iste uir? Aut si vir quomodo à femina circum datus? aut si à femina circúdari potest quomodo vir esset? Vt apertius dicam; quomodo potest & vir esse, & in vtero matris? Et infra. Cui iam illud quoq; quod quærebam non occurrat, numquid nó facile tibi est feminam agnoscere virú circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum à Deo IESVM suo vtero circumplectétem? virú auté dixerim fuisse IESVM, non solú iam cú diceretur vir Propheta, potens in opere, & sermone; sed etiá cú tenera adhuc in-

fantis

fantis membra Dei mater blando, vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero. Vir igitur erat IESVS, nec dum etiam natus, sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Nec enim non minus habuit sapientiæ, vel potius non minus fuit sapientia IESVS conceptus quam natus, paruus quam magnus. ANGELVS Mathæi cap. 1. 20. Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est. BASILIVS Magnus, homilia de humana Christi generatione. Hinc deprehendi licet, quod non secundum communem modū carnis constitutio domino fuit; conceptum namque illico perfectum fuit, non per interualla paulatim formatum, vt plane verba declarant; nō enim dicit, quod in ea conceptum est, sed quod in ea natum est. AMBROSIVS lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento, cap. 7. Et ideo cum susceperit carnē hominis, consequens est, vt perfectionem Incarnationis, plenitudinemque susceperit; nihil enim in Christo imperfectum. Et infra. Sicut carnem nostram, ita & animam nostram perfectam naturæ humanæ assumptione suscepit. AVGVSTINVS Epistol. 3. ad Volusianū. Ipsa magnitudo diuinæ virtutis animā sibi rationalem, & per eamdem corpus humanum, totumq; omnino hominem in melius mutandum coaptauit. Quod si autem mox quod conceptum erat animatum fuit, ergo etiam fuerat corpus figuratum, omnibusq; suis membris, & organis distinctum: nā ante huiusmodi figurationem anima corpori non infunditur, vt omittamus informe corpus à diuinitate assumi non fuisse conueniens. THEODORETVS dialogo 2. Quando autem dicis factā esse vnionem? Ego dico statim in ipsa conceptione; formata enim est (humanitas) post salutationem angelicam, formationi autem coniuncta est vnio. FVLGENTIVS lib. de fide ad Petrū cap. 18. Firmissime tene, & nullatenus dubites, non carnē Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis, prius quam susciperetur à Verbo, sed ipsum Deum verbum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem verbi

Angelus. Basilius. Ambrosius Augustin. Theodoret. Fulgentius.

incarnatione conceptam. Et lib. de Incarnatione, capit. 3. ad finem. Nec cero sine verbi Dei vnitione potuit aliquatenus, nullius viri coitu seminata, in intimo vuluæ virginalis innasci. Non est igitur aliquod internallum temporis, æstimandum inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ maiestetis aduentum. SYNODVS quinta Constantinopolitan. apud Nicephorum lib. 17. histor. cap. 28. Si quis dicit, aut sentit prius formatum esse corpus Domini nostri IESV Christi in vtero Virginis sanctæ, & deinceps vnitum esse ei Deum verbum, atque animam, vt quæ prius extiterit, anathema sit. GREGORIVS Magnus, lib. 9. epistolarum, cap. 61. ad Quirinū Episcopum. Non prius in vtero Virginis caro concepta est, & post modum diuinitas venit in carnem, sed mox vt verbum venit in vtero, mox verbum seruata propria virtute naturæ factum est caro, & perfectus homo, idest, in veritate carnis, & animæ rationalis, natus est per vterum Virginis vnigenitus filius Dei; vnde, & vnctus præparticipibus dicitur, sicut Psalmista ait, vnxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ præconsortibus suis: vnctus quippe est oleo, dono videlicet Spiritus sancti, sed præconsortibus vnctus est, quia omnes nos prius peccatores homines existimus, & post modū per vnctionē sancti Spiritus sanctificamur; ipse autem qui existens Deus ante secula per sanctum Spiritum in Virginis vtero homo conceptus est, in fine seculorum, ibi ab eodem spiriru vnctus est, vbi cōceptus, nec ante conceptus, & post modum vnctus est; sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi à sancto Spiritu vngi fuit. SOPHRONIVS Patriarcha Ierosolymitadus, in Epistola Synodica, in 6. Synod. Constantinopol. actione 11. Incarnatur ergo verbum Deus, quod nostrum est, non præfactæ carni copulatus, præformato ve, atq; in se se præsubsistenti aliquando corpori conlinitus, vel animæ præexistenti cōiunctus; sed tunc his ad subsistendū venientibus, quando eis ipsum verbū, & Deus naturaliter copulatus est, contemporalem habens vnionem; atque subsistentiam, & non ante verissimum ipsius verbi

Synodus 5. Constantinopolitano.

Greg. Mag.

Sophronius Ierosolimit.

conuen-

conuentum in se ipsis vnquam extiterunt, vel cuiuspiam secundum nos alterius hominis, penitus extiterunt, sed cum verbi ipsius naturali conuentu subsistentiam habitura concurrerunt, & nec quantum in ictu oculi hanc, quam illam priorem habentia, sicut Paulus Samosatenus perstrepit, atque Nestorius; simul quippe caro, simul Dei verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei verbi caro animata rationalis, in illo itaque, & non in semetipsa habuit existentiam vnã. Cum conceptu quippe verbi hæc ad subsistendum prolata sunt, & secundum subsistentiam ei vnita sunt, quando ad subsistendum prolata sunt. Quæ certe vera est, & inseparabilis, quæ nec diuisionem perpetitur, nec mutabilitatem, aut confusionem admittit ab ipso prolata, & in ipso consistentia, & ab ipso composita, nullumque prorsus tempus proprie constitutionis tulerunt, quod inconfusam, atque inseparabilem ad eum compositionem præcederet. DAMASCENVS lib. 3. fidei cap. 2. Contraxit sibi ipsi ex castis, & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, nec cum semine, sed conditorio opere per Spiritum sanctum; non paulatim per additamenta expleta figura, sed vno coutextu absoluta. Ipsum Dei verbum carni suppositum, hypostasisque est. Non enim ei, quæ secundum se ipsam ante subsisteret, suppositumque esset, vnitus est Deus verbum, sed sanctæ inhabitans virginis vterum, incircumscripte in sua hypostasi supposito, subsistentia, persona, ex castis semper Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali sustentauit; primitias assumens humanæ conspersionis, ac massæ, ipsum verbum carni factum hypostasis. Quare simul caro. Et Dei verbi animata caro rationalis, & intellectualis. Quamobrem non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum. Et cap. 12. Ipsum verbum caro factum est, conceptum ex Virgine, præueniens quidem, & assumptione Deus, & ipsa iã ab ipso deificata, quasi tribus simul factis, vna cum deductione eius adesse, assumptione

Damascen.

existen-

existentia, & deificatione eius à verbo. Et sic intelligenda, & dicenda Deipara Virgo, non solum propter naturã verbi, sed etiam propter deificationem humanæ carnis: quorum simul conceptio, & existentia, miro operata sunt modo; conceptio quidem verbi, carnis autem in ipso verbo existentia; ipsa Dei matre ineffabiliter suppeditante plasmationem plasmatori, & humanationem Deo factori vniuersi, & deificanti, quod assumpsit, saluante vnione ea quæ vnita sunt, talia qualia vniebantur; non quidem diuinum dico solum, sed id quod humanum Christi, & quod super nos, & quod secundum nos: nec enim factum prius secundum nos, posterius factum supra nos, sed semper ex præcipua hypostasi ambo subsistere, propter ea quòd ex ipso conceptionis articulo, in ipso verbo existentiam habuit. EVTHYMIVS Math. 1. quod enim in ea genitum est. Formatum in ea genitum dixit, vt discamus non paulatim, modo seminis, formatum esse, sed repente quantum ad formationem perfecte factus est.

Euthymius.

Charismata Virgini conceptu filij collata.

15 QVAM COPIOSA. ORIGENES hom. 7. in Lucam. Spiritu sancto tunc repleta est Maria, quando cœpit in vtero habere saluatorem; statim enim, & Spiritum sanctum accepit dominici corporis conditorem, & filius Dei esse cœpit in vtero, etiam ipsa repleta est Spiritu sancto. SOPHRONIVS sermone de Assumptione Beatæ Mariæ. Beata, & gloriosa virgo Maria, quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cælo sunt, virginibus, vt decenter posset in se suscipere diuinitatis admistionem, salua vtraque natura, tamen cum gratia repletur, cum Spiritu sancto perfunditur, cum virtute altissimi obumbratur, fit preciosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum, ita vt nullis iam vsibus sit ipsa, eademque mancipanda nisi diuinis. SOPHONIVS Patriarcha Ierosolymitanus, in Epistola synodica in 6. Synodo actio. 11. Ideo virgo sancta accipitur, & anima corpusq; sanctificatur, quæ ita ministrauit in incarnatione creato-

Origenes.

Sophronius.

Sophronius Ierosolym.

creatoris vt munda, & casta, atque incontaminata. BEDA homilia de visitatione Mariæ. Quis dicere, quis æstimare sufficiat, quæ tunc gratia spiritum Deigenitricis repleuit? cum tanta in matre præcursoris lux doni celestis emicuit? PETRVS Damianus sermone de Assumptione Mariæ. Vniuersus puluis pigmentarius in virgine proiectus est, quando in ea virtutum conuentus, reuerendũ sibi thalamũ consecrauit: &, si ceteris per partes spiritus adfuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ superuenit. RVPERTVS in Math. cap. 1. Datum hoc Beata Maria prima omnium mortalium accepit in ipsa hora conceptionis, dicente angelo: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrauit tibi, ideoq; & quod nascetur ex te sanctũ vocabitur filius Dei: reuera vt omnino sanctum esset, quod ex ea nasceretur, oportebat ipsam sanctificari; nec vero solum hoc tunc accepit spiritus datum, verumetiam illud alterum, quod est diuisio gratiarum, videlicet ita vt operationem virtutum omnimodam, maximeque fidem, & prophetiam, siue omnem haberet propheticam gratiam; nam ipsa est prophetissa illa, de qua dicebat Isaias, & accessi ad prophetissam, & cõcepit, & peperit filium. *AVCTOR*. Præter hæc, infinita passim reperiuntur in sanctis, quæ virginis concipiẽtis illustrant dignitatem; sed ad compendium eis omnibus redactis ex vno hoc principio cetera deducentur facile, virginem Mariam esse matrem Dei, est dignitas quædam infinita, quia non potest esse mater filii excellentioris quam Dei, sicut proportione seruata, humanam Christi naturam vnitam esse filio Dei hypostatice est dignitas infinita, quia vniri non potest excellentiori supposito quam diuino. Hinc Petrus Damianus sermone de natiuitate Mariæ dixit, Deum tribus modis esse in creaturis, quarto vero per identitatem in virgine, quia idem est quod ipsa; & Anselmus lib. de excellentia B. Virginis cap. 2. Quamuis hoc solum de sancta virgine, prædicari quod Dei mater, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest. Ex hoc principio deducitur alterum,

Beda. *Damianus.* *Rupertus.* *Auctor.* *Dei matris dignitas infinita.* *Damianus.* *Anselmus.*

terum, vt quemadmodum ex vnione humanitatis Christi cum verbo colligimus naturali quadam cõsecutione datam esse illi infinitam gratiam capitis, & impeccabilitatẽ, & omnem rationem merendi, & satisfaciendi pro hominibus, tamquam mediatori, & redemptori: & omnẽ scientiam, & cognitionem eorũ, vsq; ad cogitationes; Deniq; omnia charismata tanto vberius, & excellentius quã aliis, quanto excellentius nomen capitis hereditauit, quã mẽbra, & nomẽ filii, quam ministri eius angeli, vel homines: sic etiam fateamur quasi naturali quadam consecutione ex matris dignitate debitã, illi immensam quamdam gratiã, qua facta est Dei, gratia impeccabilis, aduocata, mediatrix, & redẽptrix omniũ hominũ; & cognitio eorũ omnium requisita, & tam copiosa afluentia charismatum, & donorum supernaturalium, quanto excellẽtior est mater serui, & propinquior verbo, quam ceteri tam angeli quam homines. Iuxta hoc recte Methodius oratione de purificatione. Euge, ait, euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur; Deo enim vniuersi debemus, tibi autem etiam ille debet; proinde qui dixit honora patrem tuum, & matrem tuam, vt is decretum à se promulgatum obseruet, & alios excederet, omnem matri, & gratiam & honorem impendit: & Cyprianus sermone de natiuitate Christi, Matri plenitudo gratiæ debebatur. Ex hoc fonte deriuatur & illud tam certum quam commune sanctorũ axioma; nullum gratiæ donum fuisse vnquam sanctorum alicui concessum, quod matri virgini non fuerit largius, vberiusque tributum; ceteris namque per partes, Mariæ autem se totam infudit gratiæ plenitudo, sic Sophronius sermone de Assumptione, Petrus Chrisologus sermone 143. Petrus Damianus, & Laurentius Iustinianus sermone de Assumptione: & quod vel paucis Mortalium constat esse collatum, non est fas suspicari tantæ virgini fuisse negatum inquit Bernardus Epistola 174. Et Idiota lib. de coutemplatione Beatæ Mariæ cap. 2. Damascenus oratione 1. de dormitione virginis. Ex hoc axiomate possumus quæcumque charismata, quæcumque priuilegia aliis

Matris dignitatẽ charismata immensa consequuntur.

Methodius

Cypria.

Sophron.

Chrisolog.

Damian.

Iustinianus

Bernard.

Idiota.

Damasce.

siue

ſiue angelis, ſiue hominibus collata nouerimus, virgini conceſſa demonſtrare. In primis tantum ei collatam gratiæ plenitudinem, vt excеſſerit gratiam omnium in eius ſanctificatione; & in filii conceptione tantam fuiſſe, vt dixerit Bernardinus Senen. ſermone. 50. Si terminus tam ineffabilis conſeuſus virginis fuit ſuo merito proportionatus, oportet quod meritoria perfectio huius conſenſus fuerit perfectioni ſui termini proportionatus, ex his ergo, inquit, colligi poteſt, quod virgo beata in conceptionis filii Dei conſenſu, plus meruerit quam omnes creaturæ tam angeliq; homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus ſuis. Deinde ea gratia factam fuiſſe impeccabilem eam, quæ poſſet ſua natura peccare, quia Adam, & Eua creati ſunt in gratia, & angeli ſancti numquã peccauerunt. Deinde ſi concedimus Ioãni cum ſanctificatus eſt vſum rationis, & virgini concedendũ, ſimiliter ſi Moyſes & Paulus vidiſſent Deum in ſe, vidiſſe & virginem aliquando; ſi ſancti aliqui meruerunt colloquium augelorũ, per illoſq; myſteria reuelata, & alimenta quandoq; præbita, & hoc virgini non denegandum: ſi ſunt aliqui ad munus aliquod diuinitus deſignati, vt Aaron ad ſacerdotiũ flore virgæ, nimirum ſi Ioſeph ſit diuina ſorte deſignatus ſponſus virgini. Demun ſi aliis ſanctis data eſt gratia ad procurandam ſalutem multorum hominũ, virgini quoq; conceſſam, vt ſicut eſt omnium regina, ſic ſit omnium patrona, & aduocata, vt ait Idiota lib. 1. cap. 1. & ita ei tãquã mediatrici cura eſt de omnibus, vnde Doctor Angelicus opuſculo. 8. de ſalutatione angelica, magnum eſt in quolibet ſancto, inquit, quando habet tantum de gratia, quod ſufficit ad ſalutem multorum, ſed quando habet tantum, quod ſufficeret ad ſalutem omnium hominum de mundo, hoc eſt maximum; & hoc eſt in Chriſto, & B. Maria, quia in omni periculo potes habere ſalutem per Mariam, & in omni opere virtutis adiutorium. Simili ratiocinatione colligi & alia poſſunt, vt ſuo quæq; loco & à nobis ſunt explicata, & explicabuntur.

Bernardin.

Mariæ meritum ſupra omnes angelos, & homines.

Idiota.

Aduocata, & mediatrix homines inter, & filium.

S. Thomas.

Gratia data Mariæ.

MARIA INVISIT *Elisabetham: & reuersa grauida reperitur à Iosepho.* *Cap. VI.*

1 MOX vt angelus discessit, Maria profecta est cum festinatione in montanam regionem, in insignem illam ciuitatem Iuda, sacerdotum domicilium, nomine 2 Hebron, viginti duobus millibus versus Austrum distantem ab Ierusalem, vt Elisabethæ consobrinæ suæ fœtum diuinitus, senectutem iam dudum ingressæ, datum congratularetur: Quò vt peruenit, intrauit Domum Zachariæ,& 3 more gentis prodeuntem obuiam salutauit Elisabetham. Audita salutatione, infans vtero eius cõclusus, Dominum 4 se sanctificantem 5 sentiẽs præsentem, suaque se virtute attingentem, præ gaudio exiliit; quod vt sensit mater eius Spiritu sancto & ipsa repleta, magna voce exclamans dixit. Benedicta tu inter mulieres,& benedictus fructus ventris tui,& vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me: ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exiliit præ gaudio infans

in vtero meo, & tu beata, quæ credidisti angelo, quoniam perficientur vere, quæ dicta sunt tibi à Domino. His Maria ad gratias Deo agẽdas excitata, Magnificat, ait, anima mea Dominum, & exultat spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit ad me humilem ancillam suam; Ecce enim ex hoc non tu sola, sed generationes omnes me beatam prædicabunt, quia fecit mecum magnalia qui potens est, cuiusque est nomen sanctum; qui suam misericordiam, non in me solam, sed in omnes succedentes generationes pie colentium se, liberaliter diffundet; qui multa sua virtute potenter operatus est, disperdens superbos seu de se magnifice sentientes, & potentes de sedibus suis deturbans, & humiles exaltans: esurientes, & indigos cumulans bonis, & diuites inanes dimittens: suscepit Israel seruum suum, memor suæ misericordiæ, quam pollicitus fuit in secula exhibendam Abraham, ac posteris eius. Mãsit autem Maria cum Elisabetha tres circiter mẽses, vt suis colloquiis, & amicis obsequiis subleuaret anum; ac diuini verbi tam longa præsentia & spiritualibus accessionibus Elisabethæ infans in dies cum ætate augeretur magis. Reuersaque tandem est Nazaretham

in

in domum suam, 7 antequam tempus partus appeteret, quo Ioannes in lucē ederetur.
8 Paulo post accessit & Iosephus Bethlehemo, 9 vt nuptias cum spōsa de more solenniter celebraret. Eam cum sępius, ac familiarius inuiseret, ex vteri tumore grauidam deprehendit, certus nullum sibi cum ea cōnubialem intercessisse congressum: 10 Ignorabat enim opus illud Spiritus sancti esse, propter absentiam. Quare anxius, ac solicitus, cū pro insigni, qua pręditus erat iustitia, ac pietate, nollet virginem infamare, decreuit clanculum ab ea diuertere. Sed dū his cogitationibus Iosephi animus valde solicitaretur, ecce Domini Angelus 11 Gabriel per somnium apparuit ei dicens, Ioseph fili Dauid, ne metuas celebrare nuptias, & accipere Mariam tibi in vxorem, nam fœtus in illa conceptus à Spiritu sancto profectus est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet à peccatis populum suum. Excitatus Ioseph à somno, fecit quod iniunxerat ei angelus Domini, & 12 accepit in vxorem sponsam suam, neque vnquam cum ea congressus est. Itaq; illa perpetuo virgo permansit.

Testi-

Testimonia.

1 MOX. D. LVCAS cap. 1. 38. & discessit angelus ab ea. Exurgens autẽ Maria in diebus illis abiit in mõtana cum festinatione. ORIGENES hom. 7. in primum Lucę. Maria statim vt audiuit angelum nunciantem quod conceperit Saluatorem, & quod cognata illius Elisabeth haberet in vtero, cõsurgens cum festinatione, venit in mõtana. AMBROSIVS lib 2. in Lucã. Angelus cũ abscondita nunciaret, & fidem adstrueret, exemplo senioris feminæ, sterilisq;, conceptum virgini Mariæ nunciauit, vt possibile Deo omne quod ei placuerit assereret. Vbi audiuit hoc Maria, nõ quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nũcio, nõ quasi dubitãs de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. TITVS Bostrensis Episcopus in primum Lucę. Quin ipsa sanctissima virgo earum rerum, quas ab angelo didicerat euẽtum cognoscere auida, statim ad mõtana, vbi Zacharias sedes habebat ad Elisabeth se contulit. BEDA in primũ Lucæ. Accepto virginis consensu mox angelus cælestia repetit; illa petit mõtana, festinat inuisere Elisabeth. THEOPHYLACTVS Luc. 1. cũ accepisset ab angelo quod cõcepisset Elisabeth, statim abiit ad illã. *AVCTOR*. Cũ sexto iam mense grauida esset Elisabeth, quãdo & virgo concepit, & tres fere menses cũ illa mansisset, & ante illius partũ reuersa esset, qui nono mense contigit, vt postea probabimus, certum efficitur Mariam cepisse viã statim, ac angelus discessit, vigesimosexto, aut 27. die Martii, à quo ad 24. Iunii, quo natus est Ioannes, tres circiter menses intercedunt.

Maria statim profecta ad Elisabeth.
Lucas.
Origenes.
Ambros.
Titus.
Beda.
Theophyl.
Auctor.

2 HEBRON. IOSVE 11. cap. ver. 21. In illo tempore venit Iesus, & interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Iuda. Et c. 20. 1. Et locutus est Dñs ad Iosue dicens, loquere filiis Israel, & dic eis, separate vrbes fugitiuorum. v. 7. decreueruntq;

Hebron ciuitas Iuda Zachariæ domiciliũ.
Iosue.

cedes in Galilæa montis Neptali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipsa est Hebron, in monte Iuda. Et cap. 21. 8. dederunt filii Israel leuitis ciuitates, & sub vrbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sortes tribuentes: de tribubus filiorum Iuda; & Simeon, dedit Iosue ciuitates, quarum ista sunt nomina: filiis Aaron per familias Caath Leuitici generis, (prima enim sors illis egressa est) Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Iuda, & sub vrbana eius, per circuitum; agros vero, & villas eius dederat Caleb filio Iephone, ad possidendum: dedit ergo filiis Aaron sacerdotis, Hebron confugii ciuitatem, ac sub vrbana eius.

Paralip. Liber. 1. Paral. 6. 54. Et hæc habitacula eorum per vicos, atque confinia, filiorum scilicet Aaron, iuxta cognationes Caathitarum, ipsis enim sorte contigerant. Dederunt igitur eis Hebron in terra Iuda, & subvrbana eius, per circuitum.

Paralip. Liber 1. Paralipom. 24. 1. Porro filiis Aaron hæ partitiones erant: filii Aaron Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. Mortui sunt autem Nadab, & Abiu ante patrem suum absque liberis, sacerdotioque functus est Eleazar, & Ithamar, & diuisit eos Dauid, idest, Sadoc de filiis Eleazari, & Abimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas, & ministerium. Et ver. 5. Porro diuisit vtrasq; inter se familias sortibus, erant enim principes sanctuarii, & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar. Descripsitque eos Semeias, vnam domum quæ ceteris præerat Eleazar, & alteram domum, quæ sub se habebat ceteros Ithamar. Exiuit autem sors prima Ioiari; octaua Abia.

Sortes sacerdotum.

Zacharias de octaua sorte Abiæ. LVCAS cap. 1. 5. Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia. Et v. 39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ.

Iosephus. Hebrō vrbis antiquitas. IOSEPHVS 1. Antiquitat. cap. 16. Sumens Abraham partem à Loth relictam, habitauit in ciuitate Hebron, quæ est antiquior annis septem ciuitate AEgyptia Prothanide. Et lib. 5. de bello Iudaico cap. 7. Hebron indigenæ ferunt nō eius terræ modo ciuitatibus,

tatibus, verum etiam AEgypti Memphi antiquiorem, de-
nique duo millia, & trecenti eius connumerantur anni:
hoc autem narrant) Abraham quoque parenti Iudæorum
fuisse domicilium, postea quam Mesopotamiæ sedes reli-
quit; eiusque posteros, hinc ad AEgyptú esse profectos:
quorum etiam nunc monumenta extant in eadem ciuita-
te, è peroptimo marmore liberaliter fabricata. Cernitur
autem sexto ab oppido stadio arbor maxima Terebin- *Terebin-*
thus, eamque memorant ab initio mundi creati nunc vsq; *thus mira*
durare. EGESIPPVS lib. 4. de excidio Ierosolym. *arbor*
cap. 2. fertur Chebron antiquissima, non solum Palesti- *Egesippus.*
næ vrbium ciuitas, sed etiam omnium, quæ sunt in AE-
gypto à vetustis condita, vt etiam Memphim, quæ anti-
quissima habetur, posteriorem plerique existiment. Fue-
re etiam qui habitasse in ea patriarcham Abraham dixerunt,
posteaquam de Mesopotamia Syriæ profectus AEgyptú
petiit, filiosque eius illic sepulcrum habere pulcherrimo
extructum marmore, & opere elegantissimo, septimo à
ciuitate stadio. Terebinthus illic magna arbor à consti- *Terebinth.*
tutione mundi fuisse asseueratur. HIERONYMVS *Hieronym.*
Epistola 27. in Epitaphio Paulæ. Atque inde consurgens
ascendit Chebron, hæc est Cariatharbe, id est, oppidum
virorum quatuor. In quæstionibus in Genesim in cap. 23.
dicitur Arbee, hoc est, quatuor, quia ibi Abrahā, Isaac,
& Iacob conditus est, & ipse princeps humani generis
Adam. Et quæst. in 35. Genesis venit Iacob ad Isaac patrē *Adam in*
suum in Mābre ciuitatem Arbee, hæc est, Chebron. Pro Ar- *Hebron se-*
bee in septuaginta campum habet, cum Chebron in mon- *pultus.*
te sita sit. Eadem autem ciuitas dicitur & Mambre ab ami-
co Abrahæ ita antiquitus appellata. Et de locis Hebrai-
cis litera A. Arboc, id est, quatuor; seu quod ibi quatuor
Patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob sepulti sunt, & Adam
magnus, vt in Iosue libro scriptum est, licet eum quidam
conditum in loco Caluariæ suspicentur. Hæc est autem
eadem Chebron, olim Metropolis Philisthinorum, & ha-
bitaculum gigantum, regnumque postea Dauid in tribu
Iuda ciuitas sacerdotalis, & fugitiuorum, distat ad meri-

Hebron distat ab Ierusalem 22. millibus.

dianam plagam ab Elia millibus circiter viginti duobus. Quercus Abraham, quæ est mamre vsque ad Constantii regis imperium monstrabatur: & Mausoleum eius in præsentiarum cernitur: cumque à nobis iam ibidem ecclesia

Quercus Mābre antiquitas.

ædificata sit, à cunctis in circuitu gentibus, Terebinthus superstitiose colitur, quod sub eo angelos Abrahā quondam hospitio susceperat. Hæc ergo primum Arbeæ, postea à Chebron vno filiorum Caleb, sortita vocabulum est. Et litera C. Chebron, quæ quondam appellabatur Arbeæ cōdita est ante septem annos, quam Tanis vrbs AEgypti conderetur. Fuit autem & Metropolis EnaKim, quos gigantes, & potentes intelligere debemus. Et litera

Terebinthus, quercus Mābre.

D. Driis, id est, quercus Mambræ, iuxta Chebron, in qua iuxta ætatem infantiæ meæ, & Constantii regis imperium, Terebinthus monstrabatur per vetus, & annos magnitudine indicans, sub qua habitauit Abraham. Miro autem cultu ab Ethnicis habita est, & velut quodam insigni nomine consecrata. Et litera E. EnaKim, & in hac interfecit Iesus EnaKim gigantes de regione montana in Chebron; sed mihi non videtur nomen esse loci, sed habitatorum Chebron.

Beda.

Hebron distat ab Ierusalem 22. millibus.

BEDA lib. de locis sanctis capite 9. Chebron in campi latitudine sita est, & ab AElia viginti duobus millibus separata; vno ad orientem stadio speluncam duplicem in valle habet, vbi sepulcra Patriarcharum, quadrato muro circundantur, capitibus versis ad aquilonem.

Auctor.

Hebron sola in montanis Iuda.

AVCTOR. Hæc idcirco à me tam late sunt confirmata, ne dubitandi vllus relinquatur locus, cum ex scriptura constet Chebron sitam in regione montana Iuda; & sacerdotibus Aaronis filiis designatam fuisse ad habitandum; cuiusmodi erat Zacharias, nullamque aliam in regione montana Iuda. Eratque multis nominibus, vt ex dictis constat, insignis, ideoque notissima; & propterea anto-

Hebron per antonomasiam ciuitas Iuda.

nomatice dicta est à Luca ciuitas Iuda. Erat ergo sita in montana regione tribus Iudæ, versus Austrum, viginti duobus millibus, hoc est quinque leucis nostris, cum dimidia, distans ab Ierusalem vt dixit Hieronymus, &

Beda, vix vnius diei iter plenum: vt ait idem Hieronymus, de quercu mambræ vsque ad montem Moria quæstio.6.in cap.22. Genesis vigesimo ab eadem Chrebron milliario. Vergens ad Austrum in tribu Iuda sita est Bersabeæ eodem auctore de locis Hebraicis, in Bersabeæ. Versus Orientem decimo lapide à Chebrion est Carmelus, vbi quondam Nabalcarmelus fuit, & nũc villa est Carmelia nomine, vbi etiam Romanum præsidiũ est positũ, Hierony. in Carmelus. A Septemtrione habet Ierosolymam vt diximus, & in via ab Ierosolyma ad Chebrom, sexto ab Ierosolyma millario, contra meridianam plagã, iuxta viam, quæ ducit ad chebron, est Bethlehem ciuitas Dauid, in sorte tribus Iudę, in qua Dominus noster, & Saluator natus est, eodem autore in Bethlehem; est & Bethsur, aut Bethsoron vicus euntibus ab AElia Chebron in 20. lapide, iuxta quem fons ad radices mõtis ebulliens ab eadem, in qua gignitur, absorbetur humo, & apostolorũ acta referunt, Eunuchũ Candacis reginæ in hoc esse baptizatũ à Philippo. Aim in tribu Iuda vrbs sacerdotibus separata, inquit Hierony. Ibi, est & vsque hodie villa Bethẽnim nomine, in 2. lapide à Terebintho, hoc est, à tabernaculo Abrahã, quatuor millibus à Chebron. Qui ergo dicunt vt Paula, & Eustochium Epistola 17. ad Marcellam apud Hierony. ca. 2. & Georgius Cedrenus, in cõpendio historiæ, quẽ supra 3. c. nu. 15. retulimus, Zachariã domũ habuisse Ierosolymis, in qua habitabat, quando vxor eius visitata est, falso id quidem dicunt, tum quia Ierosolyma non est in regione montana tribus Iudæ, sed in tribu Beniamin: tum quia nec erat ex vrbibus designatis sacerdotibus ad habitandum, tum denique quia semper solet in scriptura nominari. Similiter qui in campestribus constituunt, vt Brocardus parte 1. descriptionis terræ sanctæ cap. 7. §. 68. nouem leucis à Chebron distantem, facile refutantur, quia ex Euangelio constat ciuitatem illam in montana sitam regione, non in campestribus. Quantum autem itineris confecerit virgo in hac visitatione, adhuc mihi incertum est. Ioannes

Hieronym.

Bersabea ab Hebron distat 20. millibus.

Carmelus ab Hebron decimo lapide.

Bethlehemi situs.

Fons, in quo baptizatus est Eunuchus Candacis.

Paula.

Cedrenus.

Zachariæ domus non fuit Ierosolymis.

Nec in cãpestribus.

Brocardus.

Suarez Episcopus. Suarez Conimbricensis Episcopus tract. 17. in Lucam, Na-
zaretham, quæ ad septemtrionem est Ierosolymæ 54. mil-
Nazareth distantia ab Ierusalem. liaria, hoc est tredecim leucas cum dimidia ab Ierosoly-
mis distantem constituit; quibus si 42. milliaria, hoc est
quinq; leucas, cum altera dimidia addas vsque ad Hebron,
Brocardus. confecisset quidem iter 19. leucarum. Brocardus vero,
quem infra referemus p. 7. numero 3. Ierusalem, ait, dis-
tare à Nazareth leucas 27. quæ cum quinque ac dimidia
ad Hebron, efficiunt 32. cum dimidia, & hoc in re du-
bia certius habetur, quod auctor hic, eam viam per-
Mariæ visitantis iter longitudo. egerit quatuor & triginta milliarium; aliis nouem de-
cim confectum iter existimantibus, hoc est, quinque fere
leucarum.

Mos Iudæorum in salutando. MOS GENTIS IVDAICVM. Iudic. 6. 23. dixit
ei Dominus, pax tecum. Iudic. 19. 20. cui respondit se-
nex, pax tecum sum. 1. Regum 25. 4. cum audisset Dauid
in deserto quod tonderet Nabal gregem suum, misit de-
cem iuuenes, & dixit eis, ascendite in Carmelum, & ve-
nietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacifi-
ce, & dicetis, sit fratribus meis, & tibi pax, & do-
mui tuæ pax, & omnibus quæcumque habes sit pax. 1. Pa-
ralip. 12. 18. Spiritus induit Amasai principem inter
triginta, & ait, tui sumus, ô Dauid, & tecum fili Isai, pax
tibi, & pax adiutoribus tuis. Tob. 12. 17. dixit eis angel-
lus, pax vobis, nolite timere. Mathæi 10. qui intrantes in
domum salutate eam dicentes, pax huic domui. Lucæ 10.
5. in quamcumque domum intraueritis, primum dicite,
pax huic domui. c. 24. 36. Stetit Iesus in medio eorum, &
dicit eis, pax vobis. Ioann. 20. 19. venit Iesus, & stetit in
medio, & dicit eis, pax vobis, & 26. post dies octo erant
discipuli intus, & Thomas cum eis; venit Iesus ianuis clau-
Paulus. sis, & stetit in medio, & dixit, pax vobis. Paulus ad Rom.
1. cap. ver. 7. Gratia vobis, & pax à Deo patre, & Domino
Petrus. Iesu Christo. Petrus prima Epist. c. 1. Gratia vobis, & pax
Ioannes. multiplicetur. Ioann. Epistola 3. 14. pax tibi. Salutant te
Mos osculandi. amici. Mathæus 26. 48. quemcumque osculatus fuero ipse
est, & confestim accedens ad Iesum dixit, Aue Rabbi,
& oscu-

& osculatus est eum. Paulus ad Roman. 16. 16. Salutate inuicem in osculo sancto. Petrus Epistola prima cap. 5. 14. salutate inuicem in osculo sancto. TERTVLLIANVS lib. 5. contra Marcion. cap. 5. Nam & hodie Iudæi in pacis nomine appellant, & retro in scripturis sic salutant. AVCTOR. Satis ex his constare potest consuetam salutationem fuisse Iudæis cum osculo dicere, pax tecum, aut pax vobis, & quod Grece dictum est Chere ita conuersum esse in salutationem Græcam, aue seu gaude, vbicumq; habetur, vt apud Ioannem Epist. 2. nec aue ei dixeritis; pro salutatione Syriaca, nam hac lingua vtebantur Iudæi, Salom lac, pax tibi: qua salutandi ratione, vsum angelum Gabrielem cum virginem salutauit Syriace, & certum creditur, & confirmat Chrysostom. homilia de natiuitate Ioan. Baptistæ in 1. Lucæ, dicens, angelus Gabriel ingressus est ad Mariam, & salutauit eam dicens, pax tecum, quę inuenisti gratiam apud Dominum. Quod namque Hebraice & Syriace, Salom lac, dicitur, ait Christianus Druthmarus cap. 26. in Mathæum, Græce Chere, Latine, Aue dicitur: nec enim Græce loquebatur angelus virgini Syriace loquenti. Et eadem vsam virginē cum salutauit Elisabetham, ex more, non credo esse præter fidem, vna cum osculo pacis; nam & Christus merito conquestus est Lucæ 7. de Simone, quod salutatione cōsueta cum osculo pacis non fuerit ab eo exceptus, adeo erat eiusmodi in more posita salutatio.

Tertullia. *Auctor.* *Salutatio angelica.* *Chrysost.* *Druthmar.*

4 SE SANCTIFICANTEM. ORIGENES hom. 7. in Lucam. Factum est cū audisset salutationē Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto. Non est itaque dubium, quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto propter filium sit repleta, nec enim mater primum Spiritum sanctum meruit, sed cum Ioannes adhuc clausus in vtero sanctum Spiritum recepisset, tunc & illa post sanctificationem filii repleta est Spiritu sancto. Sancta erat anima beati Ioannis, & adhuc in matris vtero clausa, venturaque in mundū quasi per experientiæ sensum sciebat, quæ Israel ignorabat,

Ioannes sanctificatus in vtero. *Origenes.*

 vnde

vnde exiliuit, & non simpliciter exiliuit, sed in gaudio; senserat enim venisse Dominum suum, vt sanctificaret seruum suum antequam de matris vtero procederet. Et homilia 9. in Lucam, si eo quod tantum venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam, exultauit infans in gaudio, & Spiritu sancto plena Elisabeth prophetauit ea, quæ in Euangelio scripta sunt, & in vna hora tantos profectus habuit, nostræ coniecturæ relinquitur quid in tribus mẽsibus Ioannes profecerit, assistente Maria Elisabeth. Valde quippe indignum est, in puncto horæ, atque momento exultare infantem, & quodammodo gaudio lasciuisse; repletamque esse Spiritu sancto Elisabeth; per tres vero menses, nec Ioannem, nec Elisabeth ex vicinia matris Domini, & ipsius Saluatoris præsentia profecisse. Exercebatur ergo, & quodammodo in athletico sancta matre per tres menses vrgebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabiliter natus, mirabiliter nutriretur.

Ioannes per tres menses ex vtero profecit.

EVSEBIVS Emissenus feria 6. aduẽtus. Dic infans, dic prophetarum omnium maxime, qui digne satis non propheta, sed plusquam propheta vocaberis, vnde tibi hæc exultatio? nondum natus es, & prophetas? matrẽ Domini in voce cognoscis? quam quia resalutare nõ potes, exultando agis quod potes. Quam lætus ei occurreres, si iam natus eam videres, cuius voce audita, exultando obuiam exire conaris; & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: prius filius, deinde mater per filium repletur Spiritu sancto: filius intus latens docet quod mater exterius agere debeat. Quasi enim magna vi Elisabeth interius commota, non solum virginem resalutauit, verum & voce magna clamauit dicens, benedicta tu inter mulieres.

Eusebius Emissen.

ATHANASIVS lib. 4. contra Arrianos, & refertur in Chalcedonensi Concilio actio. 11. titulo, Nicenæ Synodi fides. Multi sanctificati sunt, & mundi ab omni peccato, Ieremias vero & ex vtero sanctificatus est, & Ioannes adhuc constitutus in vtero exiliit in exultatione in voce Deigenitricis Mariæ.

Athanas.

Ieremias ex vtero sanctificatus.

TITVS Bostrensis Episcopus in primum Lucæ. Quod nulli prophetarũ

S. Titus.

ante,

ante, hoc Ioanni vsu venit; in causa autem erat vicinus Christi aduentus: hunc enim ille proxime antecedebat: quare non prius quoque repletus est Spiritu sancto, quam ea, quæ Christum Dominum in vtero gestabat, illi se adiunxisset, repletus autem exultauit, gratiæq; quam acceperat matrem participem fecit; Elisabeth autem propter infantem, quem intra viscera gestabat, spiritu afflata, eiusmodi prophetica verba detonuit; benedicta tu in mulieribus. AMBROSIVS lib. de institutione virginis cap. 7. Sed ipsa se offerebat periculis, cuius tanta gratia, vt non solum in se virginitatis gratiam reseruaret, sed etiam his, quos viseret integritatis insigne conferret. Visitauit Ioannem Baptistam, & in vtero matris, priusquam nasceretur, exultauit ad vocem Mariæ, exultauit infantulus, obsequutus antequam genitus: nec immerito mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis vnguento Domini mater exercuit. Et cap. 13. Leuis nubes erat, quæ remissionem peccatorum vtero gestabat: denique eleuauit Ioannem in vtero constitutum, qui ad vocem eius exiliuit; & infans exultauit in Deo, prius sensu deuotionis, quam spiritus infusione vitalis animatus. Et lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4. Quid etiam de Ioanne loquar, de quo mater religiosa testatur, quod intra materna situs adhuc viscera præsentiam Domini spiritu cognouit, exultatione consignauit, sicut scriptum meminimus, matre dicente, Ecce enim vt facta est in auribus meis vox salutationis tuæ, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Erat igitur qui prophetabat, an non erat? at certe erat; erat enim qui venerabatur auctorem, erat qui loquebatur in matre. Denique Elisabeth filii spiritu replebatur, Maria filii Spiritu sanctificabatur. Sic enim habes, quod exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto. Vide singulorum verborum proprietatem: vocem quidem Mariæ prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior Domini gratiam sensit. Pulchre sibi conueniunt oracula oraculis,

Ambros.

Gratia virginis quāta

femina mulieri, & pignus pignori: istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisq; mysterium maternis adoriuntur profectibus, dupliciq; miraculo, licet honore diuerso, prophetant matres spiritu paruulorum. Et sermone. 63. de natali sancti Ioannis. Zachariæ precibus Elizabeth vterus intumescit, & concipit Ioannem non natura, sed gratia: vnde necesse erat sanctorum nasci filium, qui non tam complexibus, quam orationibus gigneretur. Minus autem mirari debemus, quod tantam Ioãnes gratiam in nascendo meruit; debuit enim præcursor, & præuius Christi aliquid simile habere uatiuitati Domini Saluatoris. Et sermone 64. videte sancti Baptistæ meritum, vocẽ patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparauit, videte in quam meritum, os quod angelus alligauerat, Ioannes absoluit; quod Gabriel obstruxerat, paruulus reserauit. Et lib. 2. in cap. primum. Lucæ cap. 3. vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit; illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterii; illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum; femina mulieris, & pignus pignoris; istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetãt matres spiritu paruulorum. Exultauit infans, repleta mater est, non prius mater repleta quam filius, sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem. Et, bene inducitur sancta Maria & exhibuisse officium, & mysticum numerum custodisse; non enim sola familiaritatis est causa, quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus; nam si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu sancto mater infantis, quantum putamus vsu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam. HIERONYMVS. Ierem. 1. Ioannes quoque Baptista sanctificatur in vtero, & sanctũ Spiritũ accipit, & mouetur in vulua, & per os matris loquitur. AVGVSTINVS sermo. 23. de sancto Ioanne. Ioannes tanta excellens gratia, vt Dominum etiam ex vtero salutaret, nondum loquendo, sed exultando, cuius gratia in Deum iam tunc erat aperta, quando

eius

Ambros.

Quantum Ioannes profecerit mora Deigenitricis.

Hierony.

Augustin.

eius caro in carne erat exclusa. PETRVS Chrisologus Archiepiscopus Rauēnat. serm. 88. Beatus Ioannes, qui ante Dei spiritu meruit intonare, quam hominis vagiret in fletu: beatus qui ante diuina possidere meruit, quā sortiretur humana: beatus qui ante meruit cælum scire, quam terram: beatus qui antequam videret præsentia, futura meruit nunciare: beatus qui ante Deum capere potuit, quā suo ipso caperetur à corpore: beatus & singulariter est beatus, qui antequam saperet quærere, meritū conquisiuit: beatus qui non peruenit ad gratiam per laborē, sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit. Et sermone 9. Videtis quemadmodum Ioannes ante peruenit ad cælum, quam tangeret terram; ante accepit Diuinum Spiritum, quam haberet humanum: ante snscepit diuina munera, quam corporis membra, ante cœpit viuere Deo quam sibi. HILARIVS Arelasensis Episcopus, homil. 2. de sancto Ioanne: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Quis est iste, qui cum nondum nasceretur, iam in vtero sanctificatur? Benedictionem priusquā in lucē percepit; gratiam consequitur antequam vitam? BEDA in vigilia natalis Ioannis Baptistæ, homilia, in eo quod illum adhuc ex vtero matris Spiritu sancto replēdum esse memorauit. Profecto quia natus in mundū cunctis virtutum fructibus esset clarificandus ostendit. Quid enim viuenti, & conuersanti inter homines poterat deesse virtutis, qui & si vt homo in iniquitatibus conceptus est, contra morem tamen humanæ conditionis, non in delictis eum præuaricationis, sed in gratia remissionis mater sua peperit? Nec enim dubitandum est, quia Spiritus sanctus, qui eum repleuit, etiam à peccatis omnibus absoluit: constat quippe veridica Patrum sententia, quia non stringitur Spiitus sancti donnm: & propterea qui Cornelium, & domum eius, ante perceptionem baptismi sua gratia cōsecrauit: ipse vtique Ioannem, non solum ante circumcisionem, sed & ante natiuitatem eiusdem gratiæ munere perfudit, ita & officium suæ præcursionis domino adhuc in vtero positus, quia loquendo nondum poterat, iam

Hilar. Arelat.

Beda.

gratulando præberet, quando, sicut sequentia sancti Euangelij testantur, intrante Beata Dei genitrice, & salutante Elisabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius. ANTIPATER Bostrorum Episcopus oratione de sancto Ioanne Baptista. Antequam esset natus Deus aperte tradidit gratiæ mysterium, gratiæ thesauros apud eum deposuit, & ea, quæ ignorarunt in cælo choros ducentes Angeli Ioannes dicebat, qui in matris gestabatur vtero: thronos latuit, & eum, qui erat in matrice Deus non præteriit: celauit dominationibus, & ei qui erat in vtero, reuelauit mysterium susceptæ carnis œconomiæ; & quem veniens Archangelus è cælo tulit bonum nunciũ, intrinsecus narrauit fœtus saliens. THEODORVS Studitus oratione de Natali Ioannis Baptistæ. Alij quidem aliquandiu postquã nati essent, aut prophetarunt; aut alia fecerunt miracula, hic autẽ cum adhuc ferretur in vtero, repletus fuit sancto Spiritu, & extitit effector rerum admirabiliũ. PETRVS Damianus, serm. de sancto Ioanne Baptista. Cũ omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vmquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus præter Ieremiam, & Ioannem Baptistam; quamquã & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit: sed longe minor Ieremiæ sanctificatio quã Ioannis, ille quidem in matris vtero sanctificatus, hic Spiritu sancto repletus fuisse cognoscitur; multo quippe excellentius Spiritu sancto repleri, quã sanctificari: ibi enim sanctificatio emundationẽ, hic repletio inundationem significat. Deniq; & Apostoli, qui manibus suis tractauerunt de verbo vitæ, cum Spiritũ sanctum de Saluatoris accepissent afflatu, vix quinquagesimo à resurrectionis die, ad illum gradũ peruenire potuerũt, vt diceretur de eis, repleti sunt omnes Spiritu sancto: & licet Spiritus sanctus largiori, tunc munere credentium corda repleuerit: hoc tamen Ioannes in vtero legitur assecutus, quod Apostolica celsitudo tandem largiori promissione meruit obtinere. Attende obsecro diligenter, quam ordinata

Antipater. *Theodorus.* *Damascen.* *Ieremias & Ioannes, in vtero sanctificati.* *[Io]annis gra[tia] in vtero [p]ar gratiæ Apostolorũ.*

ordinata dispositione spiritus ille multiplex Ieremiã san-
ctificat, implet Ioannem, superuenit in Mariã: & Ieremiæ
quidem admiranda sanctificatio, quia & si in peccato con
ceptus est, nascitur tamen sine peccato, antequam enim
exiret de ventre sanctificatus est, nec poterat nasci nõ san
ctus, qui in matris vtero erat sanctificatus: Ioannẽ vero lõ-
ge gloriosior virtus impleuit, qui & sanctificatus est à pec
cato, & ita dominante spiritu superfusus, vt etiam purga-
tus exeat, & repletus: ineffabiliori autem modo superue-
nit in Virginem, quã tota diuinitatis plenitudo sine men-
suræ discretione perfudit. BERNARDVS serm. in *Bernardus.*
natiuitate Ioannis Baptistæ. Neq; enim Ioannem prædica
tio, sed inspiratio docuit, quem repleuit spiritus in vtero
matris suæ; vere ardens, & vehementer accensus, quem sic
præoccupauit flamma cælestis, vt iam Christi sentiret ad-
uentũ, qui necdum sentire poterat vel se ipsum; nimirum
nouus ille ignis, qui recens illapsus è cælo per os Gabrie-
lis in aurem intrauerat Virginis, & per matris aurẽ introi-
uit ad paruulum; vt ab ea hora vas electionis suæ Spiritus
sanctus impleret, & lucernã Christi domino pararet. Fuit
ergo iam tunc ardens lucerna, sed interim adhuc sub mo-
dio, donec super candelabrum poneretur, & luceret omni
bus, qui erant in domo domini: illo enim in tempore solũ
adhuc potuit illuminare modium suum, soli interim luce
re matri magnum ei pietatis sacramentũ reuelans ipso mo
tu nouæ exultationis. Et Epistol. 174. ad Canonicos Lug-
dunens. Verba Angeli completa, absque dubio sunt in tẽ
pore suo, & quem prælocutus est Spiritu sancto replendũ
non est fas credere non repletum, idque loco, & tempore,
quo prædixit, certissime autem sanctus Spiritus quem re-
pleuit, sanctificauit.

5 SENTIENS. ORIGENES homilia 7. in *Origenes.*
Lucam: Sancta erat anima Beati Ioannis, & adhuc *Ioannes cog*
in matris vtero clausa, venturaque in mundum, quasi *nouit Chri-*
per experientiæ sensum sciebat, quæ Israel ignora- *stum ex vte*
bat; vnde exiliuit, & non simpliciter exiliuit, sed in *ro.*
gaudio: senserat enim venisse dominum suum. Et ho-

mil.

homil. 10. Si autem in ventre matris clausus audit IESVM, & audiens exiliuit, atque lætatus est, quare non credas eum iam genitum prophetiam patris audire, & intelligere potuisse dicentem ad se; & tu puer propheta altissimi vocaberis. CYRILLVS Archiepis. Ierosolymitanus Catechesi 3. Qui etiam in vtero matris, cum gestaretur, à Spiritu sancto sanctificatus est. Erat quidem, & Ieremias sanctificatus, sed non prophetauit in vtero: solus autem Ioannes in vtero existens, exultauit in gaudio, & corporeis oculis nihil videns, Spiritu Dominum cognouit. AMBROSIVS lib. 4. de fide cap. 4. Quid etiam de Ioanne loquar, de quo mater religiosa testatur, quod intra materna situs adhuc viscera præsentiam domini spiritu cognouit, exultatione consignauit? Et cetera vt supra, num. 4. & serm. 63. Hoc etiam in laudibus Ioannis minime tacendum videtur, quod nondũ natus etiam prophetat, & adhuc in materni vteri finibus constitutus, aduentum Christi, quia voce non poterat, gaudiis cõfitetur: exultat enim Ioannes antequam nascatur, & priusquam mundi oculis habitum recognoscat iam spiritu mundi dominum recognoscit. Et lib. 2. in Lucam, cap. 3. Vocẽ prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit, illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij, illa Mariæ, iste domini sensit aduentum. Et cap. 4. Sed fortasse aliqui, quasi irrationabilem mentis excessum putent, quod octo dierum Zacharias alloquitur infantem, verum si teneamus, intelligimus profecto, quod potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem, antequam nasceretur, audiuit: sciebat propheta alias esse aures prophephetæ, quæ spiritu Dei non corporis ætate referantur, habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectũ. IOANNES Chrysostom. homil. de diuo Ioanne Baptista. Nouerat Christum Ioannes semper, esse venturum, & non solum nouerat ab infantia, sed in vtero matris nouerat, & eum salutauerat, denique scribitur, exultauit infans in vtero matris suæ. Vide quomodo in vtero matris constitutus sensit aduentum Domini. homil. 27. in 11. Math. & quod

Cyrillus. *Ambrosius* *Chrysostom.* *Hieronym.*

& quod amplius est, quem in vtero cõstitutus, priusquam
nasceretur nõ solum cognouit, sed etiam exultatione spi-
rituali matrem suam fecit esse prophetam, ipse nunc quasi Hieronym.
nesciens interrogat, tu es qui venturus es? HIERO-
NYMVS Epist. 7. ad Lætã. Sic Ioannes Baptista ad in-
troitum Mariæ exultauit, & lusit; audiebat enim verba Do-
mini per os Virginis personantis, & in vtero matris in oc-
cursum eius gestiebat erumpere. AVGVSTINVS Augustinus.
Epistol. 57. ad Dardanũ. Quanquam etiã si vsque adeo est
in illo puero acceleratus vsus rationis, & volũtatis, vt intra
viscera materna posset cognoscere, credere, consentire,
quod in aliis paruulis ætas spectatur, vt possint, etiam hoc
in miraculis habendum diuinæ potentiæ, non ad humanæ
trahendum est exemplar naturæ. THEODORVS Theodorus.
Studitus oratione de natali sancti Ioan. O Ioannes felix
infans, fœtus qui sopiri non potes, qui es in vtero, quomo
do es in mundo? Qui nondum es perfectus, quomodo es
plenissimus? Qui non potes cognitione percipere, quo-
modo es prudentissimus? Qui loqui non potes, quomodo
bene loqueris? Magnum est (inquit) quod peragitur my-
sterium, & actus est ab humana remotus comprehensio-
ne. Video, & sum adhuc in vtero, quoniam in vtero gesta-
ri video solem iustitiæ; auribus percipio, quoniam audio,
vt qui nascar vox magni verbi; exclamo, quoniam filium
patris vnigenitum considero esse carne indutum; exulto
quoniam vniuersi effectorem video formam hominis sus-
cipere; exilio quoniam mundi redemptorem cogito cor-
poratum. MAXIMVS homil. 1. de natali Ioannis. Hic
& nasciturum dominum prophetalis spiritus illuminatio-
ne præuidit; & natum priuilegio gratiæ singularis osten-
dit; in tantum autem specialis in eo præfulsit electio, vt
ante mereretur annunciare dominum, quam nascendi ini-
tium, vel linguam, qua enunciare posset, acciperet. Quid
hoc est miraculi fratres? quæ tanta rerum nouitas gaudiorũ?
vt habere se in vtero Elisabeth testaretur infantem, qui nec
dum semetipsum sentiens, Dominicum iam sentiret aduẽ-
tum: vere hic omnium beatissimus paruulorum, qui intra
viscera

viscera adhuc materna conclusus adesse saluatorem mundi, quia necdum sermone poterat, prophetico gaudio reuelauit. SIMEON Metaphrastes oratione de sancto Ioanne Baptista. Salutatio autem erat dulcis exultatio infantis, qui est in vtero: iam enim ex ventre didicerat seruus dominum, qui erat in ventre: & cum sensisset eius aduentum in mundum, mirandum in modum lætabatur. PETRVS Damianus, sermone de sancto Ioanne. Felix Elisabeth, ad quam mater properat redemptoris, quã salutatoriis obsequiis cælorum imperatrix alloquitur: sed puer multo felicior, qui salutantis maiestatem cognoscens, intra viscerum tenebrosa volumina gaudio gaudet, quia vim tam beatæ salutationis attendit. BERNARDVS sermone in natali Ioannis Baptistæ. Vere ardens, & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cælestis, vt iam Christi sentiret aduentum, qui necdum sentire poterat vel se ipsum. EVTHYMIVS in primum Lucæ. Christus quidem loquutus est per os matris, Ioannes autem audiuit per aures suæ matris, & agnito supernaturaliter domino suo exultatione illum prædicauit: infans enim, qui in vtero ferebatur Virginis prophetica statim gratia donauit infantem, qui in vtero gestabatur sterilis.

Simeon. *Damianus.* *Bernardus.* *Euthymius.*

6 SPIRITVALIBVS. ORIGENES homilia 9. in Lucam. Si eo quod tantum venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam, exultauit infans in gaudio, & Spiritu sancto plena prophetauit ea, quæ in Euangelio scripta sunt; & in vna hora tantos profectus habuit, & cetera vt supra numero quarto: & homil. 10. Visitante enim, & Deo volente redimere populum suum, mansit Maria cum Elisabeth, postquam ei locutus est Angelus, mensibus tribus: & per ineffabilem quamdam virtutem, non solum Ioannem, sicut dudum diximus, sed etiam Zachariam præsens saluator instrueret; paulatim quippe, & hic per tres menses sancti Spiritus augmenta capiebat, & cum nescit, erudiebatur, & de Christo prophetauit. AMBROSIVS lib. de institutione virginis

Ioan. profecit gratia, & charismatibus in vtero Christo præsente. *Origenes.* *Ambros.*

nis, cap. 7. Nec immerito mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis augmento, domini mater exercuit. Et lib. 1. in Lucam cap. 3. Bene inducitur sancta Maria, & exhibuisse officium, & mysticum numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa, quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus, & cetera vt supra numero quarto. PETRVS Damianus, sermone de sancto Ioanne Baptista. Quid, quod non semel tam sanctorum amplexuum fuit celebrata coniunctio: mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, ait Euangelista, tanto tempore manet cum Elisabeth virginalis integritas, & nunc dulciori colloquio, nunc amplexu feliciori Ioannem puerum consecrat, & insignit. Quocumque autem modo rei huius veritas decernatur, illud pro certo certum est, quia non parum contulit puero nascituro, tam felix, & morosum, intemeratæ Virginis hospitium. *Petr. Dam.*

7 ANTEQVAM. TATIANVS Alexandrinus, in harmonia Euangelica. Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam: Elisabeth autem, impletum est tempus pariendi, & peperit filium. EVSEBIVS Emissenus, feria sexta Aduentus. Mansit autam Maria cum illa, quasi mensibus tribus. Decebat enim, vt simul manerent, quatenus in illo paruo temporis spatio, & Elisabeth à Maria, & Ioannes à Christo doceretur; libet nunc intueri, quantas tunc Zacharias, & quantas Elisabeth lachrimas fuderint, quando Virgo Maria recessit inde, quando gaudium, & stella maris in domum suam reuersa est: Ioannes quoque, quamuis adhuc in matris vtero clausus, in eius discessu non parum doluit, qui in illius aduentu tanto gaudio exultauit. TITVS Bostrensis Episcopus in primum Lucæ. Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus. Hoc est, tantisper dum tempus partus Elisabethis appeteret. Rediit autem quia circa Elisabethis

Mansit reuersa ante natum Ioannē. *Tatianus.* *Eusebius.* *Zacharias & Elisabeth dolor in Maria discessu* *Titus.*

bethis

bethis partum magna hominum multitudo ad Zachariæ ædes confluxura erat, Virgo autem sanctissima virgineo quodam pudore tenta, hominum conspectum declinabat.
Ambrosius AMBROSIVS lib. 2. in primum Lucæ, cap. 3. Tandiu mansit Maria quandiu Elisabeth, pariendi tempus impleret. Et cap. 4. Pulchre autem tempus, quo fuit in in vtero prophetæ describitur, ne Mariæ præsentia taceatur, sed tempus metitur infantiæ, eo quod præsentia Domini matris in vtero roboratur, qui infantiæ impedimenta nesciuit.
Augusti. AVGVSTINVS lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 5. Si quis velit vnam narrationem ex omnibus, quæ de Christi natiuitate, & infantia, vel pueritia in vtriusque narratione ab alterutro, seu dicuntur, seu prætermittuntur, ordinare sic potest. Et infra. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam. Matthæus dicit, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Lucas dicit, Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.
Theophyl. THEOPHYLACTVS Bulgariæ Episcopus in primum Lucæ. Quia paritura erat Elisabeth abscedit Virgo, propter multitudinē, qui ad partū conuenturi erant: indecens autē Virgini in talibus versari. Quod autem cum paritura esset Elisabeth, versa sit Virgo, manifestum hinc est, quod mense sexto concepti præcursoris venit Angelus ad Mariam, & mansit illa cum Elisabeth, tribus circiter mensibus. Et infra. Virgo quidem circiter tribus mensibus mansit apud Elisabeth; fortassis tanto attonita miraculo, & indigens consolatione quadam; quam ex consuetudine Elisabeth habuit, verum vbi appropiauit partus, abscessit.

Maria fugit turbam.

Simeon Metaphr. SIMEON Metaphrastes in oratione de sancto Ioanne Baptista. Et in domo quidē Elisabethę habitauit virgo circa tres menses: deinde ea quidem sic domum reuertitur. Qua nam vero causa ad tres menses, & non plures fuit cohabitatio? An omnino quod tunc esset paritura Elisabeth? si enim circa sextum mensem, ex quo ea conceperat missus fuit Angelus ad Virginem, ipsa autem cum ad Elisabeth venisset, menses tres apud eam permanet, clarū est,

quod

quod cum finitum esset tempus conceptionis, quod nouus mensis circumscribit, in domnm suam Virgo reuertitur: & fortasse hac de causa, quod vniuersa multitudo erat ventura in ædes Zachariæ, cum instaret tempus pariendi Elisabeth: pudor autem virginalis hæc minime sustineret. RVPERTVS libro primo in Cantica, folio 4. res ipsa exigit, vt quæramus quousque, vel quamdiu beata Virgo mansit cum illa Elisabeth cognata sua; vtique mensibus tribus fere, vsque dum Elisabeth tempus pariendi impleretur; ille namque mensis sextus erat illi, quæ vocatur sterilis, quando Maria nuncio bono impleta, exurgens abiit cum festinatione in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth: Maria autem mansit, inquit Euangelista, cum illa, quasi mensibus tribus; & reuersa est in domum suam: statimque subiungit; Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium; ergo Maria iam non erat illic, quando Elisabeth peperit filium: cur quæso non interfuit? Cur tanti gaudij, tantæ exultationis festiuitatem non spectauit? Cur discessum suum non distulit, donec videret infantem, quem vidisse gaudium fuit? Et infra. Bene actum, optime prouisum est, vt post modum ventura multitudine ad illud natiuitatis Ioannis gaudium reuerteretur in domum suam, ne prius ab illis deprehenderetur in vtero habens, quam ab ipso beato Iosepho. EVTHYMIVS in primum Lucæ. Mansit autem vsque ad partum Elisabeth apud illam, vtpote cognoscentem, quod in se agebatur mysterium; & ob id amantem hanc, & ab hac amatam; & reuersa est in domum suam, deuitans eos, qui ob natum infantem in domum Zachariæ concurrere debebant: erat autem & moris, vt abscederent Virgines cum parituræ erant prægnantes. NICEPHORVS lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ capit. 8. Cum autem in moribus esset, vt virgines, cum partus grauidæ mulieri, & iam parturienti immineret, secederent, tertium cum ea versata mensem, domum suam reuertitur. *AVCTOR.* Hæc quidem horum patrum sententia est, &

Maria fugit hominũ concursum.
Rupertus.
Euthym.
Fugit turbã Maria.
Virgines nõ aderant parientibus.
Nicephor.
Mos Virginum.
Auctor.

uera profecto; nam si sexto mense venit Maria ad visitandam Elisabetham, & quidem illo ineunte; siquidem Ioãnes conceptus dicitur ad finem Septembris, & mãsit cum illa quasi mensibus tribus, ergo vsque ad nonum incipientem; non potuit ergo adesse partui Elisabethæ: id quod & ordo historiæ Euangelicæ aperte demonstrat. Quamuis Origin. homil. 10. in Lucam, dicat tribus mensibus Maria iuxta Elisabeth commorante Ioannem fusum esse in terram: & Beda lib. 1. in Lucam cap. 3. & Zacharias Episcop. Chrisopol. lib. 1. cap. 3. dictum Bedæ referẽs, & Petrus Damianus, oratione de sancto Ioanne Baptista, sub dubio tamen, sed prior sententia omnino vera est?

Origenes. Virginẽ partui adfuisset. Beda. Zacharias. Damianus.

8 PAVLO POST. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Ioseph igitur à Iudæa in Galilæam veniens, desponsatam sibi virginem vxorem ducere intẽdebat: iam namque tres fluxerant menses, & quartus instabat ex eo tempore, quo sibi desponsata fuerat. AVCTOR IMPERFECTI in Mathæ. homil. 1. Sicut historia quædam non incredibilis, nec irrationabilis docet, quãdo gesta sunt quæ refert Lucas, Ioseph absens erat, nec enim conueniens est putare præsente Ioseph introiisse Angelum ad Mariam, & dixisse quæ dixit, & Mariam respondisse quæcumque respondit: si concedamus Angelum potuisse intrare ad eam, & loqui: plane confestim Mariam abiisse in montana cum festinatione, & introiisse in domum Zachariæ, & salutasse Elisabeth, & mansisse cum ea mensibus tribus, possibile non fuit præsente Ioseph: quia necesse erat, vt absentationis eius, & mansionis diutinæ requireret causas. Postquam autem rediit peregre, post tot menses, & inuenit eam grauidam, forsitan ei cõminatus est, quasi sponsus, & de iudicio Dei terruit eam, quasi vir timoratus. *AVCTOR.* Ex eo quod ignorauerit Ioseph; vt dicemus numer. 10. Conceptum Virginis, recte colligitur eum his omnibus absentem fuisse. Qua de re cap. 4. numer. 20. sumus latius locuti? Incidit autem hic Iosephi aduentus in finem mensis Iunij, tribus transactis mensibus à conceptu filij Dei, & pau-

Post reditũ Mariæ veni Ioseph Bethlehemo. Auctor imperfect. Ioseph absens fuit annunciationi, & visitationi. Auctor. Tempus aduentus Ioseph.

cis amplius diebus à desponsatione, iuxta historiam de ortu Mariæ, at iuxta dictum Euodij supra relati cap. 5. numero primo: sex menses transierant à desponsatione Virginis.

9 VT NVPTIAS. EVSEBIVS Emissenus ho mil. in Mathæ. 1. Quid est, antequam conuenirent? Antequam in vna domo habitarent: nondum enim conuenerant, nondum simul habitabant, illa in sua, & illa adhuc in sua domo manebat. CHRISOSTOMVS, oratione de Annunciatione. Quæ enim desponsata fuerat, deinceps in manum sponsi tradenda erat. Cum igitur sacerdotes casto Ioseph Virginem despondissent, eam illi commendarunt nuptiarum tempus expectantes. HILARIVS Pictauiensis Episcopus, can. 1. in Mathæ. Igitur nequa de partu eius ambiguitas existeret, ipse concepti ex Spiritu sancto Christi testis assumitur, vt de hinc, quia desponsata esset, in coniugem reciperetur. AMBROSIVS lib. 2. in Lucam. Non autem te moueat, quod eam coniugem vocat, non enim virginitatis ereptio sed cõiugij testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. HIERONYMVS lib. aduersus Heluidiũ cap. 1. Igitur cũ Euangelista dicat, priusquã conuenirent, proximũ nuptiarũ tẽpus ostendit, & in eo iam rẽ fuisse, vt quæ prius spõsa fuerat, esse vxor inciperet; quasi dixerit. Antequã oscula, amplexusq; miscerentur, antequã rem agerẽt nuptiarum, inuenta est habens in vtero. Et in historia de ortu Mariæ. Ipse quidẽ in Bethlehem recedit ciuitatẽ, domũ suam dispositurus, & nuptiis necessaria procuraturus. STRABVS in 1. Mathæi antequam conuenirent, ostendit proximum tempus nuptiarum, in quo nuptiarũ solennia celebrantur. & nollet eam, quam desponsauerat in coniugium ducere, ne videretur, quod ignorabat celare, voluit occulte dimittere eam, idest, tempus nuptiarum mutare. HAYMO in primum Mathæi. Antequam conuenirent, idest, antequam nuptiarum solennia rite celebrarẽt, vt illa quæ erat spõsa fieret vxor, voluit occulte dimittere eam, quomodo occulte? vt nec duceret eã vxorẽ, sed per-

Ioseph venit ad celebrandas nuptias.
Euse. Emi.
Chrisostom.
Hilarius.
Ambrosius
Hieronym.
Strabus.
Haym.

mitteret manere sponsam, vt erat, nec causam dicetet, pro
Rabanus. pter quam eam relinquebat. RABANVS in 1. Mathæi. Noli timere, accipere eam nuptiali conuentu, & assi-
Remigius. dua cohabitatione. REMIGIVS in primum Math. Hoc verbũ conueniendi, non ipsum concubitum; sed tempus significat nuptiarum, idest, quando ea, quæ fuerat spõsa, incepit esse vxor. Est enim sensus, antequam conuenirent, idest, antequam rite solennia nuptiarum celebrarent.
Anselm. ANSELMVS Math. 1. desponsatio fiebat per aliquod tempus ante assiduã cohabitationem, & interim erat sub custodia mariti sui vxor, & frequenti visitatione, donec so-
Zacharias. lennia nuptiarũ celebrarentur. ZACHARIAS Chrisopolita. lib. 1. cap. 5. antequam conuenirent, idest, nuptiarum solennia celebrarent, inuenta est in vtero habens.
Bernardus BERNARDVS homil. 2. super Missus est. Mos Iudęorum erat, vt à die desponsationis suæ, vsq; ad tempus nup-
Auctor. tiarum sponsis sponsæ traderentur custodiendæ. *AVCTOR.* Iosepho, & Mariæ id accidit quod modo Christianis coniugibus, qui post ratum verumq́ue matrimonium sponsi facti, coniuges, solẽni nuptiarũ fiunt celebratione.
Ioseph ignorabat diuinum conceptum 10 IGNORABAT. IVSTINVS Philos. & Martyr, dialogo cum Tryphone Iudæo. Ioseph quoq́ue Mariæ sponsus, cum prius voluisset sponsam eiicere, quod putaret è viro, idest, è stupro grauidam, per no-
Iustinus. cturnam visionem, monitus est retinere vxorem suam, edoctus ab Angelo, è Spiritu sancto conceptum esse fœtum in vtero, ideo territus non eiecit eam. AMMO-
Ammoni. NIVS Alexand. in harmonia quatuor Eungel. sed Gabrielis paranymphi nuncio grauida Luc. 1. Quæ res maritum Ioseph sacramenti nescium traxit in admirationem, vt nisi diuino fuisset edoctus oraculo consilium de Virgine deserenda, ita vt conceperat animo, haud dubie im-
Eus. Emis. plesset. EVSEBIVS Emissenus homil. in 1. Mathæi. Intellexit hoc tandem Ioseph, & sponsam suam grauidam esse cognouit: mirabatur igitur, & circa sponsam suã zelo ipso mouebatur. Quid faceret? Prodere eãtimebat; ne occideretur: dimittere eã cogitabat, quod & sibi facile, &

peri-

periculosum esse sentiebat, daret enim ei libellum repudij, sic enim præcipit lex. BASILIVS oratione de humana Christi generatione. Hoc ignorans ab initio talis nominari vxoris maritus metuens, voluit eam occulte dimittere. AMBROSIVS lib. de institutione Virginis cap. 5. Quid autem præiudicat Mariæ, si cælestis cõsilij mysterium Ioseph nõ intellexit, & putauit Virginem non esse, quam prægnantẽ videret. EPIPHANIVS hæres. 78. contra Antidicomarianitas. Cũ iustus esset quærebat non infamare ipsam, sed clanculũ dimittere ipsam, vt qui prauus quidem fieret, si infamaret ipsam, nõ autem factus est, velut Angelus docet dicens, ne metuas assumere Mariam vxorem tuam, quæ nondum facta est vxor, & si in suspitione peccati apud te est, at neque sic est, velut putas. IOANNES Chrysostomus, homilia 4. in Mathæum. Propterea Euangelista dixit, quid iusto illi acciderit ante notitiam, vt nequaquam de his, quæ post notitiã rei sunt facta dubitaret: & certe si Maria talis fuisset, qualem illam suspicio fingebat, non modo publicari meruerat, verum etiam ex legis auctoritate puniri: sed Ioseph non solum maius, verum id quoque, quod erat minus pariter indulsit. Nostis profecto nostis, quam impotens res sit zelotipia: propter quod ille bene huius rei non ignarus aiebat, plenus est enim zelo furor viri eius, non parcet in die vindictæ. Et rursus idem: Inexorabilis, inquit, est sicut infernus zelus; & nos quidem plerosque nouimus velle animam potius amittere, quam in tormentum zeli, atque huiusmodi suspicionis incidere. Quamquam hic quæ tandem diceretur esse suspicio, vbi ipse vteri tumor videbatur arguere suspectam? Sed tamen ita erat ille vir ab huiusmodi passione mundus, ac liber, vt ne in minimis quidem Virgini uellet inferre mæstitiam. AVCTOR IMPERFECTI in Mathæ. hom. 1. Cui inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto? sine dubio sponso suo Ioseph, qui zeloso amore se admonente vitam circunspiciebat Mariæ: nã sicut historia quædã non incredibilis, nec irrationabilis docet, quãdo gesta sunt, quæ re-

Basilius. *Ambrosius.* *Epiphanius* *Chrysost.* *Auctor imperfecti.*

fert Lucas, Ioseph absens erat: postquam autem rediit peregre post tot menses, & inuenit eam grauidam manifeste, forsitan ei comminatus est quasi sponsus, & de iudicio Dei terruit eã quasi vir timoratus. HIERONYMVS in historia de ortu Mariæ. Interea paulatim vtero puerperæ intumescente, puerperam se manifestare cœpit, nec hoc latere potuit Ioseph: nam sponsi more liberius ad Virginem introiens, & familiarius cum ea loquens, grauidam esse deprehendit. AEstuare itaque animo, & fluctuare cœpit, quia ignorabat quid sibi potissimum esset faciendum: nec enim eam traducere voluit, quia iustus erat, nec fornicationis suspicione infamare quia pius. AVGVSTINVS Epistol.34. ad Macedonium. Vnde Ioseph, cui Virgo Maria mater Domini fuerat desponsata, cum eã comperisset esse prægnantem, cui se nouerat nõ esse commistum, & ob hoc nihil aliud quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit: nam hæc voluntas eius, etiam iustitiæ deputatur, ita quippe de illo scriptum est, & cum esset homo iustus, & nollet eam diuulgare, statuit eam occulte dimittere. Hæc eo cogitante apparuit illi Angelus, qui doceret esse nominis, quod ille putauerat criminis. Et sermone 14. de Natiuitate Domini. Nescit interea Ioseph Mariæ sponsus, quid cum Maria ageret Angelus; subitoque Ioseph intuitu familiari, & licentia maritali aspicit Mariam coniugem suam: vidit eam gressibus grauari, intellexit Mariæ vterum grauidari, turbatur Ioseph homo iustus, quod Maria numquam de templo Domini acceperat, & nondũ cognouerat, & grauidam sentiebat, & quam non meruerat in coniugij honorem, iam haberet in confusionem, secumque diu æstuans disputat dicens. Vnde hoc contigit quod euenit? Non cognoui, non tetigi, non violaui, non grauidaui, heu heu quid contigit? Quid putas euenit? Per quem Maria sic cecidit? Quem sibi plusquam me adulantem inuenit? & infra. Quid ergo faciam? Quid agam? anxior, gemo, doleo, curro, consilium quæro, nec penitus inuenio; prodo adulterium, aut taceo propter oppro-

Ioseph redit post tot menses.

Hieronym.

Augustin.

opprobrium? Si prodidero adulterium quidem, non consentio, sed neuum crudelitatis incurro, quia secundum libri Moysi sententiam, lapidandam esse cognosco; si tacuero malum, consentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere peius est, ne per me fiat homicidium, dimittam eam coniugio. PETRVS Chrisologus sermone 146. Quid est quod sic zelo sponsi sponsæ periculum comparatur? Quid est quod virtus tanta putatur crimen. Salus certa discrimen? Quis excusat sponsam, quam conceptus accusat? Aut quid proficiet defensor externus, quando facti testis internus assistit? THEODORETVS dialogo 1. Quoniam enim Ioseph ignorans mysterium, adulterium suspicatus fuerat, sancti Spiritus efformationem aperte edoctus est. Et in Psal. 71. Sicut lana imbrem recipiens, nullum fragorem emittit, & stillicidia instar roris in terrã delata, sensum nullum auribus præbent; sic domini cõceptio facta est, nec ipso spõso resciscẽte, qui cũ ipsa habitabat: deinde enim post vterum aliquã indignitatẽ suspicatus, occulte dimittere eam voluit, verum ab Angelo edoctus fuit cælestẽ esse fœtum, & nõ humanũ. EVTHYMIVS in 1. Math. 1. Traducere dicebatur, quando vir ad concilium ducebat vxorẽ, de qua suspitionẽ habebat, ipsamq; accusabat; & ita manifeste eam à domo propria dimittebat: quod nolens facere Ioseph, voluit clã dimittere, vt & ipse nulli obnoxius crimini, secundum legẽ maneret eas iubentẽ, dimittere, quæ aliunde in vtero haberẽt. NICEPHORVS lib. 1. hist. c. 8. interim ei venter tumescere, & Ioseph de ea, quod minus deceret suspicari, mysteriũ ignorans; quin etiam occultam ab ea discessionem meditari, quod vir iustus esset, & rem actam eliminare, atq; vulgare nollet. *AVCTOR.* Quod Iosephus tertio à conceptu mense deprehenderit grauidam sponsam, non est mirandũ; cum eo fere mense vteri tumor in pregnantibus incipiat apparere, dicitur enim. Genes. 38. 24. Ecce post tres menses nunciauerunt Iudæ, fornicata est Tamar nurus tua, & videtur vterus illius

Petr. Chry.

Theodoret.

Euthy.

Tradu. quid sit.

Niceph.

Auctor.

Tertio mense apparet grauida.

Origenes. Theophyl. Bernardus.

intumescere. Origen. homil. 1. ex diuersis, Theophylact. in primum Math, & Bernardus homil. 2. in Missus est, Origenem secuti existimant Iosephum cognouisse mysteriũ Christi in vtero Virginis concepti, & pro summa in eam reuerentia voluisse recedere. Sed si cognouisset cur diceret Euangelista, noluisse Virginem traducere, quod esset iustus, hoc est tamquam adulterij ream ad concilium ducere, aut denunciare, diuulgareque? Quid opus erat edoceretur ab Angelo in ea natum de Spiritu sancto esse? Aut vnde, qua ve ratione cognouerat, si ei non fuerat reuelatum? Auctor Imperfecti in Math. homilia 1. existimat, Virginem Iosepho sponso ea re anxio iure iurando adhibito dixisse, se eius rei nesciam; atque ita partim illum credidisse in ea diuinum qnid esse: quod maxime vitæ conuersatio commendaret Virginem: & ideo magis credebat castitati, quam vtero eius; & plus gratiæ, quam naturæ. Et quidem si auferatur illud mendacium, quod hic auctor imponit Virgini, quam alij Patres dicunt, nec verbum quo se excusaret protulisse: sed rem Deo reliquisse, cuius erat; digna est & Iosepho, & Virgine existimatio, quod tanti fuerit ponderis apud sponsum sponsæ castitas, & probata sanctitas, vt vterus grauidus, quem oculis suis intuebatur, non satis esset, vt adulteram iudicaret, sed vt dubius tantum, suspensúsque maneret: quæ est expositio Hieronym. in Mathæum. Hoc, inquit, testimonium Mariæ est, quod Ioseph sciens illius castitatem, & admirans quod euenerat celat silentio, cuius mysterium nesciebat; & Petri Chrisologi sermone 145. dicentis, sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiæ testis, culpam diceret? Sed erat ipse custos pudoris: vrgeret adulteriũ? Sed erat ipse virginitatis assertor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat, vel foris prodere, vel intus, quod euenerat, continere: cogitat dimittere, & dicit Deo totum, quia quod homini diceret non habebat.

Iosephi reuerentia in Virginem.

Auctor imperfecti.

Iosephus nihil mali iudicabat.

Hieronym.

Petr. Chris.

11 GABRIEL. EVSEBIVS Emissenus, in primum Mathæi. Ecce nuncius cælestis, ecce Gabriel consiliator

Gabriel monet Iosephũ

liator virginis, eiusque conscius castitatis, cui hæc secreta erant commissa, cui hæc mysteria reuelata fuerant, apparuit Ioseph in somniis. AVGVSTINVS sermone. 14. de natali Domini. Ecce iterum virginis ille paranymphus non homo, sed Gabriel, angelus ille cõspicuus, cæli cursor æquisśimus, medio noctis libramine dicit ad Ioseph in visione. CHRISTIANVS Druhmarus in 1. Mathæi. Sicut Deus omnipotens inter ceteros archãgelos Gabrielem, qui fortitudo Dei dicitur, ordinauit ad annunciandum mysterium Saluatoris nostri, quem etiam & huic Ioseph locutum esse credimus. HAYMO in Mathæum. Istum angelum Gabrielem archangelum possumus intelligere, qui nunciauerat Beatæ Mariæ: idem ipse apparuit Beato Ioseph in somniis. *AVCTOR.* Satis est verisimile archangelum Gabrielem conceptus diuini conscium, monuisse & eumdem Iosephum, vt virginis, cui custodiendæ datus erat, honori, bonoq; nomini consuleret, eique pro dignitate inseruiret.

de fœtu diuinitus dato. *August.* *Druhmar.* *Haymo.* *Auctor.*

12 ACCEPIT. ORIGENES homil. 1. in diuersos. Securus, & intrepidus accipe eam secundum legis præceptum, vxorem tibi nominatam, sed secundum nuptiarum consuetudinem, & coniunctionem longe alienã. BASILIVS oratione de humana Christi generatione. Excitatus Ioseph accepit vxorem suam cum affectu, dilectione, & omni diligentia domesticos concernẽte, pro vxore illam habuit, à nuptialibus vero congresśibus abstinuit. HILARIVS Can. 1. Mathæ. Ipse Ioseph cõcepti ex Spiritu sancto testis assumitur, vt dehinc quia desponsata esset in coniugem reciperet. AMBROSIVS lib. 2. in Lucam c. 1. Non autem te moueat quod eam cõiugem vocat, non enim virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio, nuptiarũ celebratio declaratur. HAYMO in primum Mathæi. Postmodum, sicut sequentia Euangelii huius narrant, surgens à somno fecit sicut præceperat ei angelus, conuocauit amicos suos, & fecit conuiuium nuptiarũ, & accepit beatam Mariã in vxorẽ. *AVCTOR.* Hanc nuptialem celebrationem probant quæ dicta sunt

Iosephus nuptias celebrat cũ virgine. *Origenes.* *Basilius.* *Hilarius.* *Ambros.* *Haymo.* *Auctor.* *Nuptialis celebratio cõprobatur.*

numero.9.tum etiam proprietas verbi, accipere, quæ nulla est alia, quam nuptias celebrare, aut in vxorem spósam accipere quam probauimus c.4.num. 20. variis scripturæ testimoniis. Quod autem Patres, vt notauimus cap.4.numero.17. dicunt sponsam quidem virginem, numquam tamen nuptam; & sponsum ad eius nuptias non peruenisse, nuptiarum nomine non illam solennitatem, sed copulam, quæ ex illa consequebatur, ordinarie, intelligũt: quia numquam ante illam solennitatẽ licebat sponso cũ sponsa congredi: vt his verbis affirmat auctor imperfecti in Mathæ.homil.1. explicans causas, propter quas apparuit angelus Iosepho. Tertio, inquit, vt intelligens Ioseph sanctam conceptionem, diligentius se in futurum custodiret ab illa, quam prius; prius enim seruauit se propter disciplinam iustitiæ, postea autem & propter timorẽ partus huiusmodi. Et August. serm.14. de natali Domini, ego cum licentiam haberem maritalem ante thorum nuptiarum puellarem, non vexaui pudorem, timui, multumque pertimui, quod in illo Moysitico libro legis sententiale verbum perscriptum cum legeretur audiui, quod quæcumq; virgo paternam domum fœdauerit adulterio, morienda lapidibus subiacebit; similiter & vir qui pudoris vestimentum patri non detulerit, coramque testibus replicauerit, pudorisq; signaculum non demonstrauerit, moriendus & ipse cum virgine erit: vtrosque ergo libidinarios hæc Moysis sententia ferire voluit: hanc Mosis sententiam præcauebam, ipsamque luxuriam in meo corpore refrenabam. Et ante eos Tertullianus lib. de velandis virginibus cap. 11. & ideo penes Israel illicitum est ad virum tradere, nisi post contestatam sanguine maturitatẽ: ita ante hunc indicẽ acerba res est. Iosephus ergo ad virginis nuptias, hoc est, ad amplexus non peruenit, ante solennitatem quidem, ne legem transgrederetur, quia id facere prohibebatur, post eam vero & ne suo proposito, diuinoque consilio aduersaretur.

Congressus illicitus olim ante nuptialem solennitatẽ.

Auctor imper.

Augusti.

Tertull.

Partus

PARTVS VIRGINIS, & infantis circumcisio. Cap. VII.

CVM Augustus Cæsar 1 in summa pace Romanum Imperium administraret, edicto promulgato vniuersis indixit ditioni suæ subiectis, vt in sua quisque ciuitate, vnde esset oriundus, nomen suum publicis tabulis describendum 2 profiteretur, designato censu persoluendo. Fuit hæc descriptio prima earum, quæ accidere præside Syriæ Cyrino. Edicto parens Iosephus, egressus Nazaretha vrbe Galileæ, ascendit in Iudæam in ciuitatem Dauid, dictam Bethlehem, eo quod esset de domo, & familia Dauid, vt cum ceteris suæ familiæ, profiteretur ipse, & Maria desponsa ei vxor, quæ erat prægnans. Est 3 Bethlehemum centesimo decimoquarto milliario à Nazaretha; ab Ierusalem autem versus Austrum ad sinistram viæ quæ ducit Hebron, milliario sexto, incliuo collis Ephratæ, versus orientem situm; nam collis paruus est, ab ortu in occasum longitudine protensus, à septemtrione in austrum

latitu-

latitudine modica,ſed vndiq; rupe inacceſſa pene cinctus;quamuis in occidentem decliuior ſit:vbi ciſterna illa viſitur,ex qua Dauid, aquam ſibi quondam exportari deſiderauit. E regione ad orientem ſpelunca eſt iuxta murũ ciuitatis ſub rupe excauata, natura magis,quam arte,aut communi 4 paſtorum vſui,aut colonorum pauperum,vt videtur,parata:longa quidem ab oriente in occidentem,ſed parumper ad auſtrum vergens, pedibus circiter quadraginta, lata duodecim,alta vt contingi illius tectum poſsit ab homine mediocriter erecto, ſi manũ in ſublime ferat. Os ſpeluncæ ad orientem pate factum putatur,nam modo occluſum eſt; ad cuius læuam profundior eſt receſſus in ipſo viuo lapide excauatus, vnde lõgitudo illa ducitur:in dextra propior ad os ſpeluncæ altera breuior eſt,tribus, quatuor ve pedibus demiſsior, intra ipſum parietem in quadrũ exciſa, vndique pedum quatuor:in qua pręſepium erat iumentis paſcendis accommodum è ligno conſtructum.In hanc ergo 5 ſpeluncam ad agrum proximum Salomæ cognatæ vtrique pertinentem, recepit ſe Ioſephus cum ſponſa tandem ſua,aut quod in vrbe locus non inueniretur,propter copioſam

homi-

hominum ad descriptionem confluentium multitudinem, aut quod nasciturus infans tam humile hospitium libēs seligeret ad nascendum. Ibi cum essent, 6 nouem completis mensibus à natura definitis vt sacer fœtus in lucem ederetur; 7 nullo interueniente dolore, nulla carnis 8 apertione, nulla 9 obstetricis opera indigens, sed 10 tam integra manens ex partu, quam integra manserat ex conceptu, (semper enim virgo perseuerauit) Maria peperit filium suum primogenitum, Deum hominem in profundo illo speluncæ recessu, vt ab antiquis acceptum est, quod esset à tumultu remotior: atq; ipsa natum suscepit infantem, ipsa pannis inuoluit, ipsa fasciis circumligauit, & reclinauit in illo præsepio, 11 boue, & asino eum confouentibus, quia nullus commodior locus in paupere illo hospitiolo reperiebatur. Erat 12 nox diei 13 Dño postea consecrati 14 Decembris mensis vigesimi quinti; ætatis virginis 15 annus decimusquintus: Coss. Octauiano Augusto decimo tertio, & Marco Plautio Syluano, à primo Augusti consulatu 17 annus quadragesimas secundus, 18 Monarchiæ vicesimus nonus, 19 Herodis vero regis trigesimus secundus. E conspectu speluncæ, oriē-

tem

tē versus, ad mille passus, turris est 20 Ader, pastorum domicilium, vbi tunc forte 21 tres aderant pastores nocturnas agentes excubias super gregem suum; quibus ecce mox, angelus Dñi Gabriel adstitit, ac simul claritas Dei circūfulsit illos, & timuerūt timore magno, & angelus, nolite timere, inquit, Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid; & hoc erit vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Ac subito adiuncta est angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium, gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona Dei voluntas. Cum in cœlum discessissent, pastores admirantes, ac læti se inuicem hortabantur dicentes, transeamus vsq; Bethlehem, & videamus rem hanc, quam fecit Dominus, & ostendit nobis. Ergo communi cōsilio Bethlehemum properantes inuenerunt Mariam, & Iosephum, & infantem positum in præsepio. Quem postquam hilari vultu pro voluntate cōspexerunt, ac venerati sunt, re ipsa probauerūt verum fuisse angelorum sermonem de puero, illumque palam fece-

runt Mariæ, & Iosepho, ceterisque, quos obuios habebant retulerunt, & omnes, qui audierunt admirati sunt. Maria autem omnia, quæ geri videbat, tacita conseruabat, cõferens in corde suo. Reuersi itaque sunt pastores ad ouile suum laudantes, & glorificãtes Deum, quod ea omnia, quæ audierant, ita se habuisse probauerant, quemadmodum dicta illis fuerant ab angelis. Die octauo, qui dominicus erat, calendis ipsis Ianuariis, cum vicini, & cognati, 23 more gentis conuenissent ad circumcisionem pueri, 24 in ea ipsa spelunca, circumcidit eum 25 Iosephus, & 26 imposuit illi nomen Iesus, quod ab angelo Mariæ dictum fuerat, priusquam in vtero conciperetur. Ac tum demum 27 infantis nomen cum Mariæ, & Iosephi, iuxta Cæsaris edictũ, in publicis Romanorum tabulis, persoluto censu, descriptũ est, quo Romanus ciuis efficeretur.

Testimonia.

Christo nascente orbis summa pax Isaias.

1 N SVMMA PACE. ISAIAS cap. 2.& erit in nouissimis diebus,& cõflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non leuabit gens contra gentẽ gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. MICHEAS cap.4.Et concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones, non sumet gens aduersus gentem gladiũ, & non discent vltra belligerare, & sedebit vir subtus vineam suam,& subtus ficum suam,& non erit qui terreat.

Micheas.

Eusebius.

EVSEBIVS Emissenus sermone de natali Domini. Quod mundus vniuersus describitur, & sub vnius potestatis tributum redigitur, magnæ pacis indicium est; si enim mundus adhuc repugnaret,& contra Romanũ Imperium dimicaret, nequaquam eius edicto describi, & sub tributo redigi potuisset, de hac enim pace propheta prædixerat. Et conflabunt gladios suos in vomeres,& lãceas suas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Et Psalmista, orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis: quia enim princeps pacis oriebatur, pacem vtique fieri oportebat. HIERONYMVS Isaiæ.2. Veteres reuoluamus historias,& inueniemus, vsque ad vicesimum octauũ annum Cæsaris Augusti, cuius quadragesimo primo anno Christus natus est in Iudæa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, & singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi, ita vt cæderent, & cæderentur: orto autem Domino Saluatore, quando sub præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, Euangelicæ doctrinæ pax Romani Imperii pręparata, tũc omnia bella cessauerunt,& nequaquam per oppida, & vicos exercebantur ad prælia, sed ad agrorum cultus millitibus tantum regionibus Romanis cõtra barbaras nationes bellandi studio delegato, quando impletus est angelorum ille concentus, gloria in excelsis Deo, & in terra pax

Hieronym.

Sub Augusto pax summa.

pax hominibus bonæ voluntatis; & in diebus eius orta est iustitia, & multitudo pacis. Et Micheæ. 4. ac primum quidem iuxta literam antequam nasceretur nobis puer, cuius principatus sub humero eius, totus orbis plenus erat sanguine, populi contra populos, reges contra reges, gentes dimicabant aduersus gentes. Denique etiam ipsa Romana respublica bellis lacerabatur ciuilibus, Cinna, & Octauio, & Carbone pugnantibus, Sylla, & Mario, Antonio & Catilina, Cæsare, & Caio Pompeio, Augusto & Bruto, & eodem Augusto, & Antonio, in quorum præliis vniuersa sanguinem regna fuderunt. Postquam autem ad imperium Christi singulare imperium Roma sortita est, Apostolorum itineri peruius factus est orbis, & apertæ sunt eis portæ vrbium, & ad prædicationem vnius Dei singulare imperium constitutum est. Et Psalm. 71. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: quod in diebus Augusti Cæsaris est impletum, cum Dominus de thalamo viginali processit, nam in his diebus omnia bella quieuerunt, vt etiam illud impleretur quod alius propheta cecinit, dicens. Conuertent gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Dies eius sunt cum concipitur, cum nascitur, cum nutritur; dies eius sunt cum opera patris operatur, cum patitur, cum ad inferna descendit, cum resurgit, cum se discipulis præbet, cum cælos ascendit. SYBILLA CVMAEA.

Sub Augusto pax summa.

Sybilla Cumaea.

Cum Deus ex alto Regem demittet olympo,
Tum terra omniparens fruges mortalibus ægris
Reddet, in exhaustas frumenti, vini, oleiq;,
Dulcia tum mellis diffundet pocula cœli,
Et niueo latices erumpent lacte suaues,
Oppida plena bonis, & pinguia culta vigebunt,
Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus;
Verum florebit pax terris omnibus alta.

CONSTANTINVS Magnus oratione ad cœtum sanctorum cap. 20. apud Eusebium lib. 4. vitæ illius, ex Virgilio AEgloga. 4.

Constant.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas;
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt saturnia regna:
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Titus Liui. TITVS LIVIVS lib. 1. vrbis cond. Ianum ad infimum Argiletum, indicem pacis belliq;, fecit, apertus, vt in armis esse ciuitaiem, clausus pacatos esse omnes populos, significaret. Bis deinde post Numæ regnum, clausus fuit, semel T. Manlio Cõsule post puni cum primum perfectum bellum; iterum, quod nostræ ætati dii dederunt, vt videremus, post bellum Actiacum ab Imperatore Cœsare Augusto, pace terra, mariq; parta. SVETONIVS in Augusto c. 22. Ianum Quirinum, semel atq; iterum à cõdita vrbe ante memoriã suam clausum, in multo breuiore tẽporis spacio, terra mariq; pace parta ter clausit. DION CASSIVS Romanæ historiæ lib. 51. Sed ex omnibus his decretis nullũ ei maiori voluptati fuit, quã quod portæ Iani ab ipsis clausæ sunt, quasi omnibus bellis confectis. Et lib. 53. Augustus bellis ad hunc modũ confectis, Iani tẽplum, quod propter hęc bella fuerat reseratũ, clausit. PLVTARCHVS lib. 1. de fortuna Romanorũ. Clausæ igitur erãt ea tẽpestate Iani portæ, quas belli fortunã vocãt, vt pote quæ belli tẽpore reserabantur, pacis vero occludebantur; at vero mortuo Numa apertæ sunt Albano cõmisso bello, rursusq; aliis sexcentis super alia bellis continẽter excipientibus per annos quadringẽtos & octoginta; deinde pace, clausæ sunt post Carthaginẽse bellum cõposita, Caio Attilio, Titoq; Consulibus. A quo iterum anno exeratæ sunt, continentibus ad Actiacam vsq; Cæsaris victoriam bellis: tum demum Romana arma, haud ita multo tempore cessauere. CORNELIVS Tacitus Annalium lib. 1. Bellum ea tempestate nullũ, nisi aduersus Germanos, supererat, abolẽdę magis infamię ob amissum cum Quintilio Varo. exercitum, quam cupidine proferendi imperii, aut dignum ob præmium. Domi res tranquillæ, eadem magistratuum vocabula: iuniores post

Iani tẽplum clausum Augusti tẽpore.

Suetonius.

Dion Cass.

Plutarch.

Iani tẽplum ter apertum in signũ pacis.

Corn. Tacit.

Actiacam victoriam, etiam senes pleriq; inter bella ciuiũ nati, quotus quisq; reliquus, qui Rempublicam vidisset? Igitur verso ciuitatis statu, nihil vsquam prisci, & integri moris, omnis, exuta æqualitate iussa Principis aspectare, nulla in præsens formidine, dum Augustus ætate validus, seq; & domum, & pacem sustentauit. LVCIVS Florus lib. 1. in prologo. Dehinc ad Cæsarem Augustum 250. anni, quibus totum orbem pacauit. Et lib. 4. cap. 3. Marco Antonio, & Publio Dolabella Consulibus Imperium Romanum iam ad Cæsares transferente fortuna, varius & multiplex motus ciuitatis fuit, quodq; in annua cœli cõuersione fieri solet vt mota Sydera tonent, ac suo flexu tempestatem significent, sic cum Romanæ dominationis, id est, humani generis cõuersione penitus intremuit, omniq; genere discriminũ ciuilibus, terrestribus, ac naualibus bellis omne imperii corpus agitatum est. Et cap. 12. aususque tandem Caius Augustus septingentesimo ab vrbe condita anno Ianum Geminum claudere, sub Numa Rege, & victa primum Carthagine; hinc conuersus ad pacem, pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens seculum, grauibus, seuerisque legibus multis coercuit. PAVLVS Orosius lib. 6. cap. 22. anno ab vrbe condita 752. Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, à Septemtrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus vna pace compositis, Iani portas, tertio tunc ipse clausit. Quas ex eo per duodecim fere annos quietissimo semper obseratas ocio, ipsa etiam rubigo consignauit; nec prius vmquam nisi sub extrema senectute Augusti pulsatæ, & Atheniensium seditione, & Dacorum commotione patuerunt. Clausis igitur iam portis, Rempublicam, quam bello quæsiuerat, pace nutrire, atque amplificare studens, leges plurimas statuit, per quas humanum genus libera reuerentia disciplinæ morem gereret. Igitur eo tempore, id est, eo anno, quo firmissimam verissimamque pacem, ordinatione Dei Cęsar cõposuit, natus est Christus, cuius aduentui pax ista famulata est, in cuius ortu, audientibus

Lucius Florus.

Orosius.

Pax aduentui Christi famulata.

hominibus, exultantes angeli cecinerunt, gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. EVTROPIVS lib. 7. in Augusto. Itaque anno ab vrbe cõdita 752. Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, & cetera vt ex Orosio.

Eutrop.

Professio indicitur.

2 PROFITERETVR. LVCAS cap. 2. factũ est autem in diebus illis, exiit edictum à Cęsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis; & ibant omnes, vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. IVSTINVS Philosophus & M. oratione ad Antoninum Pium. Vicus quidam est Bethlehem in regione Iudæorum, triginta quinque stadiis dissitus à Ierosolymis, in quo Iesus Christus natus est, sicut cognoscere potestis ex descriptionibus census acti, quæ sub Quirino primo vestro in Iudæa procuratore, sunt confectæ. EVSEBIVS in chronico ad annum 41. Augusti, èdicente Cæsare è Senatusconsulto, Quirinus in Iudæam missus census hominum, possessionesq; describit. THEODORETVS oratione 2. in Daniel. prope finem. Siquidem Augusto regnante, Dominus in lucem editus est, secundus quidem ille regnauit, omnes autem, vt ita dixerim, homines suæ ditioni subiunxit, omnemque terrarum orbem, vt euangelia testantur, descripsit, tributumque imperauir. SVIDAS in historia verbo apographi, Cæsar Augustus Monarcha viros viginti probatissimæ vitæ delectos in omnes prouincias misit, per quos & homines, & opes descripsit, edixitque vt iustam inde in ærarium partem inferrent. Hæc descriptio prima facta est cum hi, qui eum antecesserunt, quid nõ possessoribus eriperent? vt locupletibus publico essent crimini diuitię. AVCTOR. Quo Romanorũ cõsuetudinem explicantes intelligamus huius professionis modum, opus erit ex antiquo iure singula ad hoc pertinentia comprobare, & septẽ dubiis gratia claritatis, propositis, quid ex antiquitate verius habeatur, elucidare.

Lucas. *Iustinus.* *Eusebius.* *Theodor.* *Suidas.* *Auctor.*

Dubium 1. *Quid sit professio?* *Responsio.*

DVBIVM ergo primum sit, quid profiteri, aut professio sit, de qua est nobis sermo? Respondetur, profiteri esse publice, & apud acta aliquid denunciare

aut

aut insinuare; & professio illa denunciatio in actis publicis, aut tabulis relata, vt Curtius lib. 9. Alexander, ait, priusquam secerneret quos erat recensurus, edixit vt omnes milites æs alienum profiterentur; graue esse plerisque compererat, & quamquam ipsorum luxu cōtractum erat, dissoluere tamen ipse decreuerat: Rex satis gnarus mensas totis castris poni iussit, & decem millia talentorum proferri, tum demum fide facta professio est. Titus Liuius lib. 2. ab vrbe condita. Concioni deinde inquit, edicto addidit fidem, quo edixit, nequis ciuem Romanum vinctum, aut clausum teneret, quominus ei nominis edēdi apud consules potestas fieret; nequis militis, donec in castris esset bona possideret, aut venderet, liberos, nepotes ve eius moraretur. Hoc proposito edicto, & qui aderant nexi, profiteri extemplo nomina, & vndique ex tota vrbe proripientium se ex priuato, cum retinendi ius creditori non esset, concursus in forum, vt sacramento dicerent fieri, magna ea manus fuit, nec aliorū magis in Volsco bello virtus, atque opera enituit. Varro. lib. 2. de re rustica cap. 1. Itaque greges ouium longe abiguntur ex Apulia in sannium æstiuatum, atque ad publicanum profitentur, ne si in scriptum pecus pauerint, lege censoria committant mulctam. Cicero. oratione 2. de lege Agraria. In posterum vero lex hæc imperatoribus vestris constituitur, vt quicumq; de prouincia decesserit, apud eosdem decem viros, quantum habeat prædæ manubiarum auri coronati profiteatur. Et Verrina. 5. edixerat, vt oratores iugera sartionum suarum profiterentur. Constat ex his ergo professionem tunc fieri solitam, cum siue persona, siue respublicę personæ exponebatur, vt in acta publica referretur.

Curtius. *Liuius.* *Varro.* *Cicero.*

DVBIVM secundum est, vtrum cum professio fiebat, solueretur census aliquis, aut tributum? Respondetur, imo propter cēsum statuendum fiebat professio. Vlpianus de censibus; vitia priorum censuum editis nouis professionibus euanescunt. Dion Cassius libro. 49. Cæsar Romam versus pensionem, quæ ex professione

Dubium 2. num fieret cū solutione census. *Responsio.* *Vlpianus.* *Dion. Cass.*

census imposita fuerat, ac si qua alia in publicum conferri ante tempus belli ciuilis huius iussa adhuc debebātur, remisit. *Iosephus.* Iosephus lib. 17. antiquit. cap. 19. & lib. 18. cap. 1. Cyrenium, ait missum, vt vniuersorum depreciaretur substantias, & censum faceret. *Eusebius.* Euseb. lib. 1. historiæ Ecclesiasticę cap. 5. & auctores sacri citati vna cū professione censum putant solutum.

Dub 3. nū census fieret per capita. DVBIVM tertium. Vtrum professio fieret per capita, aut per substantias? & si per capita, num omnes viri, feminæ infantesque censerentur? Respondetur primo, *Respons. 1.* professiones fieri solitas aliquando per capita solum, cuiusmodi puto illum censum Math. 17. cum Dominus iussit Petro vt solueret staterem pro ambobus: & illum, *Iosephus.* de quo Iosephus lib. 7. de bello Iudai. capite. 26. cum Vespesianus stipendium vbicumque degerent Iudæis indixit, binasque drachmas singulis annis deferre in capitolium iussit, ita vt antea Ierosolymorum templo pendebant. *Liuius.* Liuius lib. 1. & *Dionys.* Dionys. Halic. lib. 4. ante Seruium Tullum viritim actum censum, dicunt; erant & qui dicebantur apud Romanos capite censi, quia pecunia non censebantur, quod essent tenuiores, qui 375. asses haberēt in censum. *Respons 2.* Secundo dicendum, omnes cuiuscunq; essent *Halicar.* ætatis, aut sexus solitos profiteri, vt patet ex his Dionys. verbis lib. 4. tum igitur ciues omnia bona sua æstimare, Rex (Seruius Tullus) iussit, atque eorum æstimationem iure iurando obstrictos ad se deferre; præterea patrem, nomina, & ætatem vxorum, liberorum, libertorū, seruorumq; profiteri, quaq; vrbis in regione, aut quo sub vrbis pago habitarent, indicare; qui secus fecisset bona eius publicari, ipsum verberatum venire, & ciuitatem amittere *Infantium professio.* voluit. De liberis professis apud acta quātumuis infantes *Iuuenalis.* essent constat ex Iuuen. sat. 9.

Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri; foribus suspende coronas.
Iam pater es.

Capitolin. CAPITOLINVS in Marco Philoso.

Inter

Inter hæc liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet apud præfectos ærarii Saturni, vnumquemque ciuiũ natos profiteri, intra tertium diem, nomine imposito. Idem in Gordiano. Nam illud satis constat, quod filium Gordianum nomine Antonini signo illustrauit, cum apud præfectum ærarii more Romano professus filium, publicis actis nomen eius insereret. Scæuola in lege vltima D. de probationibus: mulier grauida repudiata filium enixa, absente marito, vt spurium in actis professa est; quæsitum est an is in potestate patris sit, & matre intestata mortua iussu eius hereditatem matris adire possit, nec obsit professio à matre irata facta? respondit, veritati locum superfore, & l. Etiam matris professio filiorum recipitur, sed & aui recipienda est. Et quia huiusmodi professio fiebat addito die, & consule, propterea professione ætas facile probari poterat, vt in lege prima Cod. Si minor se maiorem dixerit, si cum minor annis 25. esses, tabulis, quæ sunt tuarum professionum oblatis tibi, ætatem quasi maior annis 25. decepta probasti, in integrum restitui potes: sed aliquando nihilominus orbi, orbæque sunt censu exclusi, vt refert Liuius lib. 3. Quinto Fabio, ait T. Quinctio coss. censa sunt ciuium capita 123. millia, & 214. præter orbos orbasque. Et lib. 54. censa ciuium capita 369. millia, & 513. præter orbos, & viduas, & postea concessa est immunitas prouinciæ Syriæ, sub qua erat Iudæa, vt non nisi puberes adscriberentur tabulis censuum. l. ætatem D. de censibus, Vlpianus lib. 2. de censibus, ætatem in censendo significare necesse est, quia quibusdam ætas tribuit ne tributo onerentur, veluti in Syriis à quatuordecim annis masculi, à duodecim feminæ vsque ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligantur. AEtas autem spectatur censendi tempore.

Scæuola.

Professione ætas probatur.

Orbi à censu exclusi, & viduæ.

Liuius.

Vlpianus.

Tertio dicendum huiusmodi professiones à tempore Seruii Tullii regis non tantum per capita, sed per facultates fieri solitas, cuiusque æstimatione subducta, hæc constant ex his, quæ dicemus de quinquennali,

Respons. 3.

Professio facultatum.

ſeu luſtrali cenſu, & ex Ioſepho ſupra relato.

Dub. 4. de forma profeſsionis. Reſponſio. Vlpianus.

DVBIVM quartum, quæ eſſet forma huius profeſsionis conficiendæ? reſpondet Vlpianus lib. 3. de cenſibus leg. Forma. ff. de cenſibus, forma cenſuali cauetur, vt agri ſic in cenſum referantur; nomen fundi cuiuſque, & in qua ciuitate, à quo pago ſit, & quos duos vicinos proximos habeat, & id aruum, quod in decem annos proximos ſatum erit, quot iugerum ſit, vinea quot vites habeat, oliuetum quot iugerum, & quot arbores habeat; pratum quod intra decem annos proximos ſectum erit, quod iugerum; paſcua quot iugerum eſſe videantur: item Syluæ cæduæ. Omnia ipſe qui defert, æſtimet. Et infra. Is vero, qui agrum in alia ciuitate habet, in ea ciuitate profiteri debet, in qua ager eſt, agri enim tributum in eam ciuitatem debet leuare, in cuius territorio poſsidetur. Conſtat etiam qua forma cenſerentur, ex geſtis Seruii Tullii, vt retulimus ex Dionyſ. Halicarnaſeo lib. 4. quæ ipſa refert Titus Liuius lib. 1. Lucius florius lib. 1. cap. 6. & Eutrop. lib. 1. in Seruio Tullo, & ex aliis Romanis hiſtoriographis, qui ab illo rege octuaginta ciuiũ millia cenſa dicunt, ſic Lucius, Dionyſ. & Eutrop. octoginta quatuor dicunt fuiſſe, aut octoginta quinq; millia. 300. ademptis, vnde Florus, ab hoc, inquit, populus Romanus relatus incenſum, digeſtus in claſſes, curiis, atq; collegiis diſtributus, ſummaq; regis ſolertia ita eſt ordinata reſpublica, vt omnia patrimonia dignitatis, ætatis, artium, officiorumq; diſcrimina in tabulis referrentur, ac ſi maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur. Hæc ille. Ex quibus patet quam accurate minima quæq; in illis profeſsionibus deſcriberentur, ſiue ad capita ſpectes virorum, feminarum, infantium, & ſeruorum, quoad ſtirpem, dignitatem, ætatem, artem, & officium: ſiue quoad ſubſtantiam, quot iugerum eſſent, quot arborum &c.

Halicar. Liuius. Florus. Eutropius.

Dubium 5. de tempore profeſsionũ. Reſponſ. 1.

DVBIVM quintum eſt quo tempore fierent, hæ profeſsiones, & quouſque durauerint? Reſpondetur primo, à celebri illo cenſu tẽpore Seruii Tulli facto, quinto

quoque

quoque anno solitum repeti; nam illo ea forma qua dictum est finito, lustrabantur omnes in campo Martio, eo modo quo factum refert Liuius lib. 1. Dionys. Halicarn. lib. 4. Eutrop. lib. 1. & alij, vnde lustrum pro quinquennali spacio acceptum est: à luendo dictum lustrum vult Varro lib. 5. de lingua Latina, quod quinto quoque anno vectigalia, & alia tributa per censores persoluerētur. Tametsi vltra quinquennij tempus, vel bello, vel domesticis discordiis, vel alio casu sæpe productum in septem, decem, & aliquando septemdecim annos fuisse lustrum ex fastis constat, vt notat Onuphri. in lib. de ciuitate Romana, cap. de censu 1. & lustro instituto: de quo Illefonsus serm. 7. de Purificatione. Cum Romani, ait, omnes gentes sibi subiugassent, tributum eis imposuerunt eo tenore, vt quinto quoque anno idem tributum persoluerent; quo expleto, & censu persoluto, ab omni populo ciuitas lustrabatur, & diis manibus sacrificia offerebant. Secundo dicendum hunc censum durasse, vsque ad Christum, & vltra, nam Dionysius Halic. lib. 4. de eo sic ait, hanc purgationem vsque ad hāc ætatem Romani peragunt, post consumationem censuum ab his, qui obtinent sacratissimum magistratum. Et Censorinus de die natali, cap. 15. vsque ad Vespasiani Imperatoris tempora lustralis census exactionē perseuerasse ait; & Tertullianus lib. de palio, suo adhuc tempore census scribi solitos testatur, cum ait, Deo tot Augustis in vnum faciente, quot census transcripti, quot populi propaginati.

Professio cæpit à Seruio Tullio. *Liuius.* *Diony. Halicar.* *Eutropius.* *Lustrū quid* *Varro.* *Onuphrius.* *Illefonsus.* *Respons. 2.* *Census ad Christum vsque durauit.* *Dionysius.* *Censorius* *Tertullian.*

DVBIVM 6. est V. hoc genus tributi inductū fuerit in gētes, prēsertim Iudēos, populo Romano subiectos? Cōstat in primis tributū à Iudæis exactū, cū primum à Pōpeio deuicti sunt: vt ait Iosephus lib. 14. antiquitat. c. 8. decē millia talenta, sub Consulatu Cicerouis, & Antonij, cuius meminit ipse Cicero oratione pro Flaco. Hierony. cap. 9. in Daniel. August. 18. de ciuitat. cap. 45. Gabinius postea, vt ait Dion Cassius lib. 39. imperauit Iudæis stipendium, vt in AEgyptū proficisceretur, & Epiphan. hæres. 51. ait, à tempore coniunctionis Iudæorum cum Romanis 4. anno

Dubi. 6. quibus tributum indiceretur. *Iosephus.* *Cicero.* *Hieronym.* *Augustin.* *Gabinius imposuit tributum Iudæis.* *Dion Cassi.* *Epiphanius.*

Augusti, à bello Actiaco, auxilium societatis bellicæ mitti solitum: & præfecti constituebantur, & partes tributorum in quinque annis plus, aut minus, donec perfecte tradita est Iudæa, & plenissime sub tributum redacta, cum defecissent principes ex Iuda, & Herodis ex gentibus cõstitutus esset. Post quartum annum Herodes tradita est Iudæa, perfecte, vsque ad 34. annum Herodis & 42. annum Augusti, postquam ipsa 29. annos Romanis tributum pendisset, & constitutus esset præfectus, seu procurator Antipater Herodis pater. Secundo, sunt qui putent illud genus tributi quinquennalis indictum fuisse Iudęis, sicut & aliis gentibus. Sic enim ait Capitoli. in Marico Philosopho: inter hæc liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet apud præfectos ærarij Saturnij, vnumquemque ciuium natos liberos profiteri intra tertium diem nomine imposito: per prouincias tabulariorum publicorum vsum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarij, vt si forte aliquis in prouincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret. Dion li. 55. refert Marco Emilio Lepido. L. Arruntio Cõss. an. nou. cond. 759. qui erat annus 6. aut 7. Christi, Augustum ærarium militare constituisse, & vt vigesima pars hereditatum, ac legatorum, exceptis his, quæ proxime genere iunctis, ac pauperibus, morte aliorum relinquebantur, in ærarinm militare inferrentur: quasi scriptum in Cæsaris commentariis id pensionis genus repperisset: fuerat enim iam ante etiam eius rei mentio illata, sed omissa rursum, tunc relata est, hæc Romanis molesta fuerunt. Et libro 56. Quia vigesimæ pensio adeo omnibus fere molesta erat, vt videretur aliquid noui motus excitatura, misso in Senatum libello aliorum redditLuum excogitandorum negocium eis dedit, multis ea re in Senatu sermonibus agitata, nonnullisque etiam, sibi per literas indicatis, cum quiduis eos facilius, quam vigesimam toleraturos intelligerent, in agros, & domus pensionem transtulit: ac confestim non ostenso quantum, aut quo pendendum cuilibet modo foret, alios

Tributum quinquennale indictũ Iudæis.
Capitolin.
Dion.

alio

alio demisit, qui priuatorum, ac ciuitatum facultates describerent, vt cum singuli maiorem iacturam vererentur, mallent vigesimam pendere, idque eius consilium ita res ipsa probauit, contigit hic census. L. Munatio, & Caio Silio cons. vno anno ante Augusti obitum. Et quatuor fere annis ante Christnm natum, Augustus recensionem eorum, qui in Italia habitarent, vt refert Dion. lib. 55. ac ad ducenta Sestertia possiderent, iniuit, pauperioribus, ac his, qui extra Italiam viuerent, omissis, nequid turbarum darent: id ne censor facere videretur, ad hunc censum peragendum, lustraleque sacrum faciendum proconsulare imperium accepit. Præterea ex Epiphanio hæres. 51. Constat, quinto quoque anno solita mitti à Iudæis ad Romanos tributa: & Tertullianus libro quarto aduersus Marcion. cap. 19. quinto anno post Christum natum dicit, alium censum initum, sic enim ait, sed & census constat actos sub Augusto nunc in Iudæa per Sentium Saturninum; apud quos genus eius inquirere potuissent, hoc est, sub Consulatu Sentij Saturnini, qui gessit consulatum anno quinto Christi cum sexto AElio Cato. & in lib. de palio cap. 2. Deo tot Augustis in vnum fauente, quot census transcripti, quot populi propaginati? Adde illam descriptionem, & bonorum æstimationem post Regnum Archelai factam: quam refert Iosephus lib. 17. antiquitat. cap. vltimo: & lib. 18. capit. 5. & lib. 2. de bello Iudaico capit. 7. & Eusebius libro 1. historiæ cap. 5. Quamuis videatur confundere primam sub Christo factam cum hac; quia vtrique Cyrinum præfuisse dicit. Ex his videtur colligi has celebres professiones non singulis annis fieri solitas, sed post quinque, aut plures annos. Pro necessitate Reipublicæ, & principum voluntate: ac fieri solitas per capita, & fortunarum æstimationem. Tum etiam peculiariter distinctione facta tribuum, & familiarum, vt fiebat apud Romanos; qui mos etiam in recensione seruatus est à Iudæis, vt patet in lib. Numer. à c. 1. ac ita factũ fuisse in hac recensione, asserit. EVSEBIVS Emissenus, supra Euangelium Luc.

Epiphan. *Tertullian.* *Iosephus.* *Eusebius.* *Professionũ causæ.* *Census fiebat per tribus, & familias.* *Euse. Emis.*

Luc.2. his verbis, inquit, aperte demonstratur, quod hæc descriptio secundum familias facta fuerit, vnde ad proprias ciuitates, atque familias, vbicumque essent, singulos redire oportebat, quatenus communicato consilio omnes simul tributum dare promitterent: & facta descriptione secundum vnamquamque familiam totius tributi summam colligerent. Venit itaque cum Maria Ioseph desponsata sibi vxore prægnante in Bethlehem ciuitatem Dauid, vbi eorum familia habitabat, vt & ipsi, sicut ceteri, eamdem facerent professionem. Dicta autem est prima descriptio respectu secundæ factæ in sequenti lustro, sub eodem Cyrino.

Prima descriptio Cyrini cur dicta.

Dub. 7. nũ professione fieret quis ciuis Romanus?

DVBIVM 7. est vtrum hi, qui in tabulis Romanorum profitebantur nomen, fierent ciues Romani? Respondetur, iure antiquo Romanorum fieri, vt ait Orosi. & notat Sigonius, ex Lucio, Cicero. Et aliis, lib.1.cap. 14. de iure antiquo Romanorũ. Vnde lege. In orbe D. de statu hominum, in orbe Romano, qui sunt ex constitutione imperat. Antonini ciues Romani effecti sunt.

Responsio. Orosius. Sigonius.

Bethlehemi descriptio. Iustinus.

3 BETHLEHEMVM. IVSTINVS Philosophus, & M. in apologia 2. pro Christianis. Bethlehem castellum est Iudeæ, stadia. 35. dissitum à Ierosolymis: in quo IESVS Christus natus est, sicut cognoscere potestis ex censu facto sub Quirino, qui primus in Iudæã procurator missus est. HIERONYMVS lib. de locis Hebraicis litera B. Bethlehem ciuitas Dauid in sorte tribus Iudæ, in qua Dominus noster, atque Saluator natus est, in sexto milliario ab AElia, contra meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Chebron, vbi & sepulcrum Iesse, & Dauid ostenditur: Sed & prope eamdem Bethlehem Regis quondam Iudeæ Archelai tumulus ostenditur, qui semitæ ad cellulam nostram è via publica diuertentis principium est. BEDA lib. de locis sanctis cap. 8. Bethlehẽ sex millibus in austrum ab Ierosolyma secreta, in dorso sita est angusto, ex omni parte vallibus circumdato, ab Occidente in Orientem mille passibus longa, humili sine turribus muro per extrema planiverticis instructo, in cuius Orien-

Hieronym.

Beda.

Orientali angulo, quasi quodam naturale semi antrum est, cuius exterior natiuitatis dominicæ fuisse dicitur locus, interior domini præsepe nominatur. BROCARDVS in descriptione terræ sanctæ, parte 1. cap. 7. §. 59. est Bethlehē sita in colle alto, & oblongo, habens in occidente, & indecliui loco collis ingressum, vbi etiam est cisterna, de qua Dauid bibere desiderauit, cum esset in præsidio: in extremitate vero Orientali sub rupe quadam, quæ erat iuxta murum ciuitatis, fuit, secundum morem illius terræ, locus, pro stabulo, habens pręsepe in rupe excisum, vbi mundi Saluator ex Virgine natus, & reclinatus fuit, cum locus alius commodior in diuersorio non esset quam præsepe, in quod mundi creator, & Redemptor reponeretur. Et in descriptione Ierusalem. Ierusalem ciuitas Dei summi distat ab Acone 36. Leucis, quæ scilicet est contra Aquilonem; à Sebaste vero, siue Samaria distat sedecim leucis, à Sichem 8. & à Nazareth 27. & hæc loca omnia sunt versus aquilonem. *AVCTOR*. Cum constet Bethlehemū situm fuisse ad austrum Ierusalem sexto milliario, & Nazaretham ad Septentrionem Ierusalem 27. Leucis, quæ, datis singulis leucis quatuor milliaribus per spacium, quod præterit singulis horis, si mediocriter quis gradiatur, percursis, efficient 108. milliaria, profecto via integra à Nazaretha, vsque ad Bethlehem viginti nouē fere leucis cōprehensa fuit. Lege quæ supradiximus cap. sexto, numero secundo. Collis autem ille, in quo sita erat ciuitas vocabatur Ephrata, quo nomine vocatur, & ipsa ciuitas Genes. 35. 19. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Genes. 487. Sepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Hieronymus quæstionib. in Genesim in cap. 48. ait, Ephrata vero, & Bethlehem vnius vrbis vocabulum est. Et lib. de locis Hebraicis litera E. Ephrata regio Bethlehem, ciuitas Dauid, in qua natus est Christus; est autem in tribu Iuda, licet plerique male existiment in tribu Beniamin, iuxta viam, vbi sepulta est Rachel, quinto milliario ab Ierusalem.

Brocardus.

Auctor.

Nazaretha quantū distat à Bethlehemo.

Ephrata collis & vrbs.

Hieronym.

PASTO-

Spelunca vsui erat pastoribus. 4 PASTORVM. LVCAS cap. 2. inuenietis infantem pannis inuolutũ,& positum in præsepio. BROCARDVS. In extremitate Orientali sub rupe quadam, quæ erat iuxta murũ ciuitatis, fuit secundũ morẽ illius terræ locus pro stabulo. *AVCTOR.* Ex modo loquẽdi Angeli, videtur locus ille cõmuuis, & satis notus pastoribus, quo diuertere solerẽt. Cur enim diceret positum in præsepio, nullo particulari nominato? Nũ non erant multa alia? sed notum & cõmune præsepe designauit. Speluncæ hanc descriptionẽ tradidit mihi vnus è nostris, qui missus à Gregorio 13. Pontifice summo ad reducendos, cõciliandosq; Morabitas Ecclesiæ Romanæ, Bethlehemũ diuertens, vidit eã, atq; dimensus est, & scriptis mandauit, ne memoria excideret; recteq; descriptã esse comprobauit alter è nostus, qui à Philippo II. religionis ergò, ad loca illa sancta visitanda suo nomine est similiter missus; estq; conformis ei, quam tradit D. Ioannes Suarez Coimbricensis Episcopus, tractatu 49. in Lucam: qui se etiam vidisse affirmat, & vera ex dictis sanctorũ iam iam adducendis cõprobabitur.

Lucas. *Brocardus.* *Auctor.* *Præsepe cõmune.* *Speluncæ descriptio.*

Spelunca hospitiũ virginis pariẽtis. 5 SPELVNCAM. IVSTINVS Philosophus, & M. in dialogo cum Triphone. Cum autẽ puer nasceretur in Bethlehem, quia Iosepho nõ erat locus in castello, quo diuerteret, in speluncam, quandã castello propinquam diuertit; ibi Maria Christum recens natum in præsepe deposuit. ORIGENES lib. 1. contra Celsum. Quod autẽ in Bethlehem sit genitus IESVS, si velit aliquis post Micheæ vaticinium, & post Euangelij per IESV discipulos conscriptã historiam fieri alias certior, intelliget, vt subsequenter in Euangelio, cum eius natiuitas enarratur, & in Bethlehem spelũcam ostendi, vbi ille sit natus; quod vtique, & in illis locis percelebre est, vel apud eos quidem qui à fide sunt alieni, fama & nomine circumfertur: eadem & in spelunca IESVM quemdam, quem Christiani adorent, & demirentur, genitũ esse. EVSEBIVS lib. 7. de demonstratione Euangelica cap. 5. Hodie quoque qui illũ locum incolunt, tamquam à patribus eorũ accepta memoria, his, qui visendi gratia Bethlehẽ petere consueuerunt testi-

Iusti. Mart. *Origenes.* *Eusebius.*

testimonium suum afferunt, veritatem fidei facientes, agrumque demonstrantes, vbi Virgo enixa infantem posuit. ATHANASIVS Episcopus Alexandrinus, oratione de Natiuit. Christi. Elisabeth in domo illustri Ioannem peperit, & Virgo ipsa in parua speluca IESVM parit: Ioannes in lecto, & Dominus in præsepio reclinatur. GREGORIVS Nyssenus Episcopus, orat. de Natiuitate Christi. Verum hortatur nos Euangelium, vt in Bethlehem oratione conuertamur, & quæ in antro sint mysteria, videamus quid sibi vult hæc Domini in antro sedes? hæc in præsepi reclinatio? EPIPHANIVS hæres. 20. Natus est in Bethlehem, circūcisus in spelunca. IOANNES Chrysostomus, oratione de Annunciat. Missus est Angelus Gabriel, vt indicaret, qui est in solio, in spelunca etiam iacere. HIERONYMVS Epistol. 18. ad Marcellam. Verum, vt ad villam, & ad Mariæ diuersorium veniamus; quo sermone, qua voce tibi speluncam Saluatoris exponam? Et illud præsepe, in quo infantulus vagiit, silentio magis quam infimo sermone honorandum est. Et Epistol. 27. in epitaph. Paulæ. Inde Bethlehē ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquā vidit sacrū Virginis diuersorium, & stabulū. Et Epist. 48. ad Sabinianum diaconum. Infelicissime mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei filius natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suū, de stupro condicturus ingrederis? non times ne de præsepi infans vagat, ne puerpera Virgo te videat? BEDA lib. de locis sanctis cap. 8. in cuius orientali angulo, quasi quodā naturale semiantrū est, cuius exterior Natiuitatis Dominicæ fuisse dicitur locus. GEORGIVS Cedren. in compend. hist. Iosephus cū Maria in Iudæam abiit: angustiaq; temporis prȩuenti diuerterūt in suburbiū Bethlehemȩ, quod possidebat Salome obstetrix, Mariæ cōsobrina. NICEPHOR. lib. 1. histor. Ecclesiast. cap. 12. Verum enim vero, edicto cogente, cum Ioseph simul cum sponsa Maria pondus ventris naturam ipsam supergressum leuiter admodum ferente in patriā suā, vt ibi censeretur, iret, neque dum ad domū peruenissent,

Athanas. *Greg. Nys.* *Epiphanius* *Hieronym.* *Beda.* *Georgius.* *Nicephor.*

in agrum quondam diuerterunt, qui ager Salomæ erat, Tugurium humile, & præsepe ad iumenta excipienda constructum, cæli & terræ Regi genito hospitium præparatū fuerat: hunc ibi fasciæ circumuoluunt, & quod honoratior in diuersorio locus non esset, in præsepi omnium altor reponitur: necesse enim erat quamplurimis ad censum, & descriptionem confluentibus, multam posterius aduenientibus locorum relinqui penuriam. Itaque hospitij inopia ad eum modum laborantem opificem rerum omnium Deum Verbum inanimantium præsepe excepit.

Salomæ ager.

Nouem mēsibus completis parit Virgo. *Cyri. Ierosl.*

6 NOVEM. CYRILLVS Ierosolymitanus, catechesi 12. Agnoscat eorum ordo, & institutum, qui vitā solitariam agunt, castitatis gloriam, nec enim priuamur castitatis dignitate: in ventre enim Virginis fuit nouem mēsium tempore saluator, vir factus Dominus 33. annorum; itaque si veneratur Virgo propter nouem mensinm tempus, multo magis nos propter multorum annorum tēpus.

Sophronius SOPHRONIVS Ierosolymitanus in Epistola synodica. Ex inuiolabili namque, & virginali sanguine sanctæ Virginis Mariæ, verbum vere factum est incarnatum, & veraciter homo, & in vtero virgineo deportatus, & tempus expleuit legitimi puerperij. *Damascen.* IOANNES Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. Et quoniam consueto in tempore, nam nouem menses complens, & decimùm attingēs nascitur, id fit lege partus. *Hilar. Arelatens.* Sanctus HILARIVS Arelatensis Episcopus, hom. 1. de natali Domini. Et quid egit illis nouem mensibus intra illud materni corporis genitale secretum? illic vtique de eius ossibus, & medullis, ratione operante collectus, illic natura stupente cōpositus, illic per legitima nascendi spacia de carne carnis incrementa mutuatus est.

Maria parit absque dolore. *Cyprianus.*

7 NVLLO DOLORE. CYPRIANVS in natiuitate Christi. Genitrix est obstetrix, & deuotam dilectę soboli exhibet clientelam, atrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negocium plenū gaudio: nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio, nec locus ibi erat lauacris, quæ solēt puerperis præparari; quippe nec

pe nec aliqua naturæ iniuria matrem Domini læſerat, quoniam ſine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate, vltro maturus ab arbore baiula fructus elapſus eſt, nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat: nihil in hac repetiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vſuram, Spiritu ſancto obumbrante incendium originale extinctum eſt, ideoque innoxiam affligi non decuit, nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniuriis, quoniam plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa. ZENO Epiſcopus Veronenſis, ſermone ſexto de natali. Non mater eius tanti partus pondere exhauſta totis pallens iacuit reſoluta viſceribus, non filius matris, aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus: nec enim reuera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus; denique purgationes, quæ ſunt tarditate periculoſæ, nullo puerum maternorum viſcerum ſecutæ ſunt damno, nulla adhibita rudi fœtæ ſueto more fomenta, nec enim fratres his poterat indigere, quæ accipere in vterum meruerat animarum omnium ſaluatorem. ATHANASIVS ſermone de Natiuitate Chriſti. Quæ ſine dolore aliquo mater fuit, eadem & obſtetricis munere functa eſt, cum à nulla muliere didiciſſet: non enim permiſit, quemquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum; illa per ſe eum, qui ab ipſa, & pro ipſa genitus eſt, ſuſcepit, pānis inuoluit, & in preſepio reclinauit. GREGORIVS Nyſſenus Epiſcopus oratione de reſurrectione Chriſti. Habes & Iſaiam, qui gratiam hodiernam non parum illuſtrat: ab ipſo enim Virginem matrem ſine patre filium, ſine dolore puerperam, ſine labe partum prediſces: ſic enim loquitur propheta. Ecce virgo in vtero cōcipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel: quæ vox ſignificat nobiſcum Deus. Æquum erat autem, vt ſine dolore hic partus exiſteret. Etenim cum omnis voluptas dolorē coniunctum habeat, neceſſe eſt vt in his, quæ ita copulata ſunt, cum vnum abeſt, alterum etiam abſit: itaque cū nulla

Zeno Verō.

Athanaſ.

Greg. Nyſ.

Dolor partus coniunctus cum voluptate conceptus. concipiendi voluptas antecesserit, nec pariendi quidem dolor est consecutus. Hoc autem prophetæ verbis etiam comprobatur, quæ sic hebent, antequam labor dolorum veniret, effugit, & peperit masculum, aut quemadmodum alius interpres ait, antequam dolores sentiret, peperit.

Isai. 66.

Greg. Naz. GREGORIVS Nazianzenus in tragædie de Christo patiente, in principio.

Nam partum ego sum experta non partum, quî enim
Nomine alio vocare possim, vt quæ parens
expers laboris, & doloris extiti
Integra, & incorrupta, nescia illius,
Etiam voluptatis viri quæ ex copula est?

ET INFERIVS.

Matrem absque sponso scimus, & viro, suas
Hic nulla partes, & suam manum obstetrix,
Deprædicauit: partus hic diuinus est.

Hieronym. HIERONYMVS lib. aduersus Heluidiũ, capit. 4. Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit: ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa & mater, & obstetrix fuit: & collocauit, inquit, in præsepio, quia nõ erat ei locus in diuersorio. Quæ sententia, & apechriphorum deliramenta conuincit, dum Maria ipsa pannis inuoluit infantem. *Fulgentius.* FVLGENTIVS sermone de laudibus Mariæ. Nulla fieri grauedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti: qui enim venerat triste lætificare seculum, ventris non constristauit hospitium. *Damascen.* IOANNES Damascenus lib. 4. fidei cap. 15. Natus est ex muliere sine patre, & ex patre sine matre: & quoniam ex muliere, lege partus, quoniã sine patre supernaturam est natiuitatis, & quoniã consueto in tempore (nam nouem menses complens, & decimũ attingens nascitur) id fit lege partus; *Dolor partus sequitur voluptatem conceptus.* quod autem sine dolore supra legem partus est; cuius enim voluptas nõ præcessit, nec pariẽdi dolor subsecutus est, secundũ prophetam dicentem, priusquam dolorẽ partus sentiret peperit; & rursus priusquã adueniret tempus dolorum partus effugit, & peperit masculũ. PETRVS

Damia-

Damianus, serm. 3. de Mariæ natiuit. Quæ sine contamina- *Petr. Dam.*
tione cócepit, & sine dolore filium procreauit, nó secutus est dolor partũ, quia non præcessit libido conceptum; dictum namq; fuerat, ecce in dolore paries filios: quæ senté- *Genes. 3.*
tia in aliis matribns viguit, in Maria vero modum sui iuris amisit; quæ enim virgo permansit cócipiendo, doloré sentire non potuit pariendo. RVPERTVS lib. 13. in Ioã- *Rupertus.*
nem. Non habuit hæc mulier hanc pœnã, vt in dolore pareret, sicut ceteræ matres, quando infans sibi natus est, sed nunc quãdo pendéti, & morieti in cruce astat filio. BERNARDVS serm. 1. in vigil. Natiuitatis. O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, *Bernardus.*
nó reserãs, sed cósecrans virginalis vteri templũ. Et serm. 4. Cui poterit Christus asper, aut durus videri, qui nec ipsi matri in natiuitate quicquã asperitatis, quicquã intulit læsionis? O noua vere miracula, conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore, mutata est in Virgine nostra maledictio Euæ; peperit enim filiũ sine dolore, mutata est inquã maledictio in benedictioné, sicut prædictum est per Angelũ *Lucæ. 1.*
Gabrielem; benedicta tu in mulieribus. O beata sola inter mulieres benedicta, & non maledicta, sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientis aliena. Nec mirũ fratres si dolorem non intulit matri, qui dolores totius mundi tulit. Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor, & dolor, vtrumque Christus tollere venit, vnde & vtrumque suscepit: itaque vt fiduciam nobis daret quod tolleret hęc à nobis, prius matrem suam immunem ab vtroque seruauit, vt nec in conceptu quicquam pudoris, nec in partu quicquam doloris existeret. Et Epistol. 174. Extolle nescientem, vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. AVCTOR. De hac re supra cap. 5. nu- *Auctor.*
mer. 12. satis multa adduximus.

8 APERTIONE. EVSEBIVS Emisse- *Maria integra peperit.*
nus hom. super ecce quã bonũ, & quam iucundum. Quo modo potuit virgo esse post filiũ? hoc vtiq; modo, quia ho- *Eusēb. Emi.*
nor virginitatis per generanté, non per nascenté resoluitur. Hic ergo, quia corruptionis iniuria nó fuit in concep-

tu, ideo integritas perseuerauit in partu. Nemo Virgine nato filio calumnietur gloriam tantæ parentis; quam cælestis puer non prærupit dum concipitur, non potuit violare dú nascitur. CYRILLVS Archiepiscopus Ierosolymitanus, in oratione de occursu Domini. Ierusalé aperiat portas ei, qui aperuit omnibus cælestes portas, & aperuit in cruce ostia sepulcrorum, & contriuit portas inferorum, quæ erant ab æterno; & admirabiliter clausit portas virginitatis. Christus solus ex solo vnigenitus, cum virginales portas non aperuisset, non est sanctus Domino, sed sanctus sanctorum. GREGORIVS Nyssenus hom. de occursu Domini. Non prius apertam vuluam virginalem aperuit, signacula virginitatis illæsa conseruans, etiá post processum admirabilem. GREGORIVS Nazianzenus in Tragædia de Christo patiente, ad finem.

Cyril. Iero.

Nyssenus.

Greg. Naz.

Et quomodo autem foribus occlusis adest?
Quin forte, & idem sic sepulcro condito,
Clausoque surgens exiit, velut antea,
Virginis ab aluo prodiit, matris suæ,
Infracta seruans claustra, quam castissimæ.

Amphiloc.

AMPHILOCHIVS Ichonij Episcopus, in oratione de hypopant. Domini. Quantum pertinet ad virginalem naturam, Virginis claustra nullo modo aperta sunt, quantū vero ad potentiam geniti Domini nihil clausum, omnia aperta. AMBROSIVS lib. de institutione virginis, cap. 7. Quæ est hæc porta nisi Maria? Ideo clausa, quia virgo, porta igitur Maria, per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non soluit, mansit intemeratum septum pudoris, & inuiolata integritatis durauere signacula, cum exiret ex Virgine; cuius altitudinem mundus sustinere non posset. Et capit. octauo. Hæc porta clausa erit, & non aperietur: bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur: transiuit per eam Christus, sed non aperuit. IOANNES Chrisostom. homilia de Ioanne Baptista. Sancta Maria, beata Maria mater

Ambros.

Chrisost.

& virgo, virgo fuit ante partum, virgo post partum, vultis scire quomodo de virgine natus sit, & post natiuitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erãt ostia, & ingressus est IESVS. Quomodo clausis ostiis intrauerunt ossa & caro? Nescis quomodo factum sit, & das hoc potentiæ Dei. Da potentię Dei, quia de Virgine natus sit, & tamen ipsa virgo, fuerit virgo post partum. TELLENSE Concilium. Hæc porta est Maria, de qua scriptum est, quia Dominus pertransiuit per eam, & erit clausa post partum, quia virgo concepit, & genuit. HIERONYMVS in Apologia ad Pammachium. Respondeant mihi quando IESVS ingressus est clausis ostiis, cum palpandas manus, & latus considerandum, & ossa, carnemque monstraret, ne veritas phantasma putaretur; & ego respondebo qnando sancta Maria sit, & mater, & virgo, virgo post partum, mater antequam nupta. Et Isaiæ 7. Ipse descendit in vterum virginalem, & ingredietur, & egredietur Orientalem portam, quæ semper est clausa. PROCLVS Cizicenus, in synodo Ephesina. Iste Emanuel naturæ quidem portas aperuit, vt homo, virginitatis autem claustra non fregit vt Deus, sic nascitur vt est conceptus; impassibiliter introiit, ineffabiliter exiuit, secundum quod Propheta Ezechiel dixit. AVGVSTINVS Epistola 3. ad Volusianum. Ipsa virtus Dei per inuiolata matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra iuuenis introduxit. Hic si ratio quæritur non erit mirabile, si exemplum poscitur non erit singulare: demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Et sermon. 156. de tempore. Quid mirum si Dominus ad discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo ianuam mundi huius intrauit? Et serm. 160. Ille viuẽs per clausas ianuas intrauit, qui nascendo integritatem matris non violauit. MAXIMVS homil. 2. de Natiuit. Domini. Non vsquequaq; miremur si is, qui fidei semine acquiritur, salua materni pudoris

Conc. Tellense.

Ezechiel

Hieronym.

Ezechiel

Proclus.

Augustin.

Maximus.

doris fide inuiolabiliter procreatur: itaque ad Euangelium recurramus, miraculum illud quod Euangelista protulit tempore resurrectionis digne mihi vsurpabitur, etiam tempore natiuitatis, cum Ioanne dicendo, venit IESVS ianuis clausis, & stetit in medio. Ecce iam nunc ianuis clausis processit in mundum, materni pudoris signaculo minime resignato: simulque illud impletur propheticũ Ezechielis oraculum, & porta erat clausa, & non est aperta, quia Dominus transiuit per eam; eadem nunc prudentia mundi istius ianuam per partem inuiolatæ matris intrauit, qua postmodum ad discipulos clausis foribus penetrauit. THEODORETVS dialogo secundo. Ingressus est clausis ianuis, quemadmodum, & egressus est ex vtero, cum claustra Virginis obsisterent, & sicuti in mari ingressus est. LEO Papa sermone primo, de Natiuitate. Merito igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris, ęditio veritatis. Et sermone secundo. Oportuit enim vt primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium diuini Spiritus virtus infusa seruaret, quæ statuerat deiecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiæ donare virtutem: vt virginitas, quæ in aliis non poterat salua esse generando, fieret aliis imitabilis confitendo, renascendo. HORMISDA Papa in Epist. 1. cap. 3. Proprium quoq; filij Dei, vt iuxta id quod scriptum est, in nouissimis temporibus verbum caro fieret, & habitaret in nobis, ita intra viscera sanctæ Mariæ virginis genitricis Dei vnitis vtrisq; sine aliqua confusione naturis, vt qui ante tempora erat filius Dei, fieret filius hominis, & nasceretur in tẽpore hominis more, matris vuluam natus non aperiens, & virginitatem matris Deitatis virtute non soluens. Dignum plane Deo nascente mysterium, vt seruaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, seruans quod ex patre erat, & repræsentans quod ex matre suscepit. BEDA homilia in Vigilia Paschæ. Qui mortalis adhuc

Ioan. 20. *Ezech. 44.* *Theodoret.* *Leo Magn.* *Hormisda.* *Beda.*

adhuc clauso Virginis vtero potuit nascendo mundum in
gredi, ipse absque vlla dubitatione iam factus immortalis,
clauso licet sepulcro, potuit resurgendo exire de monu- *Euthymius*
mento. EVTHYMIVS in cap. 28. Mathæi. Quemad
modum Christus natus est seruatis integris claustris Vir-
ginis, ita quoque resurrexit seruatis integris monumenti *Bernardus.*
signaculis. BERNARDVS serm. 3. de purificatione.
Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege con
cipiet hominem, sed intra viscera intacta, & integra vi-
rum claudet, ita sane vt intrante, & exeunte domino por-
ta Oriētalis clausa iugiter perseueret. *AVCTOR.* Quod *Auctor.*
vero Tertullianus lib. de carne Christi, cap. 4. & cap. 20. *Patres exponuntur.*
& 23. & lib. 3. aduersus Marcionem, cap. 11. & libro 4.
cap. 21. & lib. 5. cap. 19. Et Origenes homilia 14. in Lu- *Tertullia.*
cam, & Ambrosius in Lucam lib. 1. cap. 20. dicunt patefa- *Origenes.*
cto Virginem corpore peperisse; vel intelligendi sunt di- *Ambrosius.*
xisse, vt Hieronymus asseruit, Christum nondum apertam *Hieronym.*
vuluam virginalem aperuisse supernaturaliter, & clau-
sam naturaliter seruasse; vel non vsque adeo certos fuis- *Christus natus via consueta.*
se de ea re, de qua modo non potest dubitari. Quamuis
enim editus fuerit Christus eadem via, qua reliquæ ma-
matres suos pariunt fœtus, vt dixit Nazian. Epistol. 3. ad *Nazian.*
Cledonium: & Epiphan. lib. 2. hæres. 69. Natus, inquit, est *Epiphan.*
per consuetam viam impolute, & absque inquinamentis,
& hæresi 77. in veritate Christus carnem habens, & ani- *Damascen.*
mam, & per genitales meatus in veritate repertus est. Et
Damasce. lib. 4. fidei cap. 15. Per auditum quidem conce-
ptio, ait, sed natiuitas per consuetum parientium egres-
sum, tametsi nonnulli fabulantur per latus diuinæ Matris
ipsum natum fuisse: nihilominus clausa, & integra reliquit
claustra, sicut cum foribus clausis suscitatus est ad discipu
los ingressus.

9 OBSTETRICIS. CYPRIANVS serm. in *Cyprianus.*
Natiuit. Dñi. ATHANASIVS, GREGORIVS *Athanas.*
Nazian. in Christo patiēte. HIERONY. aduersus Hel *Nazianze.*
uidium, vt supr. n. 7. *AVCTOR.* Illa vero quæ Suidas de *Hieronym.*
nomine Iesu, & Iacobi protoeuangelium, & Zeno Epis- *Auctor.*

Historia de obstetricib. copus Veron. serm. 6. de Natiuit. dicunt de obstetricibus, apocrypha sunt; sic enim ait Zeno, Maria incorrupta con-
Zeno. cepit, post conceptum virgo peperit, & post partum virgo permansit. Obstetricis incredulæ periclitantis enixa, in testimonium reperta eiusdem esse virginitatis, incéditur manus. qua tacto infante statim edax illa flamma sopitur, sicque illa medica feliciter curiosa, dum admirata mulieré virginem, admirata infantem Deum, ingenti gaudio exultans, quæ curatum venerat curata recessit. Hæc ille, quę re
Hieronym. felluntur à beato Hieronymo desumpta, enim vidétur ex apocrypho libro de infantia Saluatoris.

Integra virgo mansit ex partu, vt ex conceptu. *Isaias.*
10 TAM INTEGRA. ISAIAS cap. 7. & adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens: pete tibi signum à domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra: & dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum: & dixit; audite ergo domus Dauid, numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo, propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitnr nomé
Mathæus. eius Emanuel. MATHEVS cap. 1. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili Dauid noli timere, accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est, pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Exurgés autem Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogeni-
Lucas. tum. LVCAS cap. 1. Et ait Angelus ei: ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM: dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum nó cognosco? & respódens Angelus dixit ei:

Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrauit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. ISAIAS cap. 19. Ecce Dominus ascẽdet super nubem leuem. Hieronymus ascendit Dominus super nubem leuem, corpus sanctæ virginis Mariæ, quod nullo humani seminis pondere prægrauatum est. Et cap. 53. & ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. HIERONYMVS 70. transtulerunt annunciauimus sicut paruulum coram eo. Pro virgulto Symmachus ramum interpretatus est, vt assumptum ostẽderet hominem, qui processit de vtero virginali, de quo infert, sicut radix de terra sitienti; pro sitienti Aquila interpretatus est, inuia, vt virginitatis priuilegium demonstraret, quod absque vllo humano semine de terra prius inuia sit creatus: iste est de quo & supra legimus, exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, vt natiuitatis eius ascensum significet in mundo. DANIEL cap. 2. videbas ita donec abscisus est lapis de monte sine manibus, & impleuit vniuersam terram. HIERONYMVS, In fine autem horum omnium regnorum auri, argenti, æris, & ferri abscisus est lapis Dominus, atq; Saluator sine manibus, id est, absque coitu, & humano semine de vtero virginali, & contritis omnibus regnis factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.

Isaias. *Hierony.* *Daniel.* *Hieronym.*

11 BOVE ET ASINO. HABACVCH cap. 3. secundum septuaginta. In medio duorum animalium cognosceris. CYRILLVS Ierosolym. Catechesi 12. Audistis Habacuch dicentem ad Dominum, cum appropinquabũt gentes agnoscetur: & quod signum est ò Propheta venturi Domini? ille autem dicit, deinde in medio duorum animalium cognoscetur: hoc ad Dominum dicens manifeste. GREGORIVS Nyssenus Episcopus oratione de natiuitate Domini. Præsepe, in quo verbum gignitur, bestiarum est domus, vt cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, id circo in præsepi, quod est animalium ratione vacantium sedes à cælo delapsus vitæ panis proponitur, vt & quæ à ratione

Bos, & asinus ad stat nato infanti *Habacuch.* *Cyril. Ieros.* *Greg. Nyss.*

remota sunt animalia rationis cibo nutriantur, atq; ita ratione decorentur. Medium igitur in præsepi se inter bouem & asinum vtriusque Dominus locat, vt medium parietem maceriæ soluens, duos condat in semetipso in vnũ nouum hominem, ab altero graue legis iugum eripiens, alterum simulacrorum cultus onere liberans. GREGORIVS Nazianzenus oratione de Christi natiuitate; Natiuitatem venerare, propter quam natiuitatis vinculis solutus es, & Bethlehem, paruam inquam illam honora, quæ te in paradysum reduxit, & præsepe adora, propter quod, cum rationis expers esses, à verbo nutritus es; cognosce vt bos possessorem, quemadmodum ab Isaia admoneris, & vt asinus præsepe Domini sui. AMBROSIVS lib. 2. in Lucam cap. de natiuitate Saluatoris. Infantis audis vagitus, non audis bouis Dominum agnoscentis mugitus: agnouit enim bos possessorem suum, & asina præsepe Domini sui. HIERONYMVS Epistola 27. in Epitaphio Paulæ cap. 4. atq; inde Bethlehem ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, vt illud impleretur, quod in eodem propheta scriptum est, beatus qui seminat super aquas, vbi bos, & asinus calcant', me audiente iurabat cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepe Dominum. PETRVS Chrisologus sermone. 156. Receperunt iumenta in præsepe, quem in domo vestra recipere vos spreuistis; agnouit, sicut scriptum est, bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, tu autem Israel tuum Dominum non quæsiuisti. PAVLINVS Epistola 11. ad Seuerum, In Bethlehem quoque, vbi agnouerat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ibi principes hominum inficiati Saluatorem Deũ infames hominum amores, mortesque coluerunt. HORMISDA Epistola 1. decretali. Dignum plane Deo nascente mysterium, vt seruaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit à se sine semine, seruans quod ex

[Margin notes: Greg. Naz. — Ambros. — Hieronym. — Isa. 31. 20. — Petrus Chrisolog. — Paulinus. — Hormisda.]

patre erat, & repræſentans quod ex matre ſuſcepit, nam iacens in præſepio videbatur in cœlo, inuolutus pannis adorabatur à Magis, inter animalia editus ab angelis nunciatur.

12 NOX. LVCAS cap. 2. Et paſtores erant in regione eadem, vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. RVPERTVS. lib. 3. de diuinis officiis cap. 16. & cap. 18. vt ſequenti numero referimus. *AVCTOR*. Nocte Chriſtum natum communis habet Eccleſiæ traditio. *Nocte natus Chriſtus. Lucas. Rupertus. Auctor.*

13 DOMINO. SEXTA SYNODVS Conſtātinopol, Act. 18. in decretis Concilii, c. 8. Diei dominici, quia in eo Deus lucé cōdidit, in eo māna in Eremo pluit, in eo naſci dignatus ſit, in eo ſtella Magis refulſit, in eo de quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia hominum pauit, in eo baptiſmum à Ioanne in Iordane ſuſcepit, in eo ipſe prius redemptor pro ſalute noſtra à mortuis reſurrexit, in eo Spiritum ſanctum ſuper diſcipulos effudit, tanta debet eſſe obſeruantia, vt præter orationes, & miſſarum ſolennia, & ea quæ ad veſcendum pertinent, nihil aliud fiat. RVPERTVS lib. 8. de diuinis officiis cap. 16. Dominica nocte natum eſſe Chriſtum probabile eſt, quamuis ſacra euangelii de hoc hiſtoria tacuerit. Namq; ſi per regulam cōputi retro percurras, inuenies, eius anni, quo natus eſt, concurrentes quinq;, quos addens regularibus Decembris Septem, vel vt compendioſius fiat, regularibus Ianuarii tribus, inueniens diem illum, quo Decembrem inchoamus, quintam fuiſſe feriam, & eum, quo Ianuarium, primam, id eſt diem dominicam, ſublatis videlicet ſeptem ex eo numero, qui & regularibus, & concurrentibus compoſitis accreſcunt. Cum autem December quinta feria, vel Ianuarius inchoatur prima, neceſſe eſt diem natalis Domini, qui poſt calendas Decembris 25. & ante calendas Ianuarii eſt octauus, primam feriam, id eſt diem exiſtere dominicam. Nocte ergo dominica natus eſt Chriſtus, conſonante mirabilium ſuorū ordine, *Die dominica natus Chriſtus. Sexta Synodus. Rupertus. Computi regula.*

vt

vt quo die dixerit, fiat lux, & facta est lux, eiusdem diei nocte exoriretur in tenebris lumen rectis corde. Et cap. 18. superius iam dictum est Dominica nocte Christũ natum fuisse, videlicet vt qua die dixit Deus fiat lux eadem die vera nobis lux in tenebris oriretur. NICEPHORVS lib. 1. historiæ Ecclesiast. cap. 12. & die octauo dominico circumciditur in Bethlehem. AVCTOR. E Græcis auctoribus Cedrenus feria quarta: quidam alii die sexto Christum natum putant, sic enim ait Hesichius 1. Corint. 15. Natus est mense Decembri, die sexto, hora tertia diei, & Anastasius Sinaita lib. 7. Examer. ad vesperã diei sextæ, & Anastasius Nizenus lib. quæstionum quæst. 92. hora eiusdem diei septima. Verum quoad horam nocturno tempore natum Christum ex euangelio deduximus iam satis aperte.

Nicephor. *Auctor.* *Die sexto, natũ Christũ quidam putant* *Hesichius.* *Anastas.* *Anas. Niz.* *Hora diuersa.*

14 DECEMBRIS 25. EVODIVS apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Peperit mundi ipsius lucem annũ agẽs quindecimũ, vicesimo quinto die mensis Decẽbris. CLEMENS lib. 5. constitutio. cap. 12. Dies festos agite fratres, ac primum quidem diem natalis, qui 25. die mẽsis noni celebretur. IOANNES Chrysosto. homil. in secundum Lucæ de natiuitate Ioãnis Baptistæ. Christus, qui in natiuitate Ioannis iam trium mensium incorruptæ vuluæ fuerat conceptus, supererat ei vt & ipse secundũ humanam natiuitatem suppleret menses nouem. Alii mẽses sex: qui nunc ex octauo calendas Iulias in octauo calendas Ianuarias sunt menses sex, quibus suppletis nouẽ mensibus, initiante decimo Christus mundo natus est. Et infra, sed & Dominus nascitur in mense Decembri, hyemis tempore, octauo calendas Ianuarias, quando oliuæ maturæ præmuntur, vt vnctio, id est, chrisma nascatur. AVGVSTINVS lib. 4. de Trinitate cap. 5. Natus traditur octauo calendas Ianuarias. Et lib. 3. contra Iudæos cap. 5. octauo calendas Aprilis conceptus Christus creditur, quo & passus; natus autem creditur octauo calendas Ianuarias. Et in Psalm. 132. prope finem. Nam ille (Ioãnes) natus est, vt tradit Ecclesia, octauo calendas Iulias, cum iam

Decembris 25. dies natalis Christi *Euodius.* *Clem. Rom.* *Chrysost.* *August.*

iam incipiunt minui dies: Dominus autem natus eſt octa-
uo calendas Ianuarias, quando iam dies incipiunt creſce-
re. PAVLVS OROSIVS lib.7. cap.2. Natus eſt *Oroſius.*
autem Chriſtus octauo calendas Ianuarii, quãdo primum
incrementa omnia anni venientis incipiunt. PETRVS *Petrus*
Chriſologus ſermone 159. Ante hos dies, id eſt, diẽ octa- *Chriſ.*
uum calendarum huius, quo creſcere dies cæpit, quia ve-
rus dies illuxit in carne, natum Dominum Chriſtum Ie-
ſum in euangelio ſcriptum facile recolunt, qui legerunt.
BEDA lib.1. in Lucam cap.3. mẽſem ſextum Martium *Beda.*
intellige, cuius viceſimo quinto die Dominus noſter, &
conceptus traditur, & paſſus, ſicut & viceſimo quinto mẽ
ſis Decembris natus. GEORGIVS Cedren. Chri- *Georg. Ced.*
ſtus natus eſt menſis Decembris 25. die. RVPERTVS *Rupert.*
lib.3. de diuinis officiis cap. 16. cum December quinta
feria, vel Ianuarius inchoatur prima, neceſſe eſt diem na-
talis Domini, qui poſt calendas Decembris 25. & ante ca-
lendas Ianuarii eſt octauus, primam feriam, id eſt, diẽ exi-
ſtere dominicam. NICEPHORVS Conſtantino- *Nicephorus*
pol. in chronographia. Natus eſt Chriſtus ante diẽ octa- *Conſtant.*
uum calendas Ianuarii, qui eſt Chæac 29. idemque De-
cembris vigeſimus quintus. NICEPHORVS Cal- *Nicephorus*
lixtus lib.1. hiſtoriæ cap.12. vigeſimus autem & quintus *Callixtus.*
tum menſis Decembris erat dies, cum ibi ineffabile pie-
tatis, & amoris erga genus humanum, tunc verbum Dei, *Auctor.*
maximumque inenarrabilis partus perficitur myſterium. *Clem. Alc.*
AVCTOR. Quidam apud Clementem Alexand. lib. *Maio natũ*
1. ſtromat. verſus finem, Natali Domini non ſolum annũ, *quidam di-*
ſed etiam diem addunt, natum enim dicunt 28. anno Au- *xere.*
guſti, in 25. Pachon, qui nobis eſt Maius, alii dicunt na- *Aprili alii.*
tum 24. vel 25. Pharmuti, qui nobis eſt Aprilis. Epipha- *Ianuario E-*
nius hereſ. 51. putat natum Chriſtum circa Ianuarium mẽ *piphanius.*
ſem, id eſt, ante octauum iduum Ianuarii, quæ eſt quinta *In Epiphan.*
Ianuarii menſis ſecundum Romanos. AEgyptii diẽ Epi- *alii.*
phaniæ eumdem & natalis exiſtimarũt, quos refert Chri- *Chryſoſt.*
ſoſto. homilia de Chriſti natiuitate, cuius ſententiæ fuit *Caſsianus.*
Caſsianus collat. 10. capite. 2. & Theophilus Epiſcopus *Theophilus*
Alexand.

Hieronym.

Alexãd. præfatio. Epistolæ paschalis. Sed refutat eos Hierony. Ezechiel. 1. cum dicit, quintam autem diem mensis adiũgit, vt significet baptisma, in quo aperti sunt Christo cæli: & Epiphaniorum dies hucusq; venerabilis est, non, vt quidam putant, natalis in carne, tunc enim abscondi-tus est, & non apparuit. Græci autem nouere distinguere hunc diem, quem Theophaniæ vocarunt, vt Zazian. & Basilius, à die Epiphaniæ, vt Latini; quos Ecclesia secuta est Africana, vt sanctus scribit Augustinus sermone 40. de diuersis, & 4. lib. contra Cresconium cap. 37.

Theophaniæ dies natalis Christi. Nazianz. Basilius. Augustin.

15 ANNVS 15. D. EVODIVS apud Niceph. lib. 2. cap. 3. peperit mundi ipsius lucem annum agens quindecimum, 25. die mensis Decembris. EPIPHANIVS Presbyter in vita virginis. Tertio anno oblata est in templo, in quo annis 11. & sex mensibus fuit, sex itẽ mensibus in domo Iosep. 15. anno peperit. *AVCTOR.* Maria nata est octauo Septembris die, vt dictum est cap. 2. numero 6. & dum tertium ageret annum in templo est oblata, hoc est, die 21. Nouembris, completis duobus annis, duobus mensibus, & tredecim diebus, vt diximus cap. 3. numero 3. & 11. annis mansit in templo, iuxta dicta cap. 3. numero 20. & anno 14. mense Decembri desponsa fuit Iosepho, vt diximus cap. 2. numero 14. & 15. & quarto postea mense Martio 25. die, concepit Christum, vt dictum est cap. 5. numero 1. & 4. Ergo octauo die sequentis Septembris complebat 14. annos, & octauo Decembris tres menses, & vsque ad 25. eiusdem 17. dies. Erat ergo 14. annorum, trium mensium 17. dierum, cum peperit filium suum primogenitum; atq; ita inchoato anno 15. peperit.

Ætas, qua virgo peperit. Euodius. Epiph. Pres. Auctor. Annorum virginis subputatio.

Decimo quinto anno inchoato peperit virgo.

16 OCTAVIANO. EPIPHANIVS hæresi. 51. Hæc autem facta sunt in Consulatu Octauiani Augusti, decimo tertio, & Sylano Consule. *AVCTOR.* Quibus consulibus natus sit Christus dubium est? Nam Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ historiæ natum dicit Coss. Sabino, & Ruffino: Cassiodorus vero in chronico, Coss. Corne-

Quibus cõsulibus natus Christus. Epiphan. Auctor. Sulpitius. Cassiodo.

Cornelio Lentulo, & Valerio Messala, seu Messalino. Verum sententia Epiphanii sequenda est, quia auctore Dione lib. 55. Sabinus, & Ruffinus fuerant consules anno v.c.750. Lentulus autem & Messala anno 751. At Augustus cum Sylano, vt idem ait lib. 55. consules fuerunt anno v. c. 752. & 42. ex quo cœpit Augusti imperium, & 29. monarchiæ; ergo his consulibus natus est Christus. Quod vero anno v. c. 752. natus sit Christus constat, quia ex Dione annus 15. Tiberii, qui erat 30. Christi incidit in 782. V.C. atque ita asserunt Paulus Orosius libro 6. capite 22. & lib. 7. capite 3. Beda libro de sex ætatibus, Ado in chronico in sexta ætate, & multi ex recentioribus. His adde annum 2. Olymp. 194. fuisse V.C.752. in quo natus est Christus, quem annum designasse natali Christi Eusebium in chronico fit certum, quia 30. annum Christi completum adsignat lib. 10. de præparat. Euangelica capite 3. & in chronico, anno 15. Tiberii Cæsaris, qui cœperat Augusto præcedente Decembrem, quo natus est Christus; at annum 15. constituit anno. 4. Olymp. 201. qui erat V.C. 782. Et si retrocedas numerando septem plenas Olympiadas, inuenies anno primo Olymp. 195. completum fuisse annum tertium Christi, & anno 4. Olymp. 194. completum annum 2. & anno 3. completum annum primum, mense Decembri illius anni, atque ita illum primum annum inchoatum præcedenti Decembri sub anno secundo Olymp. 194. tuncque natum Christum, qui erat 752. vrbis conditæ. Et confirmatur quia descriptio facta à Cyrino in eumdem annum incidit cum illo, in quo natus est Christus, at Eusebius illam constituit anno 2. Olymp. 194. illo ergo anno Christus natus est. Vnde errore librariorum videtur factum, vt anno 3. constituatur in chronico Eusebii.

Epiphan. probatur. Dion.

Anno v. c. 752. natus Christus. Orosius. Beda. Ado. Anno 2. Olymp. 194. natus Christus. Eusebius.

Error chronici Eusebii correctus.

17 ANNVS 42. EVSEBIVS Cæsariẽsis lib. 1. hist. Ecclesiast. cap. 2. Igitur secũdo, & quadragesimo imperii Cæsaris Augusti anno ab AEgypto subiugata, & Antonii vel Cleopatræ interitu, in quo nouissima Ptolomeorũ

Annis Augusti quo natus est Christus. Euseb. Cæs.

apud AEgyptum regna ceciderunt, octauo & vigesimo anno, Dominus & Saluator noster Iesus Christus, prima ascriptione census, Cyrenio Syriæ preside nte secundum ordinem totius prophetiæ, quæ de ipso prædicta est, in Bethlehem Iudæ nascitur, quo anno cœpit Christianorum salus.
Epiphan. EPIPHANIVS hæres. 20. quadragesimo secūdo Augusti Cæsaris nascitur Saluator noster in Bethlehem Iudæ. Et hæresi 51. Nascitur Saluator 42. anno Augusti regis Romanorum. Et lib. de ponderibus & mensuris. Deinde Romanorum reges regnauerunt, Augustus annos 56. cuius regni anno 42. Dominus noster Iesus Christus secundum carnem natus est.
Orosius. PAVLVS Orosius lib. 1. cap. 1. à Nino, vel Abraham vsque ad Cæsarem Augustum, idest, vsque ad natiuitatem Christi, quæ fuit anno Imperii Cæsaris quadragesimo secundo, cum facta pace cum Parthis Iani portæ clausæ sunt, & bella toto orbe cessarunt, colliguntur anni duo millia & quindecim. Et lib. 7. cap. 2. Deinde nunc primi istius imperatorū omnium Augusti Cæsaris, quamuis & pater eius Cæsar metator imperii potiusquam imperator extiterit, istius inquam Cæsaris, posteaquam imperare cœpit emenso prope modum anno quadragesimo secundo natus est Christus, qui Abrahæ sub Nino primo rege fuerat repromissus; ita factum est vt cum Abraham 43. natus sit anno, sub fine 42. natiuitas Christi conueniret, vt iam non ipse in parte tertii anni, sed in ipso potius tertius annus oriretur.
Beda. BEDA lib. de sex ætatibus, ætate 6. Anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo, quo compressis cunctarum per orbem terræ gentium motibus firmissimam, verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, Iesus Christus filius Dei sextam mundi ætatem suo consecrauit aduentu.
Ado Treu. ADO Treuirensis Episcopus in Martyrologio. Octauo calendas Ianuarii Iesus Christus filius Dei in Bethlehem Iudæ nascitur, anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo.
Nicephorus Constant. NICEPHORVS Episcopus Constantinopol. in Tripartita Chronologia capite 9. Anno 42. Augusti natus fuit secundum carnē ex sancta,

& Deipara virgine Dominus noster Iesus Christus Deus æternus in oppido Iudæ Bethlehem. *AVCTOR.* Quoniam vitæ Christi ortus, obitusque chronographia pēdet maxime ex Romanæ historiæ cognitione, non erit abs re, Augusti Cæsaris annos ex certa auctorum supputatione colligere, qua in re eius est amplificata felicitas, vt vita eius vitæ Christi enumerandæ deseruiret. *Auctor.* *Annorum Augusti certa supputatio.*

Natus est ergo Octauianus Coss. M. T. Cicerone, & M. Antonio, vt tradunt Sueton. in Augusto, & Paterculus lib. 2. qui erat annus V. C. 691. vt signat Dion lib. 37. nono calend. Octobris, qui est Septembris 23. secundum Sue-toni. & Dionem lib. 56. Idibus Martiis 18. annos natus occiso Iulio Cęsare cœpit imperium affectare anno V. C. 710. Secundum Oros. lib. 6. c. 18. Primum consulatū extorsit anno ipso consulatus Hirttii & Pansę, in eorum defectum, anno altero à nece Iulii Cæsaris, qui erat V. C. 711. vt ait Paterculus, & Oros. lib. 6. cap. 18. dum Iulii necem assignat anno V. C. 710. die decimo quarto calendas Septembris, id est, Augusti mensis 19. vt dicunt Dion lib. 56. & Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium, paulò post initium, & in dialogo de oratore: qui erat ætatis eius 20. vt ait Paterculus, Plutarchus in Bruto, Eutropius lib. septimo, & Apianus lib. 4. de bello ciuili: qui erat complendus die 23. Septembris, atq; ita natus erat annos 19. menses vndecim, quatuor diebus minus. Triumuiratum cum lepido & Antonio instituit hoc ipso anno ante quintum calend. Decembris, die 27. Nouembris, auctore Cassiodoro in chronico. Sigonio ex lapide collatiano id probante, & Onuphrio com. in 2. lib. Fastorum, cum iā egisset annum vigesimum, & ex 21. duos menses, cum quatuor diebus. Durauit Triumuiratus ab anno Augusti primi consulatus vsq; ad tertium eius consulatum auctore Suetonio in Augusto cap. 16. per duodecim annos, eodē Suetonio, Dione, Tacito & Orosio auctoribus, vsque ad Victum Antonium apud Actium; quæ Victoria parta est ab Augusto in 3. suo consulatu, cum Val. Messala, iuxta Sueto. c. illo 16. & Cassiodorum. 4. nonas Septembris, qui *Augustus quo anno natus, & quo die.* *Suetonius.* *Paterculus.* *Dion.* *Orosius.* *Anno V. C. 711. fit primo consul.* *Paterculus.* *Orosius.* *Dion.* *Tacitus.* *Anno ætatis 20.* *Paterculus.* *Plutarchus.* *Eutrop.* *Apianus.* *Triūuiratus institutus.* *Cassiod.* *Sigonius.* *Onuphrius.* *Duodecim annos durauit.* *Victoria Actiaca.* *Suetonius.*

Dion. est 2. Septẽbris, vt ait Dion initio lib. 51. & tempus quod restat à 2. die Septembris vsque ad 27. Nouembris, quo institutum diximus Triumuiratum, nempe duo menses cum 25. diebus deerant ad complendum duodecimum illum annum. Durauit ergo Triumuiratus annos 11. menses 9. dies sex. Erat annus V. C. 723. vt notat Dion lib. *Dion.* 50. & ex enumeratione consulatuum satis constat: si enim primum consulatum iniuit Augustus anno V. C. 711. *Consul. 3.* ergo tertium, quem iniuit anno pòst, 12. gessit anno V. C. 723. quod ipsum satis constat ex Orosio, qui dum *Orosius.* lib. 6. capite 20. quinto Augusti consulatui cum Apuleio, quo Romam Victor ingressus est, adsignat annum V. C. 725. tertium reiicit in annum 723. Consulatum *Consul. 13. & vltimus.* decimum tertium cum Plautio Syluano gessit, qui fuit vltimus illius, vt constat ex Suetonio, & Tacito libro *Sueton.* primo, quem Casiodorus facit duodecimum, quia pri- *Tacitus.* mum Augusti annumerat Hirtio & Pansæ. Hic autem 13. *Casiod.* consulatus incidit in annum V. C. 752. secundum Dionem lib. 55. Obiit Augustus Sexto Pompeio, & Sexto *Obitus Augusti.* Apuleio Coss. ex omnium sententia, anno V. C. 767. secundum Dionem libro 55. & Orosium libro. 7. capite 4. *Dion.* Nolæ 14. calendas Septembris, vt notant Dion, & Ta- *Orosius.* citus libro primo, eodem die, quo inierat primum consu- *Tacitus.* latum, vnde vixit 75. annos, menses 10. dies 26. à primo *Anni vitæ Augusti.* consulatu integros 56. à Triumiuratu vero eosdem, dẽptis tribus mensibus, & octo diebus: à Monarchia adepta, Victo Antonio 44. demptis 13. diebus. Hæc est probatior vitæ Augusti iuxta annos V. C. chronographia. Nam ea quæ traditur ab aliis ideo existimatur fal- *Sententia aliorum de annis Augusti refellitur.* sa, quod non sibi constent. Orosius enim lib. 6. capite sexto, & Eutropius lib. 6. qui dicunt Coss. Cicerone, & Antonio anno V. C. 689. natum Augustum, dicturi fuissent occisum Iulium Cæsarem anno V. C. 708. cum Orosius lib. 6. ca. 18. 710. V. C. dicat occisum, & Eutrop. lib. 7. *Orosius.* in principio 709. fere, & sic non fuisset natus Augustus *Eutrop.* 18. annum, sed decimum nonum, aut vigesimum, quæ inconstantia per sequentes annos potest facile probari, nec

obiisset Augustus anno V. C. 767. vt dixit Orosius, sed duobus annis ante 765. nisi consules aliquos addant, aut prætereant ab enumeratis à Cassiodoro, & similibus. At Solinus in Polyhisto. cap. 2. cum dicit primum consulatum initum ab Augusto anno V. C. 710. Coss. Hirtio & Pansa, eo ipso dicit natum Augustum anno V. C. 690. & obiisse anno 766. Vt certiorem ergo, & communiorē habeamus prædictam chronographiam. Qua præmissa, sunt qui Augusti imperium exordiantur à nece Iulii Cæsaris facta idibus Martiis anno V. C. 710. Vt Eusebius in chronico, & qui eum sequuntur, dum dant annos 14. Augusto cum Antonio: & hi quidem dum dicunt natum Christum anno Augusti 42. de completo intelligūtur: idibus enim Martiis præcedentibus Decembrem, quo natus est Christus completi sunt 42. anni Augusti. Gregorius vero Turonensis lib. primo histor. numero 19. dum natum ait Christum 43. Augusti intelligit de currente, & incepto. At si imperium Augusti incipiamus à primo eius consulatu, vel à Triumuiratu, dicemus natum Christum anno Augusti 41. completo, vel die 19. Augusti mensis, quo iniit primum consulatum; vel 27. Nouembris, quo instituit Triumuiratum, ante Decembrem, quo natus est Christus, qua ratione locuti sunt Ireneus lib. 3. aduersus hæreses capite 25. Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 8. Hieronymus, Isai. 2. & Daniel. 9. Iulianus Toletanus Archiepiscopus lib. contra Iudæos, & Cassiodorus in chronico, dum natum dixere Christum Augusti anno 41. Dicemus etiam natum Christum anno Augusti 42. Vt dixere omnes auctores initio relati, nempe currente, & incepto, vel 19. Augusti, vel 27. Nouēbris ante Decembrem, quo Christus editus est. Qua vero ratione dixerit Orosius anno 42. Augusti prope modū emenso natum Christum incertum mihi est, cum ex dictis constet fuisse tantum inchoatum.

Solinus. *Augusti imperii exordia varia à nece Iulii Cæsa.* *Eusebius.* *Gregor. Turon.* *A primo cōsulatu, vel Triūuiratu.* *Ireneus.* *Tertullia.* *Hieronym.* *Iulianus.* *Cassiodor.* *Orosii dictū incertum.*

18 MONARCHIAE 29. EPIPHANIVS hæres. 51. Nascitur Saluator. 42. anno Augusti regis Romanorum, qui sane erat coniunctionis Romanorum ad Iudæos annus vigesi-

Monarchiæ annus, quo Christus est natus. *Epiphan.*

Auctor. vigesimus nonus. AVCTOR. Octauianus Augustus cepit monarchiam, cum Victo Antonio apud Actium, solus cœpit regnare: vicit autem Antonium, vt iam diximus, secundo die Septembris, cum tertio esset consul cum Marco Valerio Messala: à tertio autem Augusti cōsulatu incluso vsq; ad decimum tertium & vltimum, triginta sunt consulatus, iuxta Cassiodori enumerationem, & communem, atque ita trigesimo consulatu currebat 29. annus à Victoria Actiaca; cumque vicerit Antonium anno V. C. 723. duodecimo anno à primo consulatu, & à Triumiuratu: & 29. annos impleuerit secundo die Septembris anni V. C. 752. & imperii Augusti 42. currente, sequitur à secundo illo die Septembris cœpisse annum trigesimum monarchiæ, & in Decembri sequenti natum Christum; atque ita Epiphanius de 29. anno monarchiæ exacto locutus est. Clemens vero Alexandrinus libro primo stromat. & Euseb. libro primo histor. cap. 2. qui dicunt anno 28. Monarchiæ Christum natum, Beda etiam lib. de sex ætatibus, & Ado in chronico in 6. ętate, qui ferunt ortum anno 27. non videntur tam accurate rem expendisse.

Monarchiæ annorū supputatio certa.

Anno 29. exacto natus est Christus.

Clem. Ale. *Eusebius.* *Beda.* *Ado.*

Herodis annus quo Christus est natus.

19 HERODIS 32. EVSEBIVS in chronico. Herodis aliegenæ trigesimo secundo anno Iesus Christus Filius Dei in Bethlehem Iudę nascitur. AVCTOR. Difficillimum est huius impiissimi regis annos regni enumerare; nec difficultas in assignando omnes, quos regnauit annos, sita est, cum, vno Beda excepto, qui lib. de sex ætatibus mundi, 36. tantum annos illi tribuit, constans sententia sit Iosephi lib. 17. Antiquit. cap. 10. Egesippi lib. primo de excidio Ierosolymitano cap. 45. Eusebii in chronico, Epiphanii hæres. 20. & 51. Seueri Sulpitii lib. 2. sacræ historiæ, & ceterorum, Herodem 37. regnasse annos: sed tantum in assignando horum annorum initio. Vt vero magis pateat difficultas, erit operæ precium annorum seriem ab Alexandro vsque ad bellum Actiacum ex Iosepho, Egesippo, Dione, & aliis, paucis deducere.

Eusebius. *Auctor.* *Difficultas de initio regni Herodis* *Beda.* *Iosephus.* *Egesippus.* *Epiphanius* *Sulpitius.* *Herodes 37. annos regnauit.*

Ale-

Alexander filius Hyrcani, filii Simonis Machabæi, ex vxore Alexandra duos habuit filios, Hyrcanum natu maiorem, & minorem Aristobulum. Et moriens vxori regni gubernacula reliquit, non filiis. Illa Hyrcanum filium patri substituit in sacerdotio, & sic regnauit nouem annos. Alexandra mortua Hyrcanus regni hæres institutus mãsit, & Pontificatus. Sed tertio statim mense ab Aristobulo fratre bello impetitur, auctore Iosepho lib. 15. antiquit. cap. 7. Et Egesippo lib. 1. cap. 13. concessitq; regnũ Aristobulo Hyrcanus, id accidit Coss. Quinto Hortensio, & Quinto Metello Cretico. Deinde Pompeius capta Ierosolyma restituit pontificatum, & regnum Hyrcano, postquam tres annos Aristobulus eis fuerat potitus, Olym. 179. Coss. Caio Antonio, & Marco Tulio Cicerone, vt notat Iosephus lib. 14. antiquit. c. 8. & lib. 1. de bello iudaico c. 1. & Egesippus lib. 1. c. 17. & lib. 2. c. 13. Hyrcanus habuit regni, sacerdotiiq; dignitatem annos 23. vsq; ad Antigonum, quando ipse ad Parthos ductus est captiuus, ex Iosepho lib. 20. antiq. c. 18. vel annos 24. Vt vult Egesippus lib. 2. c. 13. Pacorus in Palestinam profectus Hyrcanum, qui tunc præpositus à Romanis ei regioni imperabat, deposuit, fratrisque eius Aristobuli filium Antigonum præfecit, Cn. Domitio, & Caio Asinio Coss. secundum Dionem lib. 48. Iisdem Conss. eodem nempe anno, Herodes, Antigono hoste iudicato, Romæ Senatus consulto, triumuiris auctoribus, Iudeæ rex creatur secundũ Egesipp. libro. 1. cap. 30. 184. Olymp. secundum Iosephum lib. 14. antiquitat. cap. 23. Deinde M. Aggrippa, & Lucio Canninio Gallo Coss. 185. Olymp. postquam Antigonus regnauerat tres annos cum tribus mensibus, auctore Egesippo lib. 2. cap. 13. Ierosolymam cœpit Herodes, cum Sosio annis 27. postquam eodem die eam cœperat Pompeius, & Antigonus ligatus ad Antonium perductus, occisus est, vt ait Iosephus lib. 14. antiquitat. cap. 26. Herodes obtento regno Hyrcanum è Parthis euocauit, quem tãdem, quod esset è regia stirpe, timore perculsus, interemit 7. anno regni sui, quo Actiacum bellum cõ-

Historia regum Iudæorum ab Alexandro vsque ad bellum Actiacum.

Iosephus.

Egesippus.

Iosephus.

Egesippus.

Dion.

Iosephus.

Iosephus.

fectum est, iturus Rhodum, vt veniam peteret ab Augusto victore, vt colligitur ex Iosepho lib. 15. antiquitatum cap. 6. & 7. & 1. de bello iudaico capite 14. & 15. Olymp. 187. ex eodem, lib. 15. antiquit. cap. 5. & 6. Denique duos annos post victoriam ingressus Augustus triumphans Romam, vt constat ex Eusebio in chronico, & Orosio lib. 6. cap. 6. Senatusconsulto regnum Herodi sanxit, ex Metaphraste vt dicemus.

Iosephus. *Euseb.* *Orosius.* *Metaphrast.*

Difficultas de inchoatione regni Herodis aperitur.

His itaq; præmissis, difficultas est vtrum Herodis regnum triginta septem annorum sumpserit initium cum, anno V.C. 714. Cn. Domitio Caluino, & Caio Asinio Pollione Coss. 4. anno Augusti, Hyrcano. 28. anno sui Pontificatus ducto captiuo ad Parthos, Antigonus rex est ab illis constitutus, Herodes autem Romæ Senatusconsulto? An cum anno V.C. 717. Marco Agrippa, & Lucio Canninio Coss. cum Sosio cepit Ierosolymam? vel cum Hyrcano Pontifici, & regi legitimo datus est successor Ananelus alienagena? vel quando ab Herode occisus est anno V.C. 713. Augusto tertium, & Valerio Messala Coss. vel demum post, cum Romam Augustus victor ingressus anno V.C. 725. Cæsare ipso quinto, & sex. Apuleio Coss. Senatusconsulto stabiliuit Herodi regnum?

Sententia prima. *Iosephus.* *Dion.* *Egesipp.*

SIT ERGO in hac re prima sententia Iosephi libro 17. capite 10. Dionis Cassii lib. 48. & Egesippi libro 2. de excidio Ierosolymitano cap. 45. ad finem, inchoãtium annos 37. Herodis ab anno V. C. 714. quando Coss. Gn. Domitio, & Asinio Pollione, Antigono hoste iudicato, Herodes Romæ Senatusconsulto rex Iudeæ creatus est. Hæc vero sententia omnino falsa est, quia 27. anni Herodis, iuxta eam cõplerentur anno V. Cõd. 750. Caio Sabino, & Lucio Ruffo Coss. cum tamen Christo nascente, anno V.C. 752. ex historia Euangelica constet, vixisse, & ex Macrobio, qui necem infantium refert ab Herode patratam, vt suo loco dicemus.

Refellitur.

Secũda sententia.

SECVNDA sententia est recentiorum quorumdam inchoantium 27. annos Herodis ab anno V.C. 717. quo cepit Ierosolymã occiso Antigono, Marco Agrippa,

pa, & Asinio Gallo Coss. à quo anno Iosephus lib. 17. antiquitat. cap. 10. & lib. 1. de bello iudaico cap. 21. & Egesippus lib. 1. cap. 45. inchoant regnum 34. annorũ eiusdem Herodis. Qui deinde asserunt Christum natum anno 36. regni Herodis. Qui si aliqua veterum auctoritate probarent suam sententiam, illis assentiremus; at modo nulla probant, sed coniecturam sequuntur, cui præstat auctoritas, quæ in historia valet plurimum. *Iosephus.* *Egesippus.* *Refutatur.*

TERTIA sententia est veterum Patrum Eusebii libro primo histor. cap. 6. & lib. 8. de demonstratione Euãgelica cap. 2. & in chronico, Cyrilli Ierosolymitani Catechesi 12. Hieronymi, Dan. 9. Epiphanii hæres. 20. & 51. Seueri Sulpitii lib. 2. sacræ historiæ, Bedæ lib. de sex ætatibus, & Nicephori lib. 1. histori. cap. 7. & 9. constituẽtium initium regni Herodis, quando Hyrcanus ad Parthos ductus est captiuus, tandemque Herodes ab Augusto, & Senatu regnum accepit, deficiente Põtificum principatu, & Ananelo ex alienigenis constituto, anno 34. completo, postquam Hyrcanus cœperat Pontificatum. Hos enim annos designat Eusebius, & Sulpitius, ceteriq; sequuntur, incipiuntq; à morte Alexandræ matris, anno V. C. 686. Quinto Hortensio, & Quinto Metello Cretico Coss. anno 2. Olymp. 178. cõplenturq; anno V. C. 719. Coss. l. Cornificio, & Sex. Pompeio, anno 3. Olymp. 186. & est Imperii Augusti Octauiani, si inchoemus illud ab Idibus Martiis, quibus necatus est Iulius Cæsar, anno V. C. 710. annus nonus; si autem à Consulatu primo, anno V. C. 711. inito, aut à Triumiuratu, annus octauus. Sic sequens annus qui est V. C. 712. & Augusti 10. à nece Iulii Cæsaris, & nonus à primo Consulatu, erit primus Herodis, quo Ananelum ex alienigenis constituit Pontificem. Atque ita annus V. C. 752. quo dicimus natum Christum, Coss. Octauiano August. 13. & Plautio Syluano, erit annus 32. Herodis. Diuersitas autem quæ reperitur inter hos patres, constituentes primum annum Herodis 10. Augusti, aut 11. aut nonum, facit vt quidam eorum natum faciant Christum anno 33. Herodis *Tertia sententia.* *Eusebius.* *Cyrill. Ier.* *Hieronym.* *Epiphan.* *Sulpitius.* *Beda.* *Nicephor.* *Diuersitas inter auctores tertiæ opinionis.*

Hieronym. Epiphan. Sulpitius. Eusebius. Beda. vt Hierony. Epipha. & Seuerus Sulpitius, alii 32. vt Euseb. alii 31. vt Beda. Sed vera subputatio est, vt modo dicto, decimus Augusti sit primus Herodis, vt sic 42. Augusti, sit 32. Herodis. Qua vero ratione inducti fuerint hi patres ad constituendum prædicto modo regni Herodis initium; qua ve auctoritate? ea videtur esse, hebdomadarum Danielis subputatio, qua probant hoc tempore, deficiente Christo Domini Hyrcano, completum 483. annum earum; aut etiam antiquiorum secuti sunt auctoritatem, qui de hac re veram historiem assecuti sunt, quam diximus; nec enim credendum est aut Eusebium, aut Hieronymum, aut alios doctissimos, & diligētissimos veritatis amatores, hanc historiam non quæsiuisse.

Annus verus Herodis, quo natus est Christus Ratio.

Quarta sententia.

QVARTA sententia est inchoantium regnum Herodis in ipso anno victoriæ Actiacæ, qui erat V. C. 723. Coss. Octauiano Augusto, & M. Valerio Messala, & 12. à primo consulatu Augusti, seu à Triumuiratu, & 14. à nece Iulii Cæsaris, quo anno Herodi regnum est ab Augusto stabilitum. Hæc sententia probatur in primis, quia Herodes non cœpit regnare, nisi deficiente legitimo rege, & Pontifice Hyrcano, vt prædicti omnes patres affirmant, & Zacharias Chrysopol. Episcopus lib. primo in vnum ex quatuor cap. 8. sed Hyrcanus ab Herode occisus est ipso anno victoriæ Actiacæ, vt ex Iosepho supra collegimus lib. 15. antiquitat. cap. 6. & 7. & lib. primo de bello iudaico cap. 14. 15. & 17. Ergo tunc cœpit Herodes regnare. Secundo, quia eo ipso anno ab Augusto regnum stabilitum est Herodi Senatusconsulto, sic asserit Iosephus lib. 15. antiquitatum cap. 7. & 8. sic Africanus apud Nicephorum lib. 1. historiæ cap. 9. cum ait, post victum Antonium, & Cleopatram apud Actium 12. anno, postquam Augustus imperium susceperat, huic Herodi, cum Romam venisset, & Augustus referre ei aliquam pro præstitis officiis gratiam vellet, de Romani Senatus consilio, & voluntate diadema imposuit, & regem Iudeæ creauit. Et Tacitus libro 21. Annalium. Regnum ab Antonio Herodi datum victor

Ratio huius sententiæ 1. Zacharias. Iosephus. Ratio 2. Iosephus. Africanus. Tacitus.

Augustus

Augustus sanxit. Et Metaphr. oratione de vita & dormitione Virginis. Cum autem, inquit, & Cleopatra, & AEgyptus essent in manibus Augusti, qui iam 12. annos imperauerat, ipse Romam reuertens memor officij, quo in eum vsus fuerat Herodes, Senatus consulto Iudeæ eum Regẽ elegit, ei quoque imposito diademate. Ergo ab hoc anno regnũ Herodis est inchoatũ. Tertio quia Herodes quando pater eius Antipater constitutus est procurator Iudeæ à Iulio Cæsare ex AEgypto redeunte, anno secundo eius imperij, Cons. Fusio Caleno, & Vatinio, erat iuuenis 15. annorum: vt ait Iosephus 14. antiquit. cap. 18. & Nicephorus lib. 1. cap. 6. Moritur autem 70. annorum, ex eodem Iosepho lib. 1. de bello Iudaico, cap. 21. Hi autem complẽtur anno V. C. 762. C. Poppeo Sabino, & Quinto Sulpitio Camerino Cons. anno 39. à victoria Actiaca, à quo anno, si retrocedas inuenies annos 37. regni Herodis inchoatos in ipsa victoria Actiaca. Ab hoc ergo anno, aut paulo post, hoc regnum oportet incipiamus: & ita qua ratione diximus natum Christum anno 29. Monarchiæ Augusti, dicemus & natum 29. regni Herodis. Verum hæc sententia præterquã quod nulla auctoritate firmatur, rationi ipsi temporum videtur repugnare. Et in primis, cum Iosephus tam sit varius, & inconstans in hac historia, & Euangelio contradicens, vt diximus: non est illi in omnibus habenda fides maior, quam supradictis patribus, qui 10. anno Augusti dicunt Senatus consulto reguum datum Herodi, & non prius; tuncque necatum ab eo Hyrcanum regem legitimum: vt ait Hieronymus Dan. 9. & alij. Deinde etiam si concedamus eo tempore ab Augusto regnum Herodi cõfirmatum; at nõ cœpit regnare donec Romæ Senatus consulto, id illi est concessum; hoc vero non fuit factum donec victor Augustus Romam ingressus est, post multum tempus à parta victoria, quo mansit componendo AEgyptum, & Alexandriam: vnde pedestribus copiis venit in Syriam, & in Asiam, vt hyemaret: vnde per Græciam Brũdusium peruectus est, auctore Orosio, lib. 6. cap. 19. & Romam triumphans ingressns est anno V. C. 725. ipso Au-

Simeo. Met. *Tertia ratio* *Iosephus.* *Nicephorus* *Iosephus.* *Reprobatur 4 sentent.* *Prima ratio* *Iosephus inconstans.* *Hieronym.* *secunda ratio.* *Orosius.*

gusto 5. & sex. Apuleio Cons. octauo idus Ianuarij, eodem auctore cap. 20. cum parta fuisset victoria duobus annis ante, Septembri mense, anno V. C. 723. vt etiam confirmat Eusebius in chronico. Vel ergo Herodis regnum à victoria Actiaca non cœpit, vel cœpit duobus annis post, Senatus consulto. Tertio, quia si à victoria Actiaca annos hos inchoemus, ergo 37. annus Herodis est trigesimus septimus etiam Augusti, à quo vsque ad 44. restant vt minimum 7. anni, non ergo potuit Archelaus post patrem Herodem 9. annos regnare, & ab Augusto remoueri, vt Iosephus, & omnes fatentur. Cum ergo nonus annus Archelai inciderit in vltimum fere Augusti, & Herodes ante ipsum regnauerit 37. annos, ergo cœpit Herodes hos. 37. ab eo anno, quem patres supradicti notarunt. Denique si ætatem supradictam cōsideremus, colligemus à victoria Actiaca regnasse Herodem 39. annos, non 37. quod nemo dixit.

Eusebius. *Tertia ratio* *Iosephus.* *Quarta ratio.*

Tertia sententia verior.

CVM ergo ex his variis sentētiis, ceteris præmissis rationibus explosis, tertia illa, & plures habeat, & grauiores auctores, & auctoritas in historia valeat plurimū, & Iosephus illi patrocinetur asignās annos 9. Archelao post patrē, vt diximus: cumq; ex Epipha. hęres. 51. habeamus, quatuor annis ante perfectā coniunctionē Iudæorū cum Romanis, quæ victo Antonio apud Actiū cōtigit, cœpisse regnū Herodis post nouem annos transactos, ante quos pater eius Antipater Iudeæ procurator fuerat cōstitutus, & ipse Herodes ab Antonio iā Triumuiro Tyri existēte factus est Tetrarcha, vt ait Ioseph. lib. 14. c. 21. qui nouē anni absoluti sunt eo ipso quo sunt absoluti anni 34. Hyrcani, anno. V. C. 719. L. Cornificio, & sex. Pōpeio Cons. sequitur hanc à nobis esse suscipiēdā, vt dicamus cœpisse Herodē anno V. C. 720. M. Antonio, & Lucio Scribonio cōs. anno. 10. Triūuiratus, vt sic natum dicamus Christum anno 32. Herodis.

Epiphanius

annus Christi nati per oēs rationes numerandi.

ERGO, vt omnes rationes numerandi comprehendamus, Natus est Christus anno ab orbe cōdito 4087. à diluuio 2431. ab Abrahæ promissione 2034. ab exitu de AEgypto 1604. ab initio regni Dauidis 1167. à tēplo Salomo

nis

nis 1124. à captiuitate Babylonia 597. à ſecundo templo fundato 527. anno. 453. hebdomadarum Danielis, anno 5. hebdomadis 65. Cóſ. Auguſto 13. & Plautio Syluano, creatis, calendis Ianuarij: anno 43. Auguſti incepto idibus Martiis: anno vrbis conditæ 752. inchoato menſe Maio: anno 2. Olymp. 194. cæpto menſe Iunio; anno 42. Auguſti à primo conſulatu incæpto die 19. Auguſti, & 29. Monarchiæ inchoato 2. die Septẽbris, & anno 42. à triũuirat. cępto mẽſe Nouẽbri: æra deniq; 38. Decẽbri enim ſequẽti eiuſdem anni 25. die Chriſtus natus ſuo ortu orbem illuſtrauit.

20 ADER. HIERONYM. Epiſt. 27. in epitaph. Paulæ. Haud procul inde deſcẽdit ad Turrim Ader, ideſt gregis, iuxta quã Iacob pauit greges ſuos, & paſtores nocte vigilãtes audire meruerũt, gloria in excelſis Deo, & ſuper terrã pax hominibus bonæ voluntatis. Et lib. quæſtio. in Geneſ. c. 31. & profectus eſt Iſrael, & extendit tabernaculum ſuũ trans turrim Ader: ſi ſequamur ordinẽ vię paſtorũ iuxta Bethlehẽ locus eſt, vbi, vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Iacob pecora ſua pauit, loco nomẽ imponens, vel, quod verius eſt, quodã vaticinio futurum iam tunc myſteriũ monſtrabatur. BEDA lib. de locis ſanct. c. 8. Porro ad Orientẽ in turre Ader, ideſt gregis, mille paſſus à ciuitate Bethlehẽ, ſegregata eſt Eccleſia trium paſtorũ, Diuinæ natiuitatis conſciorũ monumẽta continens. Et ſuper c. 2. Lucæ. Turris gregis, quæ Hebraice turris Ader vocatur, mille circiter paſsibus à ciuitate Bethlehem, ad Orientem diſtat, vaticinio ſui nominis paſtores hos multo ante demõſtrans; ad quam vſq; filiæ Sion, angelicæ videlicet poteſtates paſtoribus apparẽdo, venerunt. HAYMO in ſecundũ Lucæ. Eſt quædã turris diſtãs à Bethlehẽ mille paſſus, iuxta quã erant paſcua vberrima, & vocabatur illa turris Ader, & paſtores paſcebant ibi pecora ſua tempore hyemis. *AVCTOR.* Hierony. quæſtion. in Geneſ. Beda, & Haymo volũt de hac turre dictum à Michæa c. 4. Et tu turris gregis nebuloſa, &c. ſed iã diximus de turre tẽpli intelligendum in illius prophetæ elucidatione.

Ader turris. *Hieronym.* *Beda.* *Ader mille paſſus diſtat à Bethlehem.* *Haymo.* *Michea 4.*

21 TRES PASTORES. BEDA de locis ſan- *Beda.*

ctis, capit. 8. vt supra. Segregata est Ecclesia trium pastorum diuinæ natiuitatis consciorum monumenta continens.

Gabriel annunciat pastoribus natum Christum. 22 GABRIEL. ORIGENES homil. 3. ex diuersis. Iste etiam Angelus Gabriel ad illos bene vigilantes pastores venit, & domini generationem eisdem nunciauit. *Origenes.* CHRYSOSTOMVS homil. de Annunciatione. *Chrysostom.* Missus est Angelus Gabriel, qui annunciaret, qui est in solio in spelunca etiam iacere. *Hieronym.* HIERONYMVS Epistola 48. ad Sabinianum. Ecce Angelus ille cubiculi Mariæ ianitor, cunarum domini custos, & infantis Christi gerulus, coram quo tanta faciebas, ipse te prodidit. *Haymo.* HAYMO in cap. 2. Lucæ. Ecce Angelus Domini astitit iuxta illos: iste Angelus Gabriel intelligitur. *Auctor.* AVCTOR. Satis est vero simile Gabrielem, cui demandatū est hoc mysterium Mariæ denunciare, eumdem, & illud euangelizasse primum pastoribus.

Solennitas circumcisionis. 23 MORE GENTIS. *Auctor.* AVCTOR. Quis dubitat iam vulgato per vniuersum Bethlehemum admirando ortu infantis, præsertim pastoribus id nūciantibus; & cognatos, & vicinos conuenisse, sicut cōtigisse indicatur Luc. 1. in Ioannis circumcisione.

Circūcisus vbi natus. 24 IN EA SPELVNCA. *Epiphanius.* EPIPHANIVS hęres. 19. §. 2. Natus est in Bethlehem, circumcisus in spelunca, oblatus in Ierusalem. *Auctor.* AVCTOR. Ex his, quæ dicemus de Magis, certius est, Virginem adhuc in spelūca, vbi peperit, permansisse, atque ita in ea infantem circūcisum; *Niceph.* quamuis Nicephorus lib. 1. historiæ cap. 12. In domo Iosephi circumcisum putet his verbis. Atque vt certo suam cum Iudæis cognationem confirmaret, hominis more Mosaicæ legis, ita vt decebat, debitum suum tribuit ritum, & die octauo, dominico scilicet, circūciditur, in Bethlehem, in domo Iosephi, & ibi nomen Iesu accipit.

Ioseph minister circumcisionis. 25 A IOSEPHO. *Ephrem.* EPHREM Syrus, in oratione de Transfiguratione Domini. Si non erat Deus, pastores quem adorabant? Si non erat caro, Ioseph quem circumcidebat? BERNARDVS sermon. 1. de circumcisione.

ſed nec ipſius miniſtri contemnendum eſt teſtimonium, ei qui imitari quærit Saluatoris exemplum, hic eſt Ioſeph. AVCTOR. Ex ſcriptura ſacra ſatis aperte colligitur nullum fuiſſe deſignatum circumciſionis miniſtrum, ſed vel patrem ſolitum filium circumcidere, vel matrem, vel quēuis alium. De patre conſtat Geneſ. 17. 23. Tulit Abraham Iſrael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ, vniuerſoſque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ, & circumcidit carnem præputij eorum ſtatim in ipſa die. Et cap. 21. 4. Vocauitque Abraham nomen filij ſui Iſaac, & circumcidit eum octauo die, ſicut præceperat ei Deus. Actuum 7. 8. Et ſic genuit Iſaac, & circumcidit eum die octauo, & Iſaac Iacob, & Iacob duodecim Patriarchas. De matre etiam patet Exod. 4. 25. Tulit illico ſephora acutiſsimam petram, & circumcidit pręputium filij ſui. Primo Machab. 1. 63. Et mulieres, quæ circumcidebant filios ſuos, trucidebantur. 2. Machab. 2. 10. Duæ mulieres delatæ ſunt natos ſuos circumcidiſſe, quas infantibus ad vbera ſuſpenſis per muros præcipitauerunt. Et Actuum 25. 21. Audierunt autem de te, quia doceas non debere eos circumcidere filios ſuos. Sed & de aliis etiam conſtat, quia Abraham Geneſ. 17. cunctos mares domus ſuæ circumcidit. Et Ioſue 5. 7. Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Ioſue, quia ſicut nati fuerant in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. 2. Machab. 2. 46. Et circuiuit Mathathias, & amici eius, & deſtruxerunt aras, & circumciderunt pueros incircumciſos, quotquot inuenerunt in finibus eorum. Acto. 16. 3. Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci, & aſſumens circumcidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis. Ergo miniſter circumciſionis quiuis eſſe poterat; quamuis exiſtimo patrem, aut dominum ex conſuetudine fuiſſe, alios ex neceſſitate, ſic enim fecerunt mulieres ſupradictæ.

Auctor. Circumciſionis miniſter

Parentes filios circumcidebant.

26 IMPOSVIT. MATHAEVS cap. 1. 25. Et non cognoſcebat eam (Ioſeph) donec peperit filium ſuũ primogenitum, & vocauit nomen eius IESVM. AVCTOR. Si ille qui circumcidebat, nomen imponebat, &

Ioſeph impoſuit nomen IESV.

Ioſeph

Ioseph imposuit infanti nomen, quod dictum fuit Mariæ ab Angelo priusquam in vtero conciperetur, ergo Ioseph ipse circumcidit puerum.

Nomen Iesu scriptum in tabulis Romanorũ. *Iustinus.*

27 INFANTIS NOMEN. IVSTINVS Philosophus, & M. dialogo cum Triphone. Cum per id tempus ageretur primus census in Iudæa sub Quirino, à Nazareth, vbi domicilium habebat, ascendit in Bethlehẽ veterem patriam, vt nomen profiteretur. Et in Apolog. 2. pro Christianis. Id castellum est Iudeæ, stadia 35. dissitum à Ierosolymis, in quo Iesus Christus natus est, sicut cognoscere potestis ex cẽsu facto sub Quirino, qui primus in Iudæá procurator missus est. TERTVLLIANVS lib. aduersus Iudæos cap. 9. de Natiuit. Christi. Nec enim vili hominũ vniuersitas spiritualium documentorum cõpetebat, nisi in Christum, floridum quidem, ob gratiam adæquatum, ex stirpe autem Iesse deputatum, per Mariam scilicet inde censendum: fuit enim de patria Bethlehem, & de domo Dauid, sicut apud Romanos in censu descripta est Maria, ex qua nascitur Christus. Et lib. 4. aduersus Marcionem, cap. 7. Et tamen quomodo in synagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus, cuius nemo adhuc certus, de tribu, de populo, de domo, de censu deniq; Augusti, quem testem fidelissimum dominicæ natiuitatis Romana Archiua custodiunt? Et cap. 19. Etiam si exploratione Natiuitatis tentandus fuisset, quodcumque aliud argumentum tentationi competisset, quam per earum personarum mentionem, quas potuit etiam natus non habere: dic mihi omnibus natis mater aduiuit? Omnibus natis adgenerantur, & fratres? Nõ licet patres magis, & sorores habere, vel neminem; sed census constat actos sub Augusto, nunc in Iudæam per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent, adeo nullo modo constitit ratio tentationis istius. Et cap. 36. Tam distincta fuit à primordio Iudæa gens, per tribus, & populos, & familias, & domos, vt nemo facilè ignorare de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus adhuc tunc fortasse pendentibus. GREGORIVS Nyssenus Episcopus, oratione

Tertullia.

Greg. Nyss.

tione de Christi Natiuitate. Cur tempore descriptionis tributorum vitam ingreditur? An perspicuum est eum, quem admodum à legis execratione nos eripit factus ipse pro nobis execratio, & liuores nostros in se transfert, vt eius liuore nos curemur, sic etiam vectigalem fieri, vt nos à grauissimo vectigali, quod ab homine mors exigit, liberaremur? PAVLVS Orosius lib. 6. cap. 22. Eodem anno tunc primum idem Cæsar, quem his tantis mysteriis prædestinauerat Deus, censum agi singularũ vbiq; prouinciarũ, & censeri omnes homines iussit, quãdo & Deus homo videri, & esse dignatus est. Tunc igitur natus est Christus Romano censui statim ascriptus, vt natus est. Hæc est illa prima, clarissimaque professio, quæ Cæsarem omniũ principem, Romanosque dominos rerum sigillatim, cunctorũ hominum edita adscriptione signauit, in qua se & ipse, qui cunctos homines fecit, inueniri hominem, ascribique inter homines voluit. Quod numquam penitus ab orbe condito, atque ab exordio generis humani in hunc modum, ne Babylonio quidem, vel Macedonio, vt non dicam minori cuique regno concessum fuit. Nec dubium quin omnium cognitioni fidei, inspectionique pateat, quod Dominus noster Iesus Christus hanc vrbem nutu suo auctã, defensamque in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potissime voluit esse cum venit, dicendus vtique ciuis Romanus census professione Romani. Et lib. 7. cap. 3. Postquam Redemptor mundi Dominus Iesus Christus venit in terras, & Cæsaris censu ciuis Romanus ascriptus est, dũ per duodecim, vt dixi, annos clausæ belli portæ beatissima pacis tranquillitate cohibentur, Caium nepotem suum Cæsar Augustus ad ordinandas AEgypti, Syriæque prouincias misit.

Orosius.

Romam auxit eius ciuis Christus

Iesus ciuis Romanus.

DE MAGORVM ADOratione. Cap. VIII.

EDITO in lucem infante à Virgine Maria, Herode regnante in Iudæa, vt diximus, 1 cõfestim versus eam 2 Arabiæ partẽ, quæ inter Mesopotamiam, & Palestinam late patet, eximia 3 stella in aëre visa est, quæ 4 suo splendore, ac forma viros eius gentis 5 principes, ac 6 sapientes, qui syderum contemplatione delectabantur, admiratione perculsit: vt ipsam esse facile intelligerent, quam veteri fama ex prophetia 7 Balaam, maiorumque traditione accepta, regis in Iudæa nati futuram indicem spectabant. Percrebuerat enim vetus, & constans opinio per totum Orientem, esse in fatis, eo tempore Iudæa profectum totius orbis dominatorem futurum. 8 Tres ergo ex illis, totius gẽtis nomine, iter arripiũt, vt in principe Iudeę vrbe Ierosolyma natum Regem perquirant. Atque ad viæ sinistram relicto Bethlehemo Ierosolymam ingrediuntur, dicentes: vbi est ille, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus vt adoremus eum. Hæc cũ Herodes audiuit turbatus est, & tota vrbs cum illo, & congrega-

tis omnibus principibus Sacerdotum, & Scribis populi percõtatus eos est, vbi Christus nasceretur? At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudeæ, sic enim scriptum est per Michæam Prophetam; & tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim mihi exiet dux, qui reget populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligẽter perquisiuit ab eis, quam pridem eis stella apparuisset: & iussis ire in Bethlehem dixit, profecti illuc, accurate inquirite de puerulo, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniam, & adorem eum. At illi audito Rege abiere, & ecce egressis Ierosolyma, stella, quam viderant in Oriente denuo apparens, præcedebat illos, donec progressa staret supra locum, vbi erat puer. Quam cum agnouissent, & sibi ducatum præbentem vidissent, gauisi sunt gaudio magno valde. Igitur speluncam ingressi, die sexto Ianuarij, ex quo vero natus erat Infans 10 decimotertio, inuenerunt puerum 11 in Mariæ matris eius gremio iacentem, & prostrati adorauerunt illum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei 12 munera, aurum, thus, & myrrham: & in somnis admoniti ne reuerterentur ad Hero-

dem 13 per aliam viam, nempe rectam, reuersi sunt in regionem suam.

Testimonia.

Christo nato orta stolla. 1 ONFESTIM. IVSTINVS Philosophus, & M. dialogo cum Triphone. Quã primum natus est Magi ex Arabia profecti adorarunt eum. ORIGENES lib. 1. contra Celsum. Et vt nobis apparet, cum haberent, & hi ex Balaã prophetias, quas Moses ipse, vt erat ingenio acer, conscripserat, & in his de stella quod traditur comperissent, intellexerunt hominem demigrasse ad vitam, & natum esse qnem prophetæ, cum stellæ indicio iam pridem venturum denunciassent. Et homilia 13. in Numeros. Quando natus est IESVS, agnouerunt stellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam, magis ipsi, quam populus Israel, qui sanctorum prophetarum audire verba contempsit. Illi ergo ex his tantum, quæ Balaam scripta reliquerat, agnoscentes adesse tempus, venerunt, & requirentes eum statim adorauerunt. CYPRIANVS sermone de stella, & Magis. Nato in Bethlehem Saluatore audita est in Ephrata, eius in terris præsentia, & vsque ad syluas, camposque gentium nouæ huius natiuitatis est fama porrecta: in Iudæa à pastoribus, & Angelis, primo sunt hæc gaudia celebrata, nec multo post Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabba præclari stella luminis cælestis numinis nouis splendoribus indicauit. HILARIVS cano. primo in Mathæum. Stellæ ortus primum à Magis intellectus indicat, mox gentes in Christum credituras, & homines professionis longe à scientia Diuinæ cognitionis auersæ, lumen quod statim in ortu eius extitit cogniturus. AMBROSIVS lib. 2. in Lucam, capite de Natiuitate Saluatoris. Ex vtero funditur, sed

Iustinus. *Origenes.* *Cyprianus.* *Hilarius.* *Ambrosius*

coruscat è cælo : terreno in diuersorio iacet, sed cælesti lumine fulget. EPIPHANIVS hæresi 30. *Epiphanius*
Et quod statim Deus genitus erat, & non nudus homo, Magi clare ostendunt, nam post duorum annorum tempus, ostenderunt Herodi tempus stellæ à bimatu, & infra. HIERONYMVS in secundum *Hieronym.*
Mathæi. Ad confusionem Iudæorum, vt natiuitatem Christi à gentibus discerent, oritur in Oriente stella, quam futuram Balaam, cuius successores erant, vaticinio nouerant. CHALCIDIVS Platonicus in *Chalcidius.*
comment. in Thimæum Platonis. Est alia sanctior, & venerabilior historia, quæ perhibet de ortu stellæ cuiusdam, non morbos, mortesque denunciantis, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conuersationis, rerumque naturalium gratiam; quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profecto sapientes viri, & consideratione rerum gestarum satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem Dei ortum, repertaque illa Maiestate puerili venerati esse, & vota Deo tanto conuenientia numcupasse. AVGVSTINVS *Augustin.*
sermone 32. de tempore. Hac die Magi Dominum nostrum adorasse perhibentur, stella scilicet apparente cōmoniti, & præcedente perducti; eo quippe die, quo natus est, illi stellam in Oriente viderunt, & quem natum indicauerit, agnouerunt. Manifestatus est quidem, & die ipso natiuitatis suæ Dominus pastoribus ab Angelo admonitis, quo etiam die per stellam illis est longe in Oriente nunciatus, sed in isto die ab eis est adoratus. EVTHYMIVS in cap. 2. Mathæi. Exacte perquisiuit, siue didicit tempus stellæ, quando scilicet eis apparuerit, vt inde tempus Natiuitatis Christi numeraret : cogitauit enim tunc proculdubio natum esse Christum, quando stella apparuerat. AVCTOR. *Euthym.* *Auctor.* *Stella Magis nō ante Christi ortū apparuit.*
Ex horum patrum sententia constat satis, nato Christo Domino, non ante, ortam stellam, & visam Magis, quamuis idem Augustinus, si ipse est, libro 27. homilia. sermone primo, & sermone 35. de tempo- *Augustin.*

re, cum dixisset, paucis diebus à Natiuitate transactis Magos venisse, addat, in cælo videntes ignotissimam stellam, non ante paucos dies, sed ante ferme biennium, sicut inquirenti Herodi patefecerunt, vnde à bimatu, & infra, secundum tempus, vt scriptum est, quod inquisierat à Magis, hanc stellam, sicut intelligitur, admirati, cuius etiam esset, consequenti reuelatione nosse meruerunt, Regis videlicet Iudæorum. Et Chrysostomus homilia 6. & 7. in Mathæum, cum multum ante tempus in regione sua stellam apparere vidissent, veniunt ad eum, qui erat natus, videndum. Et Theophylactus, in 2. Math. stella ait, antequam natus esset Dominus, apparuerat Magis, quoniam multum temporis in iter insumpturi erant, ideo multo ante apparuit stella. Et Nicephorus lib. 1. cap. 13. in eadem est sententia. Sed biennio ante stellam visam non est vero simile. Quæ enim tam longa via conficienda erat? Nisi segnes velimus Magos existimare, qui distulerint profectionem. Dicemus autem vnde sint profecti, vt facile possit intelligi, non id tẽporis fuisse necessarium.

Chrysost. *Theophyl.* *Nicephor.*

Arabes Magi. *Iustinus.*

2 ARABIAE. IVSTINVS Philosophus, & M. in dialogo cum Triphone. Quamprimum natus est Christus, Magi ex Arabia profecti adorarunt eum, adito prius Herode. Nam iste Rex Herodes didicit è senioribus vestri populi, Magis, qui ex Arabia venerant, dicentibus, è stella in cælo exorta cognouimus natum esse regem in regione vestra, & venimus adoraturi eum.

Tertullia.

TERTVLLIANVS libro aduersus Iudæos, cap. 9. de Natiuitate Christi. Maneant Orientales illi Magi infantiam Christi, vt Regem auro, thure, & myrrha remunerantes: & accepit infans virtutem Damasci, sine prælio, & armis. Nam de hoc auri munere etiam Dauid dixit, & dabitur illi de auro Arabiæ. Et iterum, Reges Arabum, & Sabba, munera adferent illi: nam & Magos Reges fere habuit Oriens: & Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophænicem, ex distinctione Syriarum, cuius tunc virtutem

Damascus Arabiæ vrbs.

Christus

Christus accepit. Et lib. 3. aduersus Marcionem habet eadem c.13. CYPRIANVS serm. de stella, & Magis. Nato in Bethlehem Saluatore audita est in Ephrata eius in terris præsentia, & vsque ad syluas, camposque gentium nouæ huius natiuitatis est fama porrecta: in Iudæa à pastoribus, & Angelis primo sunt hæc gaudia celebrata, nec multo post Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Saba præclari stella luminis, cælestis numinis nouis splendoribus indicauit. CHRYSOSTOMVS homil. 4. ex variis in Mathæ. Dauid ita de his testatur, Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent: & vt potissimũ, cui hæc dona essent danda monstraret, addidit, & dabitur ei de auro Arabiæ. EPIPHANIVS in compendio doctrinæ. At vero in Christi aduentu, cum iidem filij Abraham, & discessissent, & habitassent in partibus Arabicis, Magodiæ regionis, Magi qui ex successione seminum illorum descenderũt, eadem dona in participatione eiusdem spei Christo in Bethelehem obtulerunt, quando stellam conspicati venerunt. *AVCTOR*. Hanc sententiam esse veriorem, quam eam, quæ Persas fuisse Magos dicit, vt dicunt Clemens Alexand. lib. 1. stromat. Athanas. lib. de incarnatione Verbi Dei. Ioannes Chrysostom. homil. 6. in Mathæum, Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. in cap. 49. Isaiæ, oratione 4. Theodoretus lib. 5. historiæ cap. 39. Leo sermone 1. de Epiphania, & alij complures: & quam eam, quæ Chaldeos fuisse dicit, Hieronym. Dan. 2. Origenis homil. 13. in Numer. Chalcidij super Thimæũ Platonis. Maximi homilia 1. de Epiphania. Fulgentij homilia 4. & 5. Chrisologi sermone 156. & aliorum, comprobatur primo dictorum patrum auctoritate. Secundo, quia omnes concedunt, vt dicemus, prophetia Balaam edoctos Magos cognouisse stellam indicem Christi, cuius erãt successores; at Balaam illam edidit prophetiam, orietur stella ex Iacob, euocatus à Balac rege Moabitarum, in Moab: vt patet Num. 23. Moab autem prouincia est Arabum, in qua fuit Balac: vt ait Hieronym. Isai. 15. & capit. 21. & de locis

Cyprianus. *Chrysost.* *Epiphanius* *Auctor.* *Persas non fuisse Magos.* *Clem. Ale.* *Athanas.* *Chrysosto.* *Cyril. Ale.* *Theodoret.* *Leo.* *Neq; Chaldaeos.* *Hieronym.* *Origenes.* *Chalcidius.* *Maximus.* *Fulgentius.* *Chrysolog.*

locis Hebraicis; ergo Arabes hi fuere Magi. Tertio, quia hæc Arabia est Orientalis Iudeæ, & cõstat, quia mare mortuũ in scriptura vocatur mare Orientale, quod sit ad Oriẽtem Palestinæ: at illi mari adiacent hi Arabes Moabitæ, sicut, & Ammonitæ, vt constat ex Hieronymo, Isaiæ 15. dicente: Vrbs Iasa mortuo mari imminet, vbi est terminus prouinciæ Moabitarum; & Nimrim oppidum super mare mortuum est. Et Ieremia. 25. Idumea, Moab, & Amon, proximi maris mortui. Quod etiam Ethnici affirmant, sic enim ait Cornelius Tacitus Annal. 21. lib. de Iudæa loquens, terra, finesque qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur, à meridie AEgyptus obiacet, ab occasu phenices, & mare, septentrionem à latere Syriæ longe prospectat. Et strabo lib. 16. Geographiæ. Syria, inquit, (sub qua in ora mediterranea ponit Iudæam) Orientem versus terminatur Euprhate, & Arabibns, qui cis Euphratem sunt: Ac Plinius lib. 1. capit. 16. de mari mortuo, seu locu Asphaltite loquens, qui ad Orientem est Iudeæ: prospicir eum, ait, ab Oriente Arabia Nomadum. Quarto denique, quia hac ratione facilior redditur, ac breuior Magorum via, vt possent intra spacium dierum 13. venisse. Dixit enim Paulus ad Galatas 4. 25. Sina mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem, & Hieronymus Epistola 129. ad Dardanum: Arabas, & Agarenos, quos nunc Sarracenos vocant, in vicinia, inquit, vrbis Ierusalem: & mare mortuum non longe distabat ab Ierusalem, trecentis tantum stediis, vt ait Iosephus lib. 9. antiquit. cap. 1. vel ducentis, vt lib. 15. cap. 7. Vnde Remigius in 2. Math. Si fuerunt successores Balaam reges isti, non longe distant à terra promissionis, idcirco in tam breui spacio temporis Ierusalem venire poterunt.

Hieronym. Moab mari imminet mortuo. Tacitus. Strabo. Plinius. Paulus. Hieronym. Mare mortuum quantum distat ab Ierusalẽ. Iosephus. Remigius.

3 STELLA. BASILIVS hom. de humana Christi generatione. Neque stella ipsa ex aliarum numero fuit: nam quæ ab initio orbis creatæ sunt, aut omnino immobiles existunt, aut certe continuo mouentur: hæc vero, de qua loquimur, vtrumque habuisse palam est, & motum, &

Stella de nouo producta. Basilius.

quie-

quietem: ex quo nullam cum ceteris habuisse rationem, aut naturã, apparet. Mota in primis est ab Oriente in Bethlehem, constitit autem supra, vbi erat puer; idcirco ex Oriente Magi discedentes stellam sunt ducem sequuti. GREGORIVS Nyssenus Episcopus, oratione de sancta Christi Natiuitate. Vide ab illo genus ducẽtes Magos iuxta prædictionem progenitoris sui nouæ stellæ ortum obseruantes; quæ stella præter naturam reliquarum stellarum sola tum motus, tum status particeps fuit. Nam ex reliquis stellis cum aliæ quidem penitus in stabili, atque erroris expertæ sphæræ defixæ, atque immobilem statum sortitæ sint, aliæ vero numquam moueri desinant, hæc & mouetur dum Magis dux itineris est, & cõsistit dum locum indicat iisdẽ. IOANNES Chrysost. homil. 6. in Mathæũ. Quod enim nõ vna fuerit hęc stella de pluribus, imo (vt ego arbitror) nec stella omnino, sed quædam inuisibilis virtus in specie syderis figurata, ab ipso primũ itinere mõstratur. Non est enim stella omnino, nec est quæ per hanc cæli plagã cursum tenere doceatur, sed siue dixeris solem, siue dixeris lunã, astraq; cetera ab Oriente ferri omnia in Occidentem videmus: hæc vero à Septemtrione in meridiem stella veniebat, sic enim secundũ locorũ situm Palestina expectabat ad Persidem: Secundo vero etiam de tempore istud probari posibile est, nec enim in nocte cernitur, sed lucente prorsus die, ac sole fulgente. Quam lucendi vim, non solum stella nulla, sed neq; ipsa quidem luna sortita est, quæ licet multo clarius omnibus coruscet astris, continuo tamen ortu solis absconditur, & quæ prius illustrabat omnia, sub multo clariore sydere vix ipsa conspicitur: hæc vero stella ipsos etiam solis radios proprio quodam, præcipuoque fulgore superabat, clarius illis profecto apparens, atque in tanto eorum lumine magis ipsa resplendens. Tertio autem ab ipsa interpolatione lucẽdi stellæ huius nouitas indicatur: nunc enim occultabatur omnino, nunc toto prorsus fulgore radiabat. Nam vsque ad Palestinam venientibus Magis, quasi dux itineris semper apparuit: cum vero Ierosolymam

Greg. Nyss.

Chrysost.

Stellam diuersa à ceteris.

Ratio 1.

Ratio 2.

Stella superabat solem

Ratio 3.

introiſſent ſeſe rurſus abſcondit; deinde cum Herodi cauſam itineris indicaſſent, eoque edicto ad puerum pergerent adorandum; iterum ſe illis eadem ſtella monſtrauit: hoc autem non agit motus ſyderis, ſed virtus quædam plena rationis; neque enim quempiam illa tunc ſtella curſum tenebat, ſed cum eos videret pergere, etiam ipſa pergebat, cum vero eos ſtare conſpexerat, ſtabat, ad voluntatem prorſus viantium, & vtilitatem cuncta diſpenſans: ſicut etiam illa quondam in eremo nubis columna pro opportunitate rerum nunc ſtabat loco, nũc progrediens mouebat exercitum. Quarto etiam ab ipſo demonſtrationis modo facile illud lucideque perſpicitur. Non enim in excelſo conſtituta cæli, eum, qui inquirebatur à Magis, oſtẽdit locum, neque enim ſic diſcere illi aliquando potuiſſent; ſed deſcendens, & inferiorem aeris partem tenens iſtud effecit. Noſtris enim quia tam exiguum, & humilem locum, ac breue tugurium, quod (vt ita dixerim) corpuſculum illud paruulũ continebat, nequiuerit de cælo ſtella monſtrare. Neque enim tantam illius breuitatem loci, tam inæſtimabilis altitudo deſignare potuiſſet: quod certe perfacile à lunari poteſt orbe cognoſci; luna enim cum tam multis ſit ſublimius clara ſyderibus, in tam grandis latitudinem diffuſa terræ, cunctis mundi habitatoribus creditur eſſe vicina. Quemadmodum igitur ſtella, tam exiguum locum, tugurij ſcilicet, atque præſepis, oſtendit; niſi ſublime illud relinquens ad inferiora veniſſet, ſuperque ipſum fere caput pueri conſtitiſſet? Et homil. 7. Hinc euidenter adiſcas, quia non vnum erat hoc ſydus è ceteris: nullam quippe hanc habet ſtella naturam. Nec enim ibat propter Magos tantummodo, ſed præibat quodammodo apprehenſa manu trahens eos, viamq; demonſtrans lucente prorſus die, ac ſole rutilante. Et quidnam opus erat, inquis, hoc ſydere? cum certe iam vicus ille fuiſſet repertus? abſque dubio vt videretur & puer. Nec enim erat præterea quidquam quod illum poſſet oſtendere, cũ nec eſſet ipſa domus conſpicua, nec mater quaſi clara quædã celebraretur, ac nobilis: opus igitur fuit ſtella, quæ ſuper ipſum

Ratio quarta.

ipſum prorſus tugurii culmen inſiſteret: propter quod & ab Ieroſolymis proficiſcentibus rurſus apparuit, nec prius à ſuo curſu deſtitit, quam ad ipſum præſepium perueniret. Deinde poſtquam ſupra pueri caput inſtitit, iterum ſe ſydus abſcondit, quod ipſum maius erat, quam vt ab ſtella fieri crederetur, nunc videlicet apparere, nunc occuli, ſeque rurſus oſtendere. AVGVSTINVS ſermone 31. de tempore, & 3. de Epiphania. Quid erat illa ſtella, quæ neque vmquam antea inter ſydera apparuit, nec poſtea demonſtranda permanſit? Quid erat niſi magnifica lingua cœli, quæ narraret gloriam Dei, quę inuſitatum virginis partum inuſitato fulgore clamaret. HAYMO in ſecundum Mathæi. Magi videntes ſtellam nouã, ceteris ſtellis lucidiorem, non in cœlo cum aliis fixam, ſed in aëre poſitam, reduxerunt ad memoriam prophetiam atawi ſui Balaam. Prope terram ibat, quia ſi in alto eſſet, non poſſent diſcernere, in qua domo eſſet Dominus; vicina erat terris, in tantum, vt propriam domũ demonſtraret, in qua Dñs iacebat in cunabulis. THEOPHYLACTVS in Mathæũ. Deſcendit ſtella à ſummitate, & terræ propior facta, oſtendit eis locum, nam ſi ex ſummitate apparuiſſet, quomodo certiores fieri potuiſſent de loco, in quo eſſet Chriſtus? illa ſtella non demonſtraſſet Chriſtum, niſi deſcendiſſet, & quaſi ſupra caput pueri ſtetiſſet. *Auguſtin.* *Haymo.* *Theophyl.*

4 SVO SPLENDORE. IGNATIVS Epiſtola 14. ad Epheſios. Stella fulſit ſplendore ſuperans omnes quotquot ante fuerant; lux enim illius inenarrabilis erat, & ſtuporem incuſit omnibus aſpicientibus eam rei nouitas: omnia autem reliqua aſtra vna cum ſole, & luna chorus fuere ſtellæ illius, ipſa vero claritate exuperabat omnes. CHRYSOSTOMVS homil. 6. in Mathæ. Hæc ſtella ipſos etiam ſolis radios proprio quodam, præcipuoque fulgore ſuperabat; clarius illis profecto apparens, atque in tanto eorum lumine magis ipſa reſplendens. MAXIMVS homil. 3. Quis dubitet ipſam ſtellam lætiore luce & fulgentioribus radiis coruſcaſſe, quæ *Splẽdor ſtellę maximus* *Ignatius.* *Chryſoſt.* *Maximus.*

cœli terræque lumen humanis oculis ingerebat? Et necesse erat vt hæc stella à ceteris syderibus orbe clariore distaret, quæ annunciabat Christum, cuius natiuitas ab vniuersis mortalibus differebat. LEO sermone primo de Epiphania. Tribus Magis in regione Orientis stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior ceteris, pulchiorq; syderibus facile in se intuentium oculos, animosq; conuerteret; vt confestim aduerteretur non esse ociosum, quod tam insolitum videbatur. Et sermone tertio. Commouet Magos remotioris Orientis habitatores stellis ceteris stella fulgentior, & de mirandi luminis claritate viri ad hæc inspectanda non nescii, magnitudinem significationis intelligunt; agente hoc in eorum cordibus sine dubio inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum. PRVDENTIVS in hymno de Epiphania.

Leo. *Pruden.*

Quem stella, quæ solis rotam,
Vincit decore, ac lumine,
Venisse terris nunciat,
Cum carne terrestri Deum.

Reges Magi. *Tertull.* *Cyprianus.* *Hilarius.* *Chrysost.*

5 PRINCIPES. TERTVLLIANVS lib. aduersus Iudæos c. 9. de Natiuitate Christi. Reges Arabũ, & Sabba dona afferent illi, nam & Magos Reges fere habuit Oriens. CYPRIANVS sermone de baptismo in initio. Nõ satis est, quod angeli locuti sunt pastoribus, quod apparuit stella Regibus. HILARIVS lib. 4. de Trinitate. Iisdem Magis ex mercatu AEtiopum, & Sabaim auri, & Thuris, & Myrrhæ munera deferentibus: quod quidem idipsum, & alius propheta præmonuit dicens: in cõspectu eius procident AEtyopes, & inimici eius terrã lingent, Reges Tharsis munera offerent, reges Arabum, & Sabba munera adducẽt. IOANNES Chrysost. hom. 1. ex variis in 2. Mathæi. Dauid ita de his testatur, reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabũ & Sabba dona adducẽt. Et sermone de natiuitate Ioãnis Baptistæ. Et ideo sancti viri reges, & patres Sabba venerũt ipsi Magi inuitan-

inuitante stella fulgoris, memores scripturæ quæ dicit, orietur stella ex Iacob, & surgét principes de Israel. HIERONYMVS Dan. 2. Magos pro maleficis accipit sermo, & consuetudo scripturarũ, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint Philosophi Chaldæorum; & ad artis huius scientiam reges quoque, & principes eiusdem gentis omnia faciunt, vnde in natiuitate Domini Saluatoris ipsi primum ortum eius intellexerunt, & venientes in sanctam Bethlehem adorauerunt puerum, stella super ostendente. Et Psalm. 71. Reges Tharsis &c. omne hic mundiale imperium, honores, & ordines ad Christum Dominum accedere, eique colla summittere, bonorumque morum dona deferre, Propheta pronunciat; quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum, ipsi enim gentium, regumque typum tenuisse monstrantur. AVGVSTINVS lib. 3. de mirabilibus scripturę cap. 4. Monente subdolo sermone reges alacres pergunt, egresique vrbem mox ducem iteneris ad Christũ stellam sequentes deueniunt. THEOPHYLACTVS Math. 2. Iudæi quare turbantur? oportebat gaudere potius quod rex suus à persicis regibus adoraretur. CANTACVZENVS Apologia prima aduersus Mahometum. Magi vero non vulgares erant homines, sed Domini, & regionum præsides; cum hæc cognouissent deliberauerunt inter se quomodo illuc proficiscentes regem adorarent, & dona offerrent. ANSELMVS in 2. Mathæi. A Sabba fluuio Sabæa regio dicitur, iuxta quam Arabia est, vnde isti tres reges fuerunt, NICEPHORVS lib. 1. hist. cap. 13. Sapientes autem hi, nobilitateque generis, & opibus insignes fuere. *AVCTOR*. Potest hæc omnis sententia confirmari Philonis auctoritate, qui libro de specialibus legibus, de Magia loquens, non solum, ait, eam plebei sectantur, sed etiam reges regum maximi, presertim Persici tam curiosi harum artium, vt regnare non liceat nisi cum magis versato familiariter. Et Plinii lib. 30. cap. 1. qui ait, Magiam in Oriente regum regibus imperasse, & Ciceronis lib. 1. de diuinatio.

Hierony. *August.* *Theophyl.* *Cantacuz.* *Anselm.* *Niceph.* *Auctor.* *Philo.* *Plini.* *Cicero.*

omnino

omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant. Apud orientales autem, reges appellabãtur omnes, qui ſceptro, & diademate ex dignitate vti poterant, ſiue alterius iuri ſubeſſent, ſiue non; nec enim tam ſoliciti erant in rege, & principe diſtinguendo.

Reges qui orietalibus.

Sapientes Magi. *Cyprianus.*

6 SAPIENTES. CYPRIANVS ſermone de Epiphania. Erant in illis regionibus viri ſyderum inſpectionibus aſſueti, qui arte mathematica vim, diſcurſumque nouerant planetarum, qui ex elementorum natura rationem temporum metientes, aſtrorum miniſteria certis experimentis, propriis didicerant effectibus aſsignare. CHALCIDIVS in Thimæum Platonis. Quã ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum geſtarũ ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem Dei ortum. LEO ſermone 3. de Epiphania. De mirandi luminis claritate viri ad hæc ſpectanda non inſcii, magnitudinem ſignificationis intelligunt. Et ſermone 4. Ad roborãdum ergo hanc fidem, quæ contra omnes pronunciabatur errores, ex magna geſtum eſt diuini pietate conſilii, vt gens in longinqua orientalis plagæ regione conſiſtens, quæ ſpectandorum ſyderum arte pollebat, ſignum nati pueri, qui ſupra omnem Iſrael eſſet regnaturus, acciperet. BEDA in ſecundum Mathæi. Magi non propter magicam artem ſic nominantur, ſed propter aliquam philoſophiã.

Chalcid. *Leo.* *Beda.* *Auctor.*

Artibus magicis adictos *Ignatius.* *Iuſtinus.* *Tertull.* *Origenes.* *Baſilius.* *Ambroſius.* *Hieronym.* *Magi dicti à regione.* *Epiphan.*

AVCTOR. Ex vetuſtis patribus non pauci magicis artibus addictos hos magos putant, Ignatius Epiſtola ad Epheſios; Iuſtinus Dialogo cum Triphone; Tertullianus lib. de idololatria; Origenes lib. 1. cõtra Celſum; Baſilius oratione de humana Chriſti generatione; Ambroſ. lib. 2. in Lucam cap. de natiuitate Saluatoris; Hieronym. Iſai. 19. & 47. nec mirum, cum Harioli Balaam, vt dicemus, fuerint ſucceſſores, quo maius ſit eis à Chriſto collatum beneficium. Fortaſſe à terra Magi dicti ſunt, ait enim Epiphanius in compendio doctrinæ. At vero in Chriſti aduentu cum iidem filii Abraham, & diſceſsiſſent, & habitaſſent in partibus Arabicis Magodiæ regionis, Magi qui

ex

ſucceſsione ſeminum illorum deſcenderunt eadem dona in participatione eiuſdem ſpei Chriſto in Bethlehem obtulerunt, quando ſtellam conſpicati venerunt. Eſt & apud Plinium lib. 5. cap. 23. in Cæleſyria Hierapolis, quæ Syris dicitur Magog. *Plinius.* *Magog Hierapolis.*

7 BALAAM. BALAAM Num. 14. dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus eſt oculus, dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam altiſsimi, & viſiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. Videbo eum, ſed non modo, intuebor illum, ſed non prope: orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitq; omnes filios Seth, & erit Idumæa poſſeſsio eius, hereditas Seir cedet inimicis ſuis; Iſrael vero fortiter aget: de Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis. SEPTVAGINTA. Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael, & confringet duces Moab. CHALDAEVS; video eum & non modo, intueor eum ſed non eſt prope, cum conſurget Rex de domo Iacob, & vngetur Chriſtus de domo Iſrael, & occidet principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum. ORIGENES lib. primo contra Celſum. Magi apparentis ſtellæ cauſam conquirentes, & non mediocrem eſſe hanc contemplati, cum in cœlo ſignum ſpectarent, quod diuina non humana præferret, cepit cupido animum, quod illud portēderet, peruidere: & vt nobis apparet, cum haberent & hi ex Balaam prophetias, quas Moyſes ipſe, vt erat ingenio acer, conſcripſerat, & in his de ſtella quod traditur comperiſſent, intellexerunt hominem demigraſſe ad vitam, & natum eſſe, quem prophetæ cum ſtellæ indicio iam pridem venturum denunciaſſent; & cum hunc, vt potiorē, dæmonibus, prætuliſſent, qui ſoliti eſſent vanis rerū imaginibus ludificari, in Iudæam eumdem adoraturi ſe contulerunt, certiores iam redditi, eſſe regem aliquem natū; ignari tamen quale hic eſſet imperium habiturus, & vbi nam gentium naſceretur. Et homil. 13. in Nume. Ex illo Balaam etiam hoc habuerunt ſcriptū, quod orietur ſtella *Balaam prophetia Magis nota.* *Balaam* *Septuaginta* *Chaldæus.* *Origenes.*

ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Hæc scripta habebāt Magi apud semetipsos, & ideo quando natus est Iesus, agnouerunt stellam, & intellexerunt adimpleri prophetiā, magis ipsi, quam populus Israel, qui sanctorum prophetarum audire verba contempsit. Illi ergo ex his tantum, quæ Balaā scripta reliquerat agnoscentes adesse tempus, venerunt, & requirentes eum, statim adorauerunt. CYPRIANVS sermone de Epiphania. Hi ex vaticiniis Balaam olim audierant, stellam oriri in Iacob, & hominē in Israel, cuius fortitudo quasi rhinocerotis; ad quem in trieribus de Italia venirent. Diu homines illi huius prophetiæ prouentum expectauerunt, at vbi venit plenitudo temporis, orto repente noto sydere, ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonio moniti, quam signo, dromadis inuecti, in Iudæam stella duce perueniunt. EVSEBIVS Emissen. in 2. Math. sed numquid illa stella videbatur ab òmnibus? Si enim ab omnibus videretur, nequaquam se eam in oriente vidisse dicerent, quæ non solum in oriente appareret. Factum est autem vt visa stella quidquid per eam significabatur, mox intelligeretur; non tamen astrologiæ artis demonstratione, sed sancti spiritus illustratione. Christum igitur in stella quærebant, quem diuina inspiratione per stellam significari intelligebant; hoc enim & Balaam significauerat dicens, orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. BASILIVS oratione de humana Christi generatione. Eiusdem fere magicæ Balaam ille videtur fuisse, quì à Balac missus, vt verbis quibusdam populo Israel malediceret; ex quo in quarta eius parabola talia de Domino dicit; orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel. Quoniam igitur astrum exortum, naturæ prodigium habuerunt, sciscitari Magi decreuerunt, quis nam homo ex Israel exurgeret. Quam obrem Iudeæ locum vestigantes, ex antiquo vaticinio in ciuitatem venerunt, interrogantes, vbi nam qui natus est Rex Iudæorum? GREGORIVS Nyssenus Episcopus oratione in Natali Domini. Audistis hariolum Balaam

Cypria.

Emisse.

Basil.

Gre. Niss.

meliori

meliori numine afflatum, sic alienigenis prædicentem; orietur stella ex Iacob. Ecce tibi qui ab eo genus duxerunt Magi, ex prædictione ipsius nouum obseruant ortum stellæ. AMBROSIVS lib. secundo in Lucã. *Ambros.* Sed tamen qui sunt isti Magi, nisi, vt historia quædam docet, à Balaam genus ducunt, à quo prophetatum est, orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel; & cognouerunt hanc esse stellam, quæ hominem Deumque signabat, & adorauerunt paruulum. CRYSOSTOMVS homil. 1. ex variis in Mathæum. Magi isti, qui nouam stellam in oriente viderunt, ex genere illius Balaam prophetæ gentium ducere originem referuntur, qui dixerat, orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel; & idcirco viso nouo stellæ signo, crediderunt, quia auctoris sui prophetiam impletam nouerant. *AVCTOR* IMPERFECTI hom. 2. in Mathæum. *Auctor Imperfecti.* Legi apud aliquem, Magos istos ex libris Balaam diuinatoris appariturae huius stellæ scientiam accepisse, cuius diuinatio posita est in veteri testamento; orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel, & dominabitur omnium gentiũ. HIERONYMVS in 2. Mathæi. *Hierony.* Ad confusionem Iudæorum, vt natiuitatem Christi à gentibus discerent, oritur in oriente stella, quam futurã Balaam, cuius successores erant, vaticinio nouerant. AVGVSTINVS sermo. 67. ex diuersis. *August.* Quare venerunt? quia stellam inusitatam viderunt: & vnde eam Christi esse cognouerunt? proculdubio iudicatũ est per aliquã reuelationem; viderũt ergo quamdã stellam inusitatã, mirati sunt, quæ sierũt, sine dubio cuius esset signum, quod tam nouum, insolitumq; viderunt, vtiq; audierunt, profecto ab angelis, ab aliqua admonitione reuelationis. MAXIMVS homil. 3. de Epiphania. *Maximus.* Sequuntur præuiam stellam, non magica arte recognitam, sed sui nouitate mirabilem: idcirco autem Magi apud Israel præcipue natum regem requirunt, quia Balaam ille hariolus, & sacerdos quondam gentium, stellam ex Iacob oriundam, & hominem ex Israel prophetauerat esse venturum. Nemo ergo nunc miretur natiui-

natiuitatem dominicam agnouisse Chaldæos, quam vtiq; si reuelante Deo gentilis prænunciare potuit, potuit gentilis agnoscere. SANCTVS LEO sermone 3. de Epiphania. Ad creandam ergo promissam posteritatem heredes in syderibus designati, ortu noui syderis excitātur, vt in quo cœli adhibitum fuetat testimonium, cœli famularetur obsequium, commouet Magos remotioris orientis habitatores, stellis ceteris stella fulgentior, & de mirandi luminis claritate viri ad hæc spectanda non inscii, magnitudinem significationis intelligunt: agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret. Et sermone 4. Quamuis autem, & diuinæ dignationis esset hoc munus, vt cognoscibilis gentibus fieret natiuitas Saluatoris, ad intelligendum tamen miraculum signi potuerunt Magi & de antiquis Balaam prænunciationibus commoueri, scientes olim esse prædictum, & celebri memoria diffamatum, orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel, & dominabitur gentium. BEDA in 2. Mathæi, Successores Balaam esse creduntur, & propter prophetiam eius incitati, visa noua stella natum regem quærebant. REMIGIVS in 2. Math. Alii dicunt illos fuisse nepotes Balaam, quod magis est credendum: Balaam enim inter cetera, quæ prophetauit, dixit, orietur stella ex Iacob: illi vero habentes hanc prophetiam, mox vt viderunt stellam nouam, intellexerunt regem natum, & venerunt.

Leo. *Beda.* *Remigius.*

8 TRES. MAXIMVS Taurinēsis Episcopus homilia 3. de Epiphania. Et bene vno itinere tres simul adoraturi veniunt Magi, qui in vno Christo Iesu, qui omniū credentium via est, inseparata ab eis erat Trinitas adorāda. S. LEO sermone primo de Epiphania. Tribus igitur Magis in regione orientis stella nouæ claritatis apparuit; sequuntur tres viri superni luminis ductum. Et sermon. 3. adorent in tribus Magis vniuersi populi vniuersitatis auctorem. Quod vtique exinde fieri nouimus, ex quo Magos de longinquitate suæ regionis excitatos ad

Magi tres *Maximus.* *Leo.*

ad cognoscendum, & adorandum regem cœli, & terræ stella perduxit. Et sermone 4. Tres itaq; viri fulgore insoliti syderis diuinitus incitati, præuium micantis luminis cursum sequuntur. Et sermone 5. hic ille dies est, quo ad cognoscendum, adorādumque Dei filium tres Magos præuia stella perduxit: radiat nāque è cœlo stella per gratiam, & tres Magi coruscatione euangelici fulgoris acciti, in omnibus quotidie nationibus ad adorandnm potentiam summi Regis accurrūt: impleatur in vobis quod in trium Magorum imagine præcesit. Et sermone 6. illa hodie cordibus nostris concipienda sunt gaudia, quæ in trium Magorum fuere pectoribus. Et sermone 7. Nec immerito cum tres Magos ad adorandum Iesum noui syderis claritas deduxisset, non eum imperantem dæmonibus, sed puerum silentem viderunt. Et sermone octauo cum in tribus viris vocatio gentium præcesserit. HILARIVS Episcopus Arelat. homil. prima de Epiphania. In eo quod tria offerunt Trinitas intelligitur; in eo vero quod tres vni, & singuli singula offerunt, in Trinitate vnitas declaratur. BEDA in 2. Math. mystice autem tres Magi tres mundi partes significant, Asiam, Africam, Europam; siue humanum genus, quod à tribus filiis Noe seminarium sumpsit. HAYMO in 2. Math. Illi tres Magi tres reges fuerunt, iuxta quod prædictum est à propheta, reges Arabum & Sabba dona adducent. *AVCTOR.* Ne vero tibi desimus & in his quæ vulgo feruntur, accipe trium horum nomina Magorum, ex Bedæ collectanea, seu floribus decerpta. Magi, inquit, sunt qui munera Domino dederunt, primus dicitur fuisse Melchior senex, & canus, barba prolixa, & capillis, tunica hyacinthina, sagoque mileno, & calciamentis hyacinthino & albo mixto opere promitrario variæ compositionis indutus; aurum obtulit Regi Domino. Secundus nomine Gaspar iuuenis, imberbis, rubicundus, milenica tunica, sago rubo, calceamentis, hyacinthinis vestibus, thure quasi Deo oblatione digna Deum honorabat. Tertius fuscus integre barbatus, Balthasar nomine,

Hilar. Arelat.

Beda.

Haymo.

Auctor.

Magorum nomina.

Beda.

habens tunicam rubeam, albo vario, calciamentis mileniciis amictus; per myrrham filium hominis moriturũ professus est. Omnia autem vestimenta eorum syriaca sunt.

Zachar. Zacharias Chrysopolitanus libro primo in vnum ex quatuor capite octauo, nescio qua ex historia deducens, aliter horum regum nomina tradit nobis. *Nomina alia Magorũ* Nomina trium Magorum, inquit, Hebraice Apellius, Amerus, Damascus; Apellius interpretatur fidelis, Amerus humilis, Damascus misericors. Græca lingua vocati sunt Magalath, Galgalath, Saracin; Magalath interpretatur nuncius, Galgalath deuotus, Saracin gratia. Hęc ille, inuerso, vt videtur ordine, vocabula Græca pro Hebræis, Hebræaque pro Græcis posuit; vt etiam Comestor in historia Euangelica cap. 8. sed eorum interpretationes difficile assequeris. Verum in re inexplorata satis sit aliorum dicta retulisse, quorum auctoritate firmetur.

Puer in spelunca inuenitur à Magis. 9 SPELVNCAM. IVSTINVS *Iustinus.* dialogo cum Tryphone. In speluncam quamdam castello propinquam diuertit, ibi Maria Christũm recens natum in præsepe deposuit, ibi & à Magis inuentus est ex Arabia venientibus. BASILIVS *Basilius.* de humana Christi generatione. Astra è cœlo mouentur, Magi è gentibus properant, terra in spelunca lucem recipit, nihil sine notitia, nihil sine officio fuit. GREGORIVS *Nissen.* Nyssenus Episcopus in oratione de natiuitate Christi. Peregrini, & à testamentorum promissione, benedictioneque patrum alieni sunt Magi, qui cognitione populum Israelitam anteuertunt, & cælestem agnoscentes lucem, & in spelunca regem nõ ignorãtes. CHRYSOSTOMVS *Chrysost.* hom. 6. in Math. Quemadmodum igitur stella tunc exiguum locum tugurii scilicet, atque præsepis, ostendit, nisi sublime illud relinquens ad inferiora venisset, superque ipsum fere caput pueri constitisset. Et homil, 7. Post illum siquidem inusitatum, admirandumque partum ab extremis vsq; finibus mundi veniunt ad visendum illum tugurii, ac præsepii locum. AVCTOR IMPERFECTI *Auctor Imperfecti in Mathæum.* homil. 2. in Mathæũ. Nũquid viderunt palatium marmoribus splendidum?

didum? numquid matrem eius diademate coronatã? aut in lecto aureo recumbentẽ? nũquid puerum auro, & purpura inuolutũ? nũquid aulam regiã diuersis populis personantẽ? sed quid? Pandochiũ tenebrosum, & sordidum, & magis animalibus quam hominibus aptum, in quo nemo contentus erat sedere, nisi itineris necessitate coactus: matrem eius vix tunicam vnam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat vxor carpentarii, & hoc in peregre constituta. Puerũ pannis sordidissimis inuolutũ, & in sordidiore præsepio positum, quia locus ille sic erat angustus vt nec ponendi infantem spacium inuenirent. HIERONYMVS epistola 27. in Epitaphio Marcellæ cap. 7. Ecce in hoc paruo terræ foramine cœlorum cõditor natus est; hîc inuolutus pannis; hîc visus à pastoribus; hîc demonstratus ab stella; hîc adoratus à Magis. Eadem refert Epistola 18. ad Marcellam. AVGVSTINVS sermone 32. de tempore. Cælestibus habitatoribus secundum verbum incommutabili veritate fulgebat, & propter angustum diuersorium in præsepe iacebat, ab ipso in cœlo demonstrabatur stella, & ipsum adorandum demõstrabat in terra. Et serm. 35. iacebat in præsepio puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate, sed magnum aliquid latebat in paruo, quod illi homines primitiæ gentium non terra portante, sed cœlo narrante didicerant. ISIDORVS Pelusiota libro primo Epistola 378. Stella tum antrum illud, tum dominiferum, ac venerandum præsepe, quod in eo situ erat, tamquam digito demonstrabat. PETRVS Chrysologus sermone 156. Vbi est qui natus est Rex Iudæorũ? hoc est dicere, cur Rex Iudæorum in præsepe iacet? & non decumbit in templo? cur non fulget in purpura, sed squallet in pannis? cur latet in specu, & manifestus in sanctuario non habetur? & sermone 159. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; agnouit bos Iudæus iugo legis excusso, & asinus paganus stultitiæ feritate deposita, vterq; agnouit, quia vterq; ad

Hierony. *Augustin.* *Pelusiota.* *Chrysolog.*

Maxim. vnum præsepe Domini epulaturus accessit. MAXIMVS Taurinensis Episcopus homil. 1. de Epiphania. Natus de femina est, sed natus ex virgine iacebat in præsepi, sed in sydere rutilabat, vt hominem illum, Deumq; esse & terrena mater, & signum cœleste monstraret.
Damasc. DAMASCENVS in Theogonia. Ostendit stella quod ante solem verbum profectum ad sedandum peccatum, Magis palam, pauperem in speluncam misericordé: te fasciis inuolutum, quod lætati viderunt, idem & mortale & Dominũ.
Euthym. EVTHYMIVS in secundũ Math. & ingressi domum. Domum hic tugurium vocat, quod Lucas diuersorium dixit.
Auctor. *Epiphan.* *Theophyl.* *Nicephor.* *A magis inuentum in domo.* *AVCTOR.* D. Ephiphanius hæresi 51. & Theophylactus in 2. Math. & Nicephorus libro primo historiæ Eccles. cap. 13. existimant puerum Iesum non inuentum à Magis in spelunca, sed in domo; & quia ita loquitur euangelium, ingressi domum, & quia putant altero à natiuitate anno Magos venisse, sed de hoc statim: nomine autem domus intelligi tugurium quoduis, & locum ad manendum, in scriptura non est insolitum.

Decimo tertio à natiuitate Magi accesserũt. *Ammon.* 10 DECIMO TERTIO. AMMONIVS Alexandrinus in harmonia euangelica. Post circũcisum octauo die infantem, Iesumq; vocatum, ipsi Magi tertio decimo Ierosolymam, noua quadã stella duce venientes, Regem Iudæorũ prædicant natum, ac communicato cum Herode principe, & scribis consilio, in Bethlehem inuentum adorant, ac venerantur muneribus.
Augustin. AVGVSTINVS sermone 64. de diuersis. Cuius natiuitatem ante dies paucissimos celebrauimus, eiusdem manifestationem hodie celebramus. Dominus ergo noster Iesus Christus ante dies tredecim natus, à Magis hodie traditur adoratus, ideo fortasse post natalem Domini duodecim diebus additis, Magi primitiæ gentium ad Christum videndum, adorandũq; venerũt. Celebremus ergo deuotissime etiam istum diem, & Dominum Iesum, quem primitiæ illæ nostræ adorauerunt, iacentem in diuersorio, nos habitantem adoremus in cœlo. Et serm. 66. hodierno

die Magis adorantibus tamquam primitiis gẽtium commendatur manifestatus, qui ante paucos dies traditur etiã natus. PETRVS Chrysologus sermone 159. Ante hos dies, id est, diem octauum calendarum huius, quo crescere dies cœpit, quia dies verus illuxit in carne, natũ Dominum Christum Iesum in euangelio scriptum facile recolunt, qui legerunt, vel qui aurem legentibus præbuerunt: Israelitici pastores super gregem suum vigilantes angelis nunciantibus cognouerunt: hodie in eadem carne manifestatum gentiles Magi signis indicantibus inuenerunt. STRABVS in secundum Math. Venerunt Magi non post annum, quia tunc non inueniretur in præsepio, sed in AEgypto, sed decimo tertio die. HAYMO Episcopus in secundum Math. ex aduentu Magorum, qui venerunt tertio decimo die natiuitatis filii Dei ad eum. AVCTOR. Hoc ipsum probant quæ in præcedenti numero adduximus, si enim in spelunca adoratus est, ergo non post annum venerunt Magi. Sed Epiphanius hæres. 30. & 51. & Eusebius in chronico, post duos annos hoc ipso die venisse existimant, propter ea verba Math. 2. quod Herodes occidi fecerit infantes à bimaru, & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Sed quomodo inuentus est Iesus in Bethlehem à Magis, si post 40. dies ascendit virgo Ierosolymam, & inde Nazaretham vt ibi habitaret, vel potius in AEgyptum, vt mox dicemus? Herodes autem furore percitus iussit omnes pueros interfici, qui cõprehensi tenerentur, intra duos annos pro crudeli sua tyrannide vsq; ad tempus infimum, quo cognouit stellam Magis apparuisse, ne vnus infans effugeret necem, de qua re postea.

Chrysolog. Strabus. Haymo. Auctor. Epiphan. Eusеb. Magos post duos annos venisse. Refellitur eorum sententia.

11 IN MARIAE GREMIO. EVSEBIVS Emissenus in 2. Math. supra vbi erat puer: vbi enim erat puer nisi in sinu matris? AMBROSIVS sermone primo de Epiphania. Mater partui molli blanditur gremio, pater filio pio testimonio famulatur; mater inquam eum adorandum Magis ingerit, pater colendum gentibus manifestat. CHRYSOSTOMVS homil. 8. in

Iesus in sinu matris inuentus à Magis. Euse. Emis. Ambros. Chrysost.

in Mathæum. Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, quemadmodum Lucas ait, quod in præsepio positus esset, quia scilicet, cum fuisset enixa, ibi eum continuo reclinauit, postea vero eum sustulit, & in suo gremio collocauit. HILARIVS Arelatensis Episcopus homil. 1. de Epiphania. Ducatum nobis præbeat, velut stella, lux fidei, hæc illum nobis ostendat, non iam in præsepio vagientem, sed in summa cœli arce dominantem: nec in matris gremio, sed in solio patris adorandum. EVTHYMIVS in secundum Mathæi. Peperit virgo Christum, & quia alius locus non erat in diuersorio, inuolutum fasciis infantem reclinauit in præsepe, iuxta Lucam. Deinde sicut ait Chrysostomus ipsum tulit, & quando ingressi sunt Magi, ipsum super genua habebat.

Hilar. Arelat. *Euthym.* *Maria infantē super genua adorādū præbuit.*

12 MVNERA. ISAIAS 8. cap. Antequam sciat puer vacare patrem suum, & matrem suam, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum. IVSTINVS Martyr dialogo cum Tryphone. Nam Isaias canens, occupauit copias Damasci, & spolia Samariæ, prænunciauit fore, vt mali dæmonis Damascum incolentis copiæ vincerentur à Christo, quam primum nasceretur: Magi enim, quos dæmon sibi vindicarat, ad omnia maleficia, postquam venerunt, vt adorarent Christū, videntur ab illo defecisse, redacti in huius potestatem, scriptura mystice significante, Damascum esse illius domicilium. Quod autem Damascus sit terræ Arabiæ, quāuis nunc contributa Syrophæniciæ, ne vos quidem negare potestis. TERTVLLIANVS lib. 3. contra Marcionem cap. 13. vt supra numero 2. EPIPHANIVS in compendio doctrinæ ad finem libri tertii ex traditionibus Hebræorum, iuxta quas munera Abraham largitus est filiis concubinarum, quæ in fine temporum ipsi Christo offerent, nam ab illis originem ducunt Magi.

Munera Magorum. *Isaias.* *Iustinus.* *Tertulli.* *Epiphan.*

13 PER ALIAM. *AVCTOR.* Ex cap. 7. nume. 3. constat Bethlehemum situm fuisse sex milliaribus ad austrum Ierusalem: cum ergo Magi venissent ex oriente in occidentem, ad læuam relicto Bethlehemo, viam Ierosolymi-

Auctor. *Magorum via.*

lymitanam arripuerunt. Fertur autem in eo diuerticulo, quo via ducit Bethlehemum, absconditam fuisse stellam, atque ibi postea repertam. Igitur cum iuissent Bethlehemum Magi adorato infante rectam Bethlehemo cepere viam versus regionem suam. Quod si Ierosolymam rediissent non id fieret, quod illac via duceret, sed vt iussis regis parerent. Et hoc monuit angelus, vt inde caperent iter, nec regrederentur Ierosolymam.

DE VIRGINIS PVRIFICAtione, & Pueri Iesu oblatione.

Cap. IX.

1 QVadragesimo à partu die, ante quē ab ingressu templi arcebatur puerpera, ascendit Maria cum sponso Ioseph 2 è Bethlehē in Ierusalem, vt legem Purificationis implerent, oblaturi par turturum, aut duos pullos columbarum: tum etiā & 3 alteram, qua præcipiebatur, vt omnis mas in lucem primus editus, vt Deo sanctus, ei exhiberetur. Igitur cum puerum Iesum inducerent in templum, vt facerent secūdum consuetudinem legis pro eo, adfuit illico Simeon diuino adductus spiritu, erat is 4 sacerdos iustus plane, ac timoratus, qui ex assidua prophetarū 5 lectione, ac meditatione, tēpus iam adesse animaduerterat, quo Christus venturus prædictus erat, qui consolaturus erat Israel, atque ita summis à Deo precibus contenderat: ne se prius mori pateretur, quam videret Christum Domini: cuius precibus, ac votis annuens Deus, id se vt petierat completurum, pollicitus suo oraculo fuerat) hic ergo eo ipso afflatus Spiritu, ac

spe

ſpe certa, quam conceperat adductus, vt puerum, ac matrem vidit, & agnouit, Deo mirabiliter indicante, acceſsit propere, & contemplatus eum cum ſumma voluptate è ſinu virginis ſuſcepit, & ſuis ipſe brachiis complexus, atque tam eximio beneficio exhilaratus, ſummas Deo gratias pro eo agens, dixit. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Mirabantur autem mater pueri, & Ioſeph, ſuper his, quæ dicebantur de illo. Ad quos Simeon conuerſus, benedixit eis; ad Mariam vero matrem eius, ſic ait; Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur; quin & tuam ipſius animam ea propter, ó doloris gladius pertranſibit, quò reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Eadem hora, aut Spiritu ſancto afflata, aut Simeonis verbis perceptis, ſuperuenit Anna prophetiſſa, filia Phanuel de tribu Aſſer, quæ in multam ætatem proceſſerat. Nam cum ſeptem tantum annis vixiſſet cum viro ſuo à ſua virginitate, reliquum

tempus

tempus vitæ; quod octuaginta fermè annorum erat, vixerat in viduitate, non discedens de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, & die. Hæc ergo vicissim etiam collaudabat Dominum, & magnificè loquebatur de illo omnibus Ierosolymitis, qui expectabant redemptionem Israel. His ita per actis, quinque, iuxta legem, oblatis siclis, suum Deipara Virgo redemit Infantē. 7 Ac confestim, vt perfecerunt omnia secundum legem Domini; quoniam his latius paulatim serpentibus, si ad aures Herodis peruenissent, futurum erat, vt tyrannus ille quæreret puerum ad perdendum eum, quò tanto facinori occurreret Deus, misit Angelum suum 8 Gabrielem, qui puerum instanti periculo eruendum curaret: atque ita mox ille apparuit in somnis Ioseph, dicens ei: Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi, futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum; qui consurgens accepit puerum, cum Matre eius, & egressus est Ierosolyma.

Testimonia.

1 QVADRAGESIMO. MOSES Leuit. 12. Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septẽ diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circumcidetur infantulus, ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ: omne sanctũ non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleãtur dies purificationis suæ: cumq; expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ; siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti, qui offeret illa corã Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui. Ista est lex parturientis masculum. Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnũ, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustũ, & alterum pro peccato, orabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur. LVCAS cap. 2. Et postquã impleti sunt dies purgationis eius, secundũ legẽ Moysi, tulerunt illũ in Ierusalem, vt sisterent eũ Domino, vt darent hostiã secundum quod dictum est in lege Domini, par turturũ, aut duos pullos columbarũ. *AVCTOR.* Hæc lex de puerpera solũ tradita est, quã implebat 40. die à partu, & ita fecit Virgo, quę cõcepta prole masculũ peperit, & attulit duos turtures, aut duos pullos colũbę, vnũ in holocaustũ, in gratiarũ actionẽ pro filio suscepto; alteriũ pro peccato, idest, pro legali immũditia, quę, licet nulla culpa cõtraheretur, prohibebat tamẽ ex lege ingressũ tẽpli, illa autẽ ablata licebat iam tãgere sanctũ, & templum ingredi, ita oblatio hæc pro puerpera fiebat, nõ pro filio: vnde quod dicitur, cũ expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio, sensus est: cum expleti fuerint dies purificationis, quos pro filio partu edito expectare debet, vt purificetur, tunc deferet agnum non pro prole, sed pro se ipsa.

Maria 40. à partu die ascendit in templum. *Moses.* *Lucas.* *Auctor.* *Legis de purificatione expositio.*

2 E BETHLEHEM. CYRILLVS Episcopus Ieroso-

E Bethlehẽ ascendit.

Cyril. Iero. Ierosolymitanus, oratione de Occursu Domini. Hodiè Deus ex Theman, hoc est, ex austro in Sion venit. Idem è Bethlehem in Ierosolymorum ciuitatem ingreditur. De hoc puero dudum ante propheta Habacuch prænunciarat, dicens: Deus ex Theman, hoc est, ex Austro veniet: Nam Bethlehem, ex qua IESVS in Sion ingressus est, ad Australem Ierosolymorum partem posita est.

Moses. *Lex primogenitarum.* 3 ALTERAM. MOSES Exodi 13. 2. Locutus est Dominus ad Moysem dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam de filiis Israel, tam de hominibus, quam de iumentis, mea sunt enim omnia. Et ait Moyses ad populum, cum introduxerit te Dominus in terram Chananæi, separabis omne quod aperit vuluã Domino; quidquid habuerit masculini sexus consecrabis Domino: omne primogenitum hominis de filiis tuis precio redimes. Exodi 34. 19. Omne quod aperit vuluam generis masculini meum erit: primogenitum filiorum tuorũ redimes, nec apparebis in conspectu meo vacuus. Num. 3. 45. Tolle Leuitas pro primogenitis filiorũ Israel, eruntq; Leuitæ mei, ego sum Dominus. In precio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum, de primogenitis filiorum Israel, accipies quinque siclos per singula capita, ad mensuram sanctuarij. Num. 8. 16. Pro primogenitis, quæ aperiunt omnem vuluam in Israel, accipe eos, mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus, quam ex iumentis: ex die, quo percussi omne primogenitum in terra AEgypti sanctificaui eos mihi, & tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel. Num. 18. 16. Quod primum erumpet è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, siue ex hominibus, siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit, ita dumtaxat vt pro hominis primogenito precium accipias: & omne animal quod immundum est, redimi facias, cuius redẽptio erit post vnum mensem siclis argenti quinque, pondere sanctuarij: siclus viginti obolos habet. *Lucas.* LVCAS cap. 2. Tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum

culinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur. AVCTOR. Ex his locis non constat vllum fuisse tempus definitum, quo deferretur infans tradendus domino, quia videtur id licuisse post octauum diem, propter ea quæ dicuntur Exodi 22. 29. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, de bobus quoque, & ouibus similiter facies, septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi. Verum cum non esset redimendus, nisi post mensem ætatis; vt Num. 18. dicitur: Et quia in templo nō poterat nutriri, nisi à matre, consuetudo fuit, vt indicat Lucas, cum dicit, secundum consuetudinem, vt vna cum matre deferretur in templum, quo & ipsa purificaretur, & infans domino traderetur, ac redimeretur.

Auctor.

Quo tempore infans esset deferendus in templum.

Ex consuetudine 40. die deferebatur.

4 SACERDOS. CYRILLVS Ierosolymitanus, oratione de occursu Domini. Audi Israel, audite omnes gentes, quem ego sacerdos vester Simeon vlnis gesto, magnaque voce in hoc tēplo prædico, & testimonio meo palam cōmendo, hic Deus, & Dominus est. EPIPHANIVS lib. de vita, & interitu prophetarum. Simeon sacerdos è tribu Aaron emicuit. Hic quippe est qui oraculum accepit à Spiritu sancto, neutiquā visurum esse mortem, quousque Christum Dominum incarnatum cerneret. AVCTOR. Sed Timotheus Presbyter Ierosolymitanus, in oratione de Propheta Simeone, nō existimat sacerdotem, sed ex secta fuisse Pharisæorum: Theophylactus, & Euthymius non fuisse sacerdotem affirmant, nam si ita esset, explicuisset id Beatus Lucas.

Simeon sacerdos.

Cyril. Ierosl.

Epiphanius

Auctor.

Timotheus.

Theophyl.

Euthymius

5 LECTIONE. EVTHYMIVS in cap. 2. Lucę. Expectabat hanc redemptionem ex libris propheticis Christum annunciantibus, & spiritus erat super eum, Spiritus sanctus prophetiæ: legens enim quodā tempore prophetias, quæ de Christo erant, cum inuenisset quod Deus incarnandus esset, ad supernaturale mysterium, tamquam homo anhelabat, ideo etiam oraculum, siue respōsum accepit. GEORGIVS Cedren. in compendio histo. Hic Simeon cum Isaiæ vaticinium legisset, Virginem grauidam fore, partuque filium Emanuelem nomine edituram,

Didicerat tempus aduentus Christi.

Euthymius

Georgius.

ram, fidem dicto prorsus derogauit, quod humana natura omnino Virginem parere non admitteret. Sic ei animato diuinitus patefactũ est, victurum eo vsq; dú vatis oraculum impleretur. Eum ergo in templo videns, puerulum 40. dierum in vlnas accepit fatusque. Nunc Domine seruum tuum dimitte in pace secundum verbum tuum: lætus ad eũ hinc emigrauit. NICEPHORVS lib. 1. histor. Ecclesiast. c. 12. Hunc Simonem fama est ex eis fuisse vnum, qui virtute, dignitate, vitæq; sanctitate excelluerunt: qui cum aliquando illi prophetæ Isaiæ oraculo legens incumberet, quod ait: Ecce Virgo vterum gestabit, & concipiet filium: & de diuini eius responsi fide ambigeret, Angelum ita fluctuanti ei astitisse ferunt, cũ oraculo eiusmodi. Non illum huius vitæ vinculis prius solutum iri, quam id, de quo credendo ad dubitasset pro foribus, primo quoque tẽpore appropinquãs, & oculis ipse suis conspectum, testimonio suo confirmaret. Quam ob causam ad tantum senium prouectus, cũ Christum Dominum oculis suis cõspexisset, eumdemq; in vlnis gestasset, carnis mole protinus solutus, atque liberatus est. *AVCTOR.* Galatinus lib. 1. de arcanis catholicæ veritatis. c. 2. affirmat ex multis discipulis Hillelis, & Samęi, per quos tradita est legis expositio ad posteros, vnum fuisse Simeonem istum, qui Christum suscepit in vlnis: & dicitnr Hillelis filius, in quo Iudaicæ Academiæ sceptrum penitus defecit: eumque Gamalielem cognomento sené, ad cuius pedes Paulus Apostolus legem didicit, habuisse auditorem. Et cap. 4. Simeon Hillelis filius, inquit, quẽ ob eius præcipuã sanctitatem, Talmudistæ iustum cognominant, in quo Academiæ magnæ synagogæ sceptrũ defecit, multa de Mesia dixit: & tandem cum in vltima senectute à Spiritu sancto responsum accepisset, non visurum se mortem, nisi oculis Mesiam Dei filium videret, Christum ipsum in vlnis suscipiens, quæ de eo à Spiritu sancto edoctus docuerat, ipso præsente confirmauit. Michael Carranza, lib. de virginitate Mariæ cap. 14. affert Egesippum lib. de supplemento Euangelicæ veritatis, qui dum expli-

cat

Nicephor.

Oraculo notuit Simeon visurum se IESVM.

Auctor.

Simeon Hillelis discipulus, & Gamalielis magister.

cat illud Lucæ secundo. Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, refert, hunc Simeonem esse Rabbi inter Iudæos eximium, qui dum semel exponeret in scholis illam Isaiæ prophetiam: Ecce Virgo concipiet, inuenit ibi scriptum Haalma, idest, virgo manens, virgo concipiet, & pariet filium. Deleuit H, vt esset sensus: Ecce virgo nubilis concipiet, cumque iterum præfatum verbum relegeret, inuenit sicut prius scriptum, haalma, præfixo articulo; iterum deleuit illud, imo & tertio: tunc in spiritu cognouit puerum de Virgine nasciturum: & Deum humiliter rogauit, ne se mori permitteret donec hunc puerum, mirabiliter de Virgine natum, mortalibus oculis, & videret, & adoraret; & responsum accepit à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Hieronymus, Isai. 8. Meminit duorum prædictorum Rabbinorum Hillelis, & Sammai, ex quibus fuere scribæ, & Pharisei, qui non multo ante quam Christus nascere-tur orti sunt in Iudæa: quibus Christus Dominus factus est in ruinam, & in scandalum: de quibus statim dicemus ex Iosepho.

Prophetiæ de Virgine expositio Simeonis.

Qua occasione responsum accepit Simeon.

Hieronym.

Hillel, & Sãmai principes Scribarum, & Pharisæorum.

6 DOLORIS. DIVVS ILLEFONSVS Archiepiscopus, sermone secundo, de Virginis Assumptione. Candidior inter Martyres, quia, & si illi martyrio coronati dealbarunt stolas suas, & cãdidas eas fecerunt in sanguine agni, nihilominus hæc beata, & venerabilis Virgo candidior digne prædicatur, eo quod, si corpora Martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, teste Domino, comprobatur: ait enim Simeon, vel Dominus ad eam, & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quod si gladius vsque ad animam peruenit, quando ad crucem stetit, fugientibus Apostolis, cum videret Dominum pendentem, etiam plusquam Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam mæroris est intus gladio vulnerata, parata enim stetit, si non deesset, manus percusso-

Gladius doloris Virginis.

Illefonsus.

Maria plusquam Martyr.

Damascen. percussoris. DAMASCENVS lib. 4. fidei orthod. capit. 15. Ipsa beata, & supernaturam donorum digna effecta dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit; ex materna compassione viscerum lacerũ reparturiens; & quem Deum per natiuitatem agnouit, illum vt maleficum interfectum videns, tamquam gladio cogitationibus discerpitur: & hoc est, tuam ipsius animã pertransibit gladius, quemadmodum ille prædixerat, Dei spectator, Simeon, Dominum gestans in vlnis. BEDA

Beda. in 2. Lucæ. Tuam ipsius animam pertransibit gladius, id est, dolor passionis Dominicæ: quia non potuit videre eũ crucifigi sine affectu materni doloris; & si speraret eumdem resurrecturum, & mortem deuicturũ. SYMEON

Symeon Metaphrast. Metaphrastes, oratione de ortu, & educatione Deiparæ. Conuenientius est quod dolorem ipsum gladij nomine significauerit; qui quidem tempore passionis Mariã inuasit. RVPERTVS in Euangelium Ioan. cap. 19. Sta-

Rupertus. bat mater iuxta filij crucem, sine dubio dolens, & dolores tamquam parturientis habens: cruce namque eius nimiũ ipsa cruciabatur, sicut ei prædixerat Simeon. EVTHYMIVS in cap. 2. Lucæ. Gladium nominauit dolorẽ acu-

Euthymius tissimum, maximeque diuidentem, qui penetrauit cor matris Dei, dum filius eius cruci affixus est; de hoc enim cruciatu nunc vaticinatus est. BERNARDVS sermo-

Bernardus. ne de Beata Virgine super signum magnum. Vere tuam, ò beata mater animam gladius pertransiuit: alioquin nõ nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret. Et quidem posteaquã emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius, nec mortuo parcens, cui nocere non posset, aperuit latus, sed tuam vtique animam pertransiuit. *AVCTOR.* Non ergo, vt re-

Auctor. Ambrosius Beda. Simeon non loquitur de gladio corporeo. cte notant Ambros. & Beda in 2. Lucæ, de corporeo gladio loquitur Simeon, siquidem virgo violentam non pertulit mortem: multo minus de gladio scandali, aut dubitationis in morte filij, vt voluit Origenes, homil. 17. in Lucam, Chrysostomus super Psalm. 13. Amphilochius in homilia de occursu Domini. Theophyl. in secundum Lucę.

Augustinus quæstionibus veteris, & noui Testamenti, si eius sunt: numquam enim talis in Virginem cecidit dubitatio, qualis in Apostolos, vt latius suo loco inferius dicemus. *Augustin.*

7 AC CONFESTIM. MATHEVS cap. 2. Qui cũ recessisset: ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. EVSEBIVS Emissenus in 2. cap. Math. Qui cum recessissent, aliquanto post tempore euoluto, & omnibus, quæ secundũ legem debebantur expletis: ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicẽs; surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in AEgyptum. Adhuc omnia quieta erant, adhuc Herodes Magos expectans, nondum sui cordis malitiam reuelabat: vnde & secure vadunt in Ierusalem, vt legis mandata perficiant, inde vero in AEgyptum fugere iubentur. AVGVSTINVS lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 5. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptioné Israel. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini: ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in AEgyptum. Et cap. 11. Posteaquam nihil Herodi Magi renunciauerunt; dico autem credere potuisse illos fallacis stellæ visione deceptos, posteaquam non inuenerũt, quem natum putauerant erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo, ac persequendo puero quieuisse. Cũ ergo post purgationem matris eius in Ierusalem cum illo venissent, & ea gesta essent in templo, quæ à Luca narrantur, quia verba Simeonis, & Annæ de illo prophetantium cum cepissent ab eis qui audierant prædicari, ad pristinã intentionem reuocatura erant animum Regis, admonitus per somnium Ioseph cum Infante, & matre eius, fugit in AEgyptum. Et cap. 5. Hinc proinde cognoscendum est, sic vnumquemque Euangelistarũ contexere narrationẽ suam, vt tamquam nihil prætermittentis series digesta videatur. Tacitis enim quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere illis, quæ dicebat adiungit, vt ipsa continuo sequi

Angelus statim apparuit. Mathæus. Euse. Emissenus. Augustin.

videantur; sed cum alter ea dicit, quę alter tacuit, diligenter ordo cōsideratus indicat locum, vbi ea potuerit, à quo prætermissa sunt, transilire, vt ea quæ dicere intēderat, ita superioribus copularet, tamquam ipsa nullis interpositis sequerentur, ac per hoc intelligitur Mathæus vbi ait somno admonitos Magos ne redirent ad Herodem, per aliam viam regressos in regionem suam: illic prætermisisse quæ Lucas narrauit gesta circa Dominum in templo, & dicta à Simone, & Anna: vbi rursus Lucas prætermittens profectionem in AEgyptum, quam narrat Mathæus, tamquam continuam cōtexit regresionem ad ciuitatem Nazareth.

Geor. Ced. GEORGIVS Cedrenus, in compendio historiæ. Lætus Simeon ad eum hinc emigrauit. Deinde Iosephus diuinitus est in AEgyptum fugere iussus. *Auctor.* *AVCTOR.* Tatianus Alex. in harmonia Euang. cap. 7. & 8. Ammonius Alex. in harmonia Euangelica. Chrysostom. homil. 9. in Mathæum, Epiphanius hæres. 20. & 51. & Theophylactus in 2. Mathæi, Anselmus, & Euthymius ibidem, & Nicephorus lib. 1. historiæ cap. 3. existimant Iosephum cū Maria, & Infante Nazaretha iussu Angeli profectū in AEgyptum, non Ierosolymis; quamuis diuersa ratione ducantur: nam Tatianus, Epiphanius, & Nicephorus, id ita factū putant, quod purificationem collocent ante aduentum Magorum, quos dicunt venisse post duos annos, ita vt statim perfectis omnibus secundum legem, redierint Iosephus, & Maria, Nazareth, & inde ascendentes Ierosolymā, secundum consuetudinem, ad diem festum, accesserint Betlehemum, vbi inuenti sunt à Magis. Sed hunc dicēdi modum iam supra reiecimus cap. 8. nu. 10. Ammonius autē, Chrysostomus, Theophylact. Anselm. & Euthymius, quamuis putent Magos venisse ante quadragesimū diē purificationis, nihilominus existimant statim rediisse Nazareth, ibiq; monitum Ioseph ab Angelo, vt fugeret in AEgyptū, quia Lucas 2. cap. apertis verbis dicit, & vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Sed dicimus hanc reuersionem esse illam, quam refert Math. cap. 2. illis verbis, & admoni

Nazaretha profectionē sumptam in Aegyptum

Tatianus. Epiphan. Nicephor.

Purificatio non ante aduentum Magorum.

Ammoni. Chrysost. Theophyl. Anselmus. Euthymius

tus

tus in somnis, secessit in partes Galileæ, & veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: & patet in primis, quia Mathæus loquitur de reuersione quando permansit iam Christus in Nazareth, tamquam ciuis per multos annos, de qua eadē loquitur Lucas, vt patet ex sequentibus his verbis. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo, & ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem. Et secundo, quia quando rediuit Ioseph ex AEgypto Mathę. 2. in Iudæam redibat, vt in ea, nempe in Bethlehē habitaret, quia ex Iudæa fugerat; venerat enim è Nazareth eo animo, vt maneret in Iudæa, ergo Angelus in Iudæa illi apparuit, & iussit vt iret in AEgyptum. *Concordantur Lucas, & Mathæ.*

8 GABRIELEM. ORIGENES homil. 3. in diuersos. Ille ipse qui, & ad Mariam destinatus fuerat Gabriel, ille annunciare venit: qui ad Zachariam in templo locutus est, ipse & nunc per somnium ostendit se Ioseph sanctus Angelus Gabriel: ipsi enim iniunctum fuerat, & commendatum generationis Dominicæ sacramentum. Propterea, & digne Gabriel appellatus est, quod interpretatur fortitudo Dei, illius namque incarnationis sacramentum commend tum habebat, qui veniebat ad debellandas potestates aereas: iste etiam Angelus ad illos bene vigilantes pastores venit, & Domini generationem eisdem annunciauit: iste ergo beatus, & sanctus Angelus, & nūc Ioseph apparuit per somnium dicens; surge, & accipe puerum. *Gabriel mouet Iosephum. Origenes.*

HAYMO Episcopus in cap. 2. Mathæi. Ecce Angelus Domini, Gabriel videlicet, minister Dominicæ Incarnationis, apparuit Ioseph in somnis. *Haymo.* ANSELMVS in 2. Math. Cum rumor de puero iam inciperet dilatari, mittitur Angelus, scilicet Gabriel, qui in AEgyptum faciat puerum transportari. *Anselmus.*

FVGA VIRGINIS IN AEgyptum, eiusque ibidem commoratio. Cap. X.

IOsephus Angeli monitis incunctãter obediẽs, nocte ipsa consurgens, accepit puerum, & matrẽ eius, & fugit in AEgyptum: 1 compendiariã, communemq; viã seligens, vt creditur, quo celerius rem exequeretur: ea erat recta in Gazã ab Ierosolymis, quadraginta duobus milliaribus distantẽ, qua itur in AEgyptum 2 iuxta Bethlehemum 3 per Hebrõ. Vbi cum fugã suam, ac fugæ causam, vt par est credere, Zacharię, & Elisabethę declarassent: vtq; puerũ Ioannẽ periculo eriperent admonuissent, necessariis ad iter faciendũ desumptis, Gazam peruenerunt. Inde iter 4 duodecim, aut quatuordecim dierũ (septuaginta leucarũ subputatur) maxima ex parte per solitudinẽ: nõ sine magno labore, atq; solicitudine versus Babylonẽ (Cairum vulgo dictam) confecerũt. Hinc ad quatuor leucas, Orientẽ versus, in Thebaidẽ peruenientes, dũ vrbẽ Hermopolim ingrederentur, res mira occidit, totius eius gentis traditione probata. Arbor erat procera quidẽ, ac

vetusta, quæ dæmonum fraude, quasi numinis domicilium religiosius quam par erat, colebatur, Perseis dicebatur. Hæc ergo in fugam verso dæmone, ad solum vsque; dominũ suum adoratura se sponte demisit: atque ita ad miraculi comprobationem inclinata permansit, multis morbis, dum ęgris applicaretur, afferens sanitatẽ. Quin & in eiusdẽ 6 tẽplo, Christo similiter vrbẽ ingrediente, simulacra cecidisse, vt & in aliis quibusdam locis, iuxta 7 Isaiæ prophetiã, à maioribus accepimus. Eiusq; rei celebre ab Ægyptiis sacerdotibus obseruabatur vaticiniũ, 8 ab Ieremia traditũ, tum cũ in AEgypto degeret, fore aliquando, vt simulacra eorũ concuterentur, ac corruerent, cũ ascenderet in AEgyptũ puer è Virgine natus, atq; in præsepio depositus. Vnde cõsuetudo fuit AEgyptiis, Virginẽ in lecto cũ infante positã adorare. Quod eo modo quo Ieremias prædixerat, euenit. Inde redeuntes, vt locũ tutũ eligerent ad degẽdum, in quodã vico, inter 9 Heliopolim, ac Babylonẽ, tribus leucis à Babylone remotũ, ab Heliopoli quatuor, cõsederunt. Maturea nunc locus dicitur, non solũ incolis etiã nun, sed exteris eã obrem venerationi nõ modicę habitus. Puteus ibi visitur, cuius aqua ad obse-

quia Domini vsam Deiparam fertur, qua dũ rigaretur balsami hortus, vegetus, ac frugifer perdurabat. Ea nunc à peregrinis bibitur non insalubriter. Hac ratione in AEgypto permanserunt Iosephus cum Maria, & Christo Infante, vsque ad obitum Herodis, 10 terram illam ad futuram Christi eiusdem philosophiam sanctificantes, ac parantes,

Testimonia.

via in Aegyptum. Exod. 13.

1 COMPENDIARIAM. MOSES Exod. 13. 17. Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Phylistiim, quę vicina est, reputãs ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in AEgyptum, sed circumduxit per viã deserti, quæ est iuxta mare rubrum. IOSEPHVS lib. 2. antiquitatum cap. 14. per Palestinam grauiter ferebat transire propter antiquam molestiam, volebatque quolibet modo latere pergens. Confinis enim est hæc AEgyptiorum prouinciæ, & propterea via quidem ducente ad Palestinam populũ non eduxit, per desertum vero multum agens iter, malaq; perpessus innumera ad Chananæam studuit peruenire. LVCAS in Actibus Apostolorũ cap. 8. 26. Angelus autẽ Domini locutus est ad Philippum dicens, surge, & vade contra meridianum ad viã, quę descendit ab Ierusalẽ in Gazam, hæc est deserta; & surgens abiit. Et ecce vir AEtyops Eunuchus potens Candacis Reginę AEtyopum, qui erat super omnes Gazas eius, venerat adorare in Ierusalem, & reuertebatur sedẽs super currum suũ; legensque Isaiam prophetam. Et versu 36. Dum irent per

Iosephus.

Lucas.

viam

viam venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus, ecce aqua, quid prohibet me baptizari? & descenderunt vterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum: cum autem ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus: ibat autem per viam suam gaudens. HIERONYMVS lib. de locis Hebraicis lit. B. Bethlehem ciuitas Dauid in sorte tribus Iude, in qua Dominus noster, atque Saluator natus est, in sexto milliario ab AElia contra meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Chebron. Bethsur in tribu Iuda, siue Beniamin, & est hodie Bethsoron, viculus eumtibus nobis ab AElia Chebron, in vicesimo lapide, iuxta quem fons, ad radices montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur sorbetur humo, & Apostolorum Acta referunt Eunuchum Candacis Reginæ in hoc esse baptizatum à Philippo. Et litera G. Gaza ciuitas AEuæorum, in qua habitauere Capadoces, pristinis cultoribus interfectis. Apud veteres autem erat terminus Chananæorum, iuxta AEgyptum: ceciditque in sortem tribus Iudæ, sed eam tenere non potuit, quia EnaKim, idest, gigantes, fortissimi Allophilorum restiterunt; & est vsque hodie insignis ciuitas Palestinæ. Et lib. quæstionũ in Genes. in c. 22. Notandũ ex prioribus, & ex pręsenti loco, quod Isaac non sit natus ad quercum Mambre, sed in Geraris, vbi & Bersabee vsq; hodie oppidũ est: & infra. Notandũ, quod de Geraris vsq; ad monté Moria, idest, sedem templi, iter dierum trium sit, & consequenter illuc die tertio peruenisse dicatur. Male igitur quidam, Abraham putant illo tempore ad quercum habitasse Mambre, cum inde vsque ad montem Moria, vix vnius diei iter plenum sit. Et lib. de locis Hebraicis, litera B. Bersabee in tribu Iuda, siue Simeonis, est vsque hodie vicus grandis in vicesimo à Chebron milliario, vergens ad Austrũ, in quo & Romanorum militum præsidium positũ est; à quo loco termini Iudeæ incipientes tendebantur, vsq; ad Dã, quæ iuxta Paneadem cernitur. BROCARDVS in lib. descriptionis terræ Sanctæ. C. ab Acone versus Austrum.

Hieronym. *Bethlehem. situs.* *Bethsoron.* *Fons, in quo Eunuchus fuit baptizatus.* *Gaza ciuit.* *Isaac in Geraris natus.* *Iter à Geraris ad montem Moria.* *Bersabee situs.* *Brocardus.*

ab Ascalone duabus leucis contra Austrum est Gaza in
Gaza est Gazara. litore quoque maris sita, quæ nunc communiter Gazara
appellatur, & transit per eam via in AEgyptum. A Gaza
quatuor numerantur leucæ vsque ad Bersabee, quæ nunc
Bersabe Giblim. Giblim dicitur, & est terminus Iudeæ, atque terræ pro-
missionis contra Austrum: in hac manserunt multo tem-
pore Abraham, & Isaac, vt patet in Genesi: distat ab He-
Auctor. bron sicut & Gaza paulo amplius vna dieta. *AVCTOR.*
Via recta in AEgyptũ. Ex præmissis testimoniis, constat viam rectam ab Ieroso-
lymis in AEgyptum, in primis esse per Palestinã, iuxta li-
tus maris mediterranei, quæ confinis est AEgypto: tum
etiam iuxta Bethlehẽ per Hebron in Gazam, quæ eadẽ fe-
re ratione distat ab Hebron, qua Bersabee, nempe 22. mil-
liaribus. Ergo Gaza sicut & Bersabee distat ab Ierusalem,
42. milliaribus, quæ conficiunt spacium decem leucarum
cum dimidia; quod vocat Hieronymus iter trium dierũ.
Per Hebron autem esse viam rectam in Gazã, patet ex iti-
nere confecto ab Eunucho, qui iturus in AEgyptũ, vt il-
lac iret in AEtyopiã, proficiscebatur per Bethsoron, duo-
bus milliaribus ante Hebron, vbi baptizatus est à Philip-
po, & inde peruenit in Gazam per viam, qua descenditur
ab Ierusalem in Gazam.

Hieronym. 2 IVXTA BETHLEHEM. HIERONY-
MVS libro de locis Hebraicis. Bethlehem ciuitas Da-
uid, in sorte tribus Iudæ, in sexto milliario ab Elia con-
tra meridianam plagam, iuxta viam, quæ ducit Chebron.
AVCTOR. Satis est verosimile Iosephum Bethlehe-
mum ingressum, vt necessaria ad tam longam viam edu-
ceret: quod & confirmat id quod traditione à maiori-
Traditio pia. bus acceptum non incolæ solum, sed & exteri, & Chri-
stiani Latini, & Græci, & impij Sarraceni, religiose ve-
nerantur, & multi, quibus videre licuit, mandauere li-
bris: dum in parandis necessariis Bethlehemi Iosephus
moraretur, Deiparam in spelunca latuisse, inter Me-
ridiem, & Austrum, ad iactum lapidum duorum à Beth-
lehemo semotam: dumque Deo Infanti mammillam
porrigeret, lactis guttis in durum speluncæ lapidem ef-
fusis,

ſuſis, ita emollitum, ac candidum effectum, vt candidiſſimæ, ac tenuiſsimæ terræ in puluerem tenuiſsimum conuerſæ, inſtar ſit; ex qua lota panes paruuli conficiuntur, quibus ad morborũ diuerſorum ſanitatem, pręſertim lactis feminarum contractionis, omnes vtantur, lac Dominę noſtræ propterea nominantur. Vidi ego panes, quos mihi oſtendit pater quidam ex noſtris, qui terram illã perluſtrauit, ac in eam ſpeluncam religionis gratia cum multis alijs ingreſſus eſt. *Lac Dominæ noſtræ cur dictum.*

3 PER HEBRON. *AVCTOR*. Diximus iam per vrbem Hebron rectam duci viam in Gazam. Quod ſi ea eſt vrbs montana, vt diximns cap. 6. num. 2. vbi morabatur Zacharias cum Eliſabeth, cui dubiũ eſſe poteſt, quintam ſanctis viris, & cognatis, & quibus ſacer fœtus fuerat declaratus, non ſuam fugam, eiuſq; cauſam explicaſſent; ex eiuſq; cognitione ſibi præcauiſſent, ſiquidem in cap. ſequenti dicemus, etiam Ioannem latuiſſe? Quis etiam dubitabit non affluẽter elargitos Zachariam, & Eliſabeth neceſſaria Ioſepho, & Deiparæ, tam pauperibus homines diuites, & tam charis, ac omni dignis veneratione, tam iuſtos, ac miſericordes; ne dubitantibus merito dicatur. Adhuc vos ſine intellectu eſtis? *Auctor.* *Neceſſaria ad viam accipiunt.*

4 DVODECIM DIERVM. HIERONYMVS in vita Hilarionis. At ille nihil aliud niſi ſolitudinem meditabatur, in tãtum, vt quadam die proficiſci ſtatuerit: & adducto aſello (nimis quippe exeſus ieiuniis vix ingredi poterat) iter arripere conatur, quod cum percrebuiſſet, & quaſi vaſtitas, & iuſtitium Paleſtinæ indiceretur, pluſquam decem millia hominum diuerſæ ætatis, & ſexus ad retinendum eum congregata ſunt. Decreuit ergo publica omnes voce conteſtans, non cibi ſe, non potus quicquam ſumere, niſi dimitteretur. Et poſt ſeptem dies inediæ tandem relaxatus, ac valedicens plurimis, cũ infinito agmine proſequentium venit Betilium: vbi perſuaſis turbis, vt reuerterentur, elegit 40. monachos, qui haberent viaticum, & poſſent ieiunantes ingredi, id eſt, poſt ſolis occaſum cibum ſumere. Quinto igitur die *Via 12. dierum.* *Hieronym.* *Hilarionis iter.*

venit Pelusium, visitatisque fratribus, qui in vicina eremo erant, & in loco, qui dicitur lychnos, morabantur, perrexit post triduum ad Castrum Theubatum, vt videret Dracontium Episcopum, & confessorem, qui ibi exulabat; quo incredibiliter consolato tāti viri pręsentia, post aliud triduum, multo Babylonem labore peruenit, vt videret Philonem Episcopum, & ipsum confessorem: Constantius enim rex Arianorum feruens hæresi, vtrumque in ea loca deportauerat. *AVCTOR.* Vides hic ex itinere Hilarionis ex Palestina in Babylonem asello confecto, breue illud esse duodecim dierum. Quod ipsum facile colligitur ex itinere à Tito confecto ex Alexandria ad Gazam, quod refert Iosephus lib. 5. de bello Iudaico cap. 14. Distabat, ait, Lipomanus in catena in decimum tertium Exodi, decem dierum itinere: & Abulēsis quæstione 60. in cap. 2. Math. à Gaza ad Babylonem, seu Cayrum iter 70. leucarum; ex eis 50. solitudinis constituit, hoc est spacium 280. milliarium: inde quatuor sunt in Thebaidem leucæ, vt ait Brocardus in descriptione AEgypti, ad calcem descriptionis terræ sanctæ. Vt vniuersum iter fuerit 74. leucarum.

Auctor. *Titi iter.* *Iosephus.* *Abulensis.* *Iter 74. leucarum confectum à Iosepho, & Maris.* *Brocard.*

5 ARBOR ERAT. SOZOMENVS libro 5. historiæ Ecclesiast. cap. 20. Memorāt præterea arborem esse, quæ Persis dicitur, Hermopoli, quod est oppidū Thebaidis: cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis, ægrotis admota morbos à compluribus depulerit. Nam traditum est Ioseph, cum propter Herodem, assumptis secum Christo, & Maria sancta Deipara, fugisset, venisseHermopolim, atq; simul vt portę appropinquauit, istam arborem, licet plane maximam, aduentu Christi turbatam esse, atq; ad solū vsq; se inflexisse, & Christū adorasse. Atq; hæc quidem de hac arbore, sicut à multis audiui, à me cōmemorata sunt. Quæ quidē, siquid ego iudico, vel significabat Christū iā in vrbe esse, vel (vt verisimile est) non modo arborē, quā incolæ, propter magnitudinem, & pulchritudinē, lege gētilitia venerabantur, dæmonē iam, qui ibi colebatur, ob Christū taliū rerū euersorē,

Arbor Perseis Christo se demittit. *Sozomen.* *Hermopolis ciuitas.*

qui

qui eo in loco comparebat, perhorrescēte, sua sponte cō- *Statua Ægypti cōcussæ aduētu Christi.*
motam esse: verumetiam omnes AEgyptiorũ statuas ad-
uentante tum Christo, iuxta prophetiam Isaię concussas.
Itaq; dæmone inde abacto, arbor, quo rei gestæ testimo-
nio esset, rem insit ibi, fidelesq; morbis liberauit. Atq;, vt
AEgyptii, & Palestini istarum rerum, sic alii singuli alia-
rum, quæ apud ipsos gestæ sunt, testes locupletes existũt.
CASSIODORVS Senator lib. 6. historiæ Triparti- *Cassiod.*
tæ c. 42. Fertur etiã quod in Hermopoli Thebaidos ar-
bor, quæ vocatur Perseis, multorũ morbos abegerit, si fru
ctus, aut pars eius corticis collo ægrotantiũ ligaretur. De
hac enim arbore ferũt, quod cũ apud AEgyptũ Ioseph cũ
Christo, & Maria virgine sancta, fugisset Herodē, venis-
setq; ad Hermopolim ciuitatē, mox vt ingrediebatur vr-
bē, nō ferēs hæc arbor maximũ Christi Saluatoris aduen-
tum, inclinata est vsq; ad terrã, & eũ suppliciter adorauit.
Hęc ego de ista arbore à multis audiens narraui. Reor au-
tem hoc signum fuisse factum ciuibus diuinæ præsentiæ.
Et cetera vt supra ex Sozomeno. CHRISTIANVS *Druthmar.*
Druthmarus in 2. Mathæi. Refertur in Ecclesiastica hi-
storia Eusebii, quod quãdo Ioseph ferebat in AEgyptum
Dominũ, trãsierũt per Heliopolim ciuitatē, & erat in pla-
teis eius Terebinthus miræ magnitudinis, in qua habita-
tores loci illius diuinabãt, cũq; Ioseph cũ puero trãsiret,
prostrauit se arbor obuiã ei in terrã, & iacuit, donec per-
transiit, & iterũ erecta stetit sicut ante steterat. GEOR- *Geor. Ced.*
GIVS Cedrenus. Hermopoli, quæ est vrbs Thebaidis,
Persica arbor fuit, cuius foliũ, aut cortex cuiuis morbo me
deretur. Eam ferunt arborē sese inclinasse, & Christũ ado
rasse in AEgyptum fugientem, eiq; vmbram præbuisse.
NICEPHORVS lib. 10. Eccles. hist. cap. 31. Hermopoli *Niceph.*
quoq; Thebaidis, arbor esse, quam Perseã vocãt, dicitur,
multis morbis medicinã afferēs, si vel festuca, vel folium
ex ea ægris applicetur. De qua illa adhuc fama apud AE-
gyptios obtinet, Deigenitricē vna cũ Iosepho Herodem
fugiētē, ductu Iosephi, Hermopolim venisse, & quãprimũ
vrbis portam attigisset, arborē eam aduentũ Christi ferre

non

non potuisse, & quamuis procera admodum esset, ad solum ipsum tamen se demisisse, & paradysi olim satorem adorauisse. De arbore ea hæc quæ legi, scribenda esse duxi. Ego vero eam, quasi quodam symbolum, seu signum fuisse puto Christi ipsius, in vrbem eam aduentus; aut certe, sicuti coniicere licet, eam propter proceritatẽ, & pulchritudinem, Græcorum moribus, ab vrbis incolis diuino honore cultam, tum commotam esse, dęmone, qui per eam est cultus, exhorrescente, ad præsentiam eius, qui abolitUrus, & oppressurus eos omnino fuerat. Sed tunc quoque cuncta AEgyptiorũ simulacra diffluxere, Christi non ferentia aduentum, iuxta id, quod de eis ab Isaia dictum est. Ceterum dæmone ex arbore ea pulso, ad certũ rei gestæ indicium, prona, & inclinata permansit, fide accedẽtes sanans. Harum rerum Palestini, & AEgyptii idonei, fideque digni sunt testes. *AVCTOR.* Perseis arboris mentionem videtur facere Plinius lib. 13. cap. 9. & cõcludit, circa Thebas hæc, vbi & quercus, & Persica, & oliua 300. à Nilo stadiis, & Strabo lib. vltimo, Dioscorides, & Galenus. Tum etiam lex 1. C. de cupresso ex Luco Daphnes lib. 11. si quis Daphnensis luci in Siria, vel Perseis in AEgypto, arborem comparauerit, quinque libris auri nouerit se esse mulctãdum. De qua & Plutarchus lib. de Iside, & Osiride, plantarum AEgypti præcipue Deo sacram Persicam esse referunt, quod fructus eius cor, linguam æmuletur folium.

Auctor. *Perseis arbor.* *Plinius.* *Plutarchus.*

6 TEMPLO. EVAGRIVS in vitis Patrum, in Appollonio. Vidimus & alium sanctum virum, nomine Appollonium, apud Thebaidam, in finibus Hermopolis, ad quã ciuitatẽ Saluatorem cũ Maria, & Ioseph, de Iudeę finibus venisse tradunt, secundum prophetiam Isaiæ dicentis: Ecce Dominus sedens super nubem leuem, & veniet in AEgyptum, & commouebuntur simulacra manu facta AEgyptiorum à facie eius, & cadent in terram. Vidimus ergo ibi etiam & templum ipsum, in quo ingresso Saluatore corruisse omnia idola in terram, & comminuta esse commemorantur. PALLADIVS Episcopus, in

Simulacra confracta. *Euagrius.* *Palladius.*

in historia Lausiaca cap. 52. Vidimus autē & alium quoq; virum sanctum in Thebaide in finibus Hermopolis, in quam seruator venit cum sancta Maria, & Ioseph, implēs Isaiæ prophetiam, quæ dicit: Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in AEgyptum, & quatientur manufacta AEgypti à facie eius, & cadent in terram. Vidimus enim illic quoq; templum, in quo ingresso vrbem seruatore ceciderūt omnia simulacra in faciem super terram. CHRISTIANVS Druthmarus in 2. Math. cū transiit Ioseph cum puero ante templum, corruerunt omnia idola in terram, vt ostēderetur, quia isdem erat Deus, ante cuius arcam Dagon pronus, & abscisis manibus, & pedibus iacuerat. *Druthmar.*

7 ISAIAE. ISAIAS cap. 19. Ecce Dominus ascēdet super nubem leuem, & ingredietur AEgyptum, & commouebuntur simulacra AEgypti à facie eius. ORIGENES homilia 3. in diuersos. Fuge in AEgyptum, vt adimpleas quæ dicta sunt, ecce Dominus sedet in nube pusilla, & veniet in AEgyptum, & commouebuntur omnia manufacta AEgypti: fuge in AEgyptum vt fugiant de AEgypto, qui ibi sunt dæmones, & appropient ibidē angeli sancti, qui Deum consequuntur. Et infra. Venit ergo, vt supra dictum est, Dominus in AEgyptū, vt exinde omnes dæmonum exercitus fugaret, & omnia idola comminueret, & omnem ritum, vel diuersa mala opera, & actus inde euelleret. EVSEBIVS lib. 6. de demōstratione Euangelica cap. 20. Ecce Dominus sedet super nubem leuem & cetera. Nos non alias hæc dicimus extitisse, quam sub vnum dumtaxat seruatoris nostri Iesu Christi aduentum: hic enim cum Dei verbum sit, & Dei virtus tam si ad sensum, quam si ad verbum accipias, versatus in regione AEgyptiorum per nubem leuem compleuit ea, quæ prædicta fuerāt. Igitur etiam ipsa hæc prophetiæ particula ad verbum exitum sortita est, quo tempore angelus Domini in somnis visus ipsi Ioseph, dixit, surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in AEgyptū. Tūc igitur ipse Dominus Deus verbum puerilem

Simulacra concidenda Christo ingresso Aegyptum. *Isaias.* *Origenes.* *Euseb.*

ætatem

ætatem ingressus, & suo corpori, quod ex sancta virgine acceperat, coniunctus, in terra Aegyptiorum diuersatur. Ii, qui prius incolebant Aegyptum vitiosi, prauiq; dæmones per multa secula in simulacris latitantes, animasq; Aegyptiorum omni superstitionis errori addicentes, ac subiicientes, cum sensissent nouam quamdam, diuinamque virtutem ad se accessisse illico commoti sunt, & fluctuationem, & perturbationem in seipsis pertulerunt, corque ipsorum, & vis intelligendi intrinsecus in ipsis conuicta sunt, cesseruntque, ac fugata sunt ab ea virtute, quæ visum effugiens, illos compellebat, & ignis instar ineffabili quadam ratione adurebat. ATHANASIVS libro primo de incarnatione verbi. Quis iustorum, aut regum in Aegyptum descendit, cuius descensu Aegyptiorum idola manufacta corruerint? Abraham nempe illuc descendit, sed tamen ad ingressum eius idolorum minime cultura quieuit; Moyses illic natus est, nec tamen feruere impietas, cultusque sacrilegus destitit, numquam alias Aegyptiorum quieuit impietas, nisi cum Dominus omnium, corpore illuc descendit, ac nube deuectus, profligatoque errore idolorum omnes ad se, & per se ad patrem transtulit. HIERONYMVS Isai. 19. Quidam totam hanc prophetiam ad Saluatoris tempora referunt, quando ingressus est super nubem leuem, id est, corpus humanum, quod ex virgine assumpserat, nullo humanæ commistionis semine prægrauatum; siue quod à nube leui portatus sit, id est corpore virginali, & ad ingressum eius omnes dæmones contremuerint, tuncque prima idolorum ruina fuerit, præsentiam Domini ferre non sustinens. PROCOPIVS Gazeus in 19. Isaiæ. Quid enim, quam quod in ea peregrinatus est Dominus, & suæ participem cognitionis effecit, habeat beatius? in nube autem, ait, id est, eo quod de Spiritu sancto, sanctaque virgine assumpsit, corpore, veniet; vt enim aëre, terræque exhalatione nubem; sic Spiritu sancto, terrenaque substantia Domini corpus constare credimus: quo cum veheretur, puer in Aegyptum

Athanas.

Hierony.

Procop.

Aegyptum venit, vt eam ineffabili quadam virtute, sua ista peregrinatione maximis cumularet beneficiis. Sunt tamen qui per leuem nubem sacrosanctam virginem, à qua in Aegyptum vlnis est delatus, intelligi arbitrentur. Prospere autem ideo, feliciterque Aegyptiis hic cedit aduentus, quod eorum idola, quo tempore tota regione propagari ecclesias contigit, commoueri necessarium fuit. Nec male præterea cum puer in Aegypto versatus est, ineffabili quadam præsentia virtutis eius dæmones ipsos, erepta sibi potestate, superatos fuisse dicamus. EVAGRIVS, PALLADIVS vbi supra numero sexto. SOZOMEVS, CASSIODORVS vt supra num. 5. ANSELMVS in 2. Math. de hac fuga prædixit Isaias, ecce nubem Dominus ascendet leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur simulacra eius: quod factum est; nam Domino intrante Aegyptum, idola templorum corruerunt. NICEPHORVS vt supra num. 5.

Euagrius. Palladius. Sozom. Cassiod. Anselm. Niceph.

8 AB IEREMIA. DOROTHEVS Episcopus Tyri in synopsi, in vita Ieremiæ. Ieremias iste signum dedit sacerdotibus Aegyptiis, quod oporteat simulacra eorum concuti, & decidere, per seruatorem puerum ex virgine nasciturum, & in præsepi iaciturũ. Propterea etiam nunc virginem in lecto, & infantem in præsepio collocant, & adorant; & cum causam olim Ptolomæus rex percontaretur, responderunt, mysterium esse ipsis à maioribus traditum, quod illi à sancto propheta acceperint. EPIPHANIVS libro de vita, & interitu Prophetarum. Idem propheta sacerdotibus Aegypti signum exhibuit, dicens, oportere olim cuncta eorum simulacra concidere, simulque manufacta omnia præcipitari, vbi Aegyptum ascendit cum suo infante virgo enixa, Deo similis. Id quod tandem vsu venit illis.

Ieremiæ propheta. Dorotheus. Aegyptiorum mos ab Ieremia dictus. Epiphan.

9 HELIOPOLIM. D. ANSELMVS in 2. Math. Et cum ibi latuisset septem annis, in quadam ciuitate, diutius habitauit, quæ vocata est Heliopolis,

Locus Aegypti in quo virgo consedit. Anselm.

id est

Brocard. id est ciuitas solis. BROCARDVS in Aegypti descriptione, ad finem descriptionis terræ sanctæ. A delta vsque ad Heliopolim tria numerantur milliaria: Heliopolis est villa opulenta, sed non munita. Hinc septem numerantur leucæ vsque ad Babyloniam; à Babylonia duabus leucis distant pyramides; & hinc duæ sunt leucæ ad Thebas: huic adiacet desertum Thebaidos, in quo olim fuit magnus numerus monachorum: ab oriente est desertum Thebaidos vsque ad mare rubrum. Inter Heliopolim, & Babyloniam ostenduntur loca, in quibus Beata Virgo mansit cum puero Iesu & marito Ioseph, cum à facie Herodis fugisset è Iudea. Est etiam ibi hortus balsami, qui irrigatur à fonte paruo, vberrime tamen fluente, in quo aiunt beatam virginem puerum Iesum lauisse: ob id habetur fons ille in veneratione, nedum à Christianis, verum & à Saracenis: foderunt proinde Saraceni & alium fontem, cum fons prior non sufficiat ad irrigationem totius horti, ex quo quatuor boues aquam trahunt, quæ sufficere posit ad illius humectationem.

Balsami hortus, fons paruus in veneratione Christianis habitus.

Auctor. *AVCTOR.* Multa quidem, & probabilia feruntur ab his, qui loca illa viderunt, quæ refert Iansenius in sua concordia cap. 11. mihique retulit frater vnus è nostris, cui cũ aliis captiuis licuit illo ire, locumq; dixit vocari Matarem: atq; adhuc manere ficum vetustam, cuius truncus per medium discissus venerationi habetur, perq; eum transmittere corpus salubre habetur; celebre enim est pueri Iesu vestes, seu laneas, seu lineas, suasque virginem in ea ficu solitam exicare, postquam in illius putei, fontis ve aquis lauisset.

Matarea Christi latibulum.

10 TERRAM. ORIGENES homilia 3. in diuersos. Fuge in Aegyptum, vt fugiant de Aegypto, qui ibi sunt dæmones, vt appropient ibidem angeli sancti, qui Deum consequuntur, qui sanctis iunguntur: & pro multitudine templorum, atque abominationum, multarum multitudo exuberet & Ecclesiarum: pro idolorum turbis turbæ abundent fidelium, atque colentium Domini: pro vitiis, & erroribus multis multa castitas, multaq; sanctitas superabundet, multaque virginitas. Venit ergo

Terra Aegypti sanctificata à Christo. *Origenes.*

Dominus

Dominus in Aegyptum vt fidei, & castitatis fundamenta ibidem collocaret; vt illud, quod scriptũ est ibi adimpleretur, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia. CHRYSOSTOMVS homil. 8. in Mathæum. Aegyptus suscipit, ac tuetur insidias fugientem tyranni, & ansam aliquam nascifcitur ineundæ cum eo familiaritatis: denique si quis nunc ad Aegypti veniat solitudines paradyso quouis omnem illam videbit eremum digniorem factam esse, & innumerabiles angelorũ cœtus in humana specie, & populos martyrum, & choros virginum. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & illum regium gregem, virtutumq; cælestium politiã. Atq; hæc non in viris solum, verũ etiam in feminis splendere conspicias. Non ita variis astrorum choris cælum refulget, vt Aegypti eremus, scenas vbique nobis ostendens monachorum: si quis illam Aegyptum veterem nouit rebellem Deo, ac furẽtem, illam felium seruam, cepas pauitantem, & trementem, hic optime Christi cognoscet virtutem & cetera.

Chrysost.

Aegypti eremus monachis refertur ex Christi commoratione.

V INFAN-

INFANTIVM BETHLE-hemiticorum, & Zachariæ sacerdotis cædes. Cap. XI.

1 INTEREA, cum ea, quæ Ierosolymis gesta, ac magnifice dicta sunt à Simeone, & Anna, de Christo infante, non in angulo, sed in templo frequentissimo acta essent, atque in vulgus sparsa, in Herodis aures illaberentur, cõtinuo se à Magis delusum, quos delusos existimauerat, animaduertit, & eò certius, quò non solum per Iudæam, ex prophetiarum interpretatione, & completione, sed per vniuersum orientem, ex Magorum etiam, vt creditur, 2 relatione, 3 constans iam opinio percrebresceret, natum è Iudæa regem, qui vniuerso orbi esset dominaturus. Quam obrem, qui nuper ex Magorum verbis, nõ modicum timorem conceperat, in maiorem nũc furorem actus, summam adhibet diligentiã, 4 vt puer ad se perferatur, vel viuus, vel trucidatus. Addebat animum ad tam immane facinus perpetrandum, quod 5 Pharisæorũ quidam regnum illi traditum diuinitus prædicauerant; aliiq; adulatores, qui idcirco 6 Hero-

diani sunt nuncupati, Herodi, populoq; persuadebant, ipsum verum esse Mesiam, quãdoquidem ipse primus Iudeæ principatũ obtineret, ablato sceptro de Iuda, & duce de fœmore eius, iuxta Patriarchę Iacob vaticiniũ. Cumq; omni adhibita diligẽtia, nec inueniri viam, nec sciri modũ, quo puer detegi posset videret, quod iam ex imminẽti periculo diuinitus fuisset ereptus; immane aliud machinatus scelus, furiisq; exagitatus 7 incunctanter executioni mandat. Nam tempus diligẽter prænotatum, quo à Magis visam stellam cognouerat, secutus: ac illius tum principiũ altius repetens, tum finem longius producens, ne qua forte ratione Christus natus elaberetur, iubet satellitibus suis, & carnificibus, vt vniuersos puellos bimos, & inferioris ætatis Bethlehemi 8 conclusos, occiderent: tum similiter eos omnes, qui in finitima regione reperirentur. Tantæ crudelitatis parentes. 9 Ioannis timore perculsi, ne forte propter eam, quæ in vulgus disseminata fuerat de puero Ioanne opinionem, etiam illius necẽ Herodes moliretur, opportune subducunt infantem: quem mater Elisabeth in spelunca quadã absconditum nutriebat, donec angelo duce in remotiores puer syluarum

receſſus, vitam eremiticam acturus, ſe recepit. Quæ res impulit 10 Herodem Ioannem ad necem perquirentem, vt patrem eius Zachariam occidi præceperit. Quam eius volũtatem ſcribæ, & Phariſęi turbas in templo in Zachariam mouentes, quod Mariæ filium, verum Chriſtum prædicaret, atque ab eius matre virgine in lucem editũ, proptereaque eam in loco virginum conſediſſe non prohibuerit, vltro complentes, inter templum, & altare, tandem 11 occiderunt: cuius ſanguine ſaxa templi ad multum tempus 12 illita perduraſſe fama eſt. Herodes vero, quo tandem ſuam curam, diligentiamque probaret Romano Imperatori, in præcidendis ſeditionum, defectionumq; occaſionibus, 13 filium paruulum, quẽ ex vxore Dauidicæ tribus, vt fertur, genuerat, cum aliis interfecit. Ac tãti ſceleris fama, non tantum in Iudęa, iuxta Ieremiæ vaticiniũ, Rachele deflẽte filios ſuos, abſque vlla conſolatione, ſed Romam vſque Imperatore ipſo, cum orbe cetero vniuerſo, tam infandum ſcelus, vt erat conſentaneum, condemnante, peruagata eſt.

Teſti-

Testimonia.

1 INTEREA. AMMONIVS Alexãd. in harmonia Euangelica. Sed & iustus Simeon, Annaq; Phamuelis filia, prophetico spiritu afflati oblatum post dies 40. in templo agnouerunt Christum, lętis precationibus, fausta terris ominantes. Iniquo animo hæc tulit Herodes, natumq; recens puellum conatur extinguere. EVSEBIVS Emissenus in 2. Mathæi. Dubitari quidem potest, quomodo completis diebus purificationis in Ierusalé, Christus in templo offerri potuit, si statim, vt Magi recesserũt, in Aegyptum fugiens abiit? Sed melius mihi videtur esse vt sic dicatur; qui cum recessissent, aliquanto post tempore euoluto, & omnibus, quæ secundum legem debebantur expletis, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum. Adhuc omnia quieta erant; adhuc Herodes Magos spectans, nondum sui cordis malitiam reuelabat: vnde & secure vadunt in Ierusalem, vt legis mandata perficiant: inde vero in AEegyptũ fugere iubentur. AVGVSTINVS libro secundo de de consensu Euangelist. cap. 11. Hinc etiam illa soluitur quæstio; si aliquem mouet; cum iam solicitus esset ille maior Herodes, perculsus Magorum nuncio, quod rex Iudæorum natus fuisset, quomodo potuerint, completis diebus purgationis matris eius, tuto cum illo ascendere in templum, vt fierent circa eum secundum legem Domini, quæ Lucas commemorat? Illud dico, posteaquam nihil Herodi Magi renunciauerunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquam non inuenerunt quem natum putauerant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo, ac persequendo puero quieuisse. Cum ergo post purgationem matris in Ierusalem cũ illo venissent,

Herodes nouit sede suum.
Ammon.
Euse. Emis.
August.

& ea gesta essent in templo, quæ à Luca narrantur: quia verba Simeonis, & Annę de illo prophetantium, cum cœpissent ab eis, qui audierant prædicari, ad pristinam intentionem reuocatura erant animum regis, admonitus per somnium Ioseph, cum infante, & matre eius, fugit in Aegyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ, dictæque fuerant, Herodes se à Magis sensit illusum; ac deinde ad Christi mortem cupiens peruenire, multos infantes, sicut Mathæus narrat, occidit. BEDA in secundũ Math. Verisimile est, quod postquam Magi nihil renunciauerunt Herodi, eum putasse illos fallacis stellæ visione deceptos, ad se, non inuento rege nato, erubuisse reuertere: & ita timore depulso aliquod tempus quieuisse à persequendo puero; sed post, rebus diuulgatis, quæ in templo factæ, dictæque fuerant à Simone, & Anna, sensisse se à Magis delusum, ac deinde ad necem Christi cupiens peruenire, non solum in Bethlehem, verum in omnibus circa finibus, sicut modum in mullo tenuit, omnes à filio vnius noctis, vsque ad filium duorum annorum, occidit. HAYMO Episcopus in secundum Mathæi. Quare non continuo fecit hoc Herodes, vbi Magi non reuersi sunt ad eum? Quia cogitauit in corde suo: certe falsa visione stellæ delusi sunt illi Magi, non inuenerunt quod quæsiuerunt, ideo erubuerunt ad me reuerti. Cum autem 40. die natiuitatis suæ filius Dei delatus fuisset ad templum, & munera legalia pro eo fuissent oblata, & Symeon accepisset eum in brachio, & dixisset: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: cum hæc omnia fuissent ad notitiam Herodis perlata, dixit ille, certe verum est quod Magi dixerunt. ANSELMVS in secundum Mathæi. Cum nihil sibi renunciatum esset, credidit Magos deceptos esse, & ideo ad se non reuersos: vnde tandiu quieuit à pueri inquisitione. Sed postea vulgatis quæ dixit Symeon, & Anna de puero, se illusum à Magis sensit. ZACHARIAS Chrysopolitanus libro primo cap. 10. in vnum ex quatuor. Vt supra Augustinus. PETRVS Comestor

Beda. *Haymo.* *Anselm.* *Zachar.* *Petr. Com.*

mestor in historia Euangelica cap. 10. Videns Herodes Magos nihil sibi renunciasse, putauit eos visione stellæ deceptos, & erubuisse redire ad eum: & ideo ab inquisitione pueri cessauit: sed cum audisset quæ dicta fuerant à pastoribus, & maxime prophetias Simeonis, & Annæ, sensit se illusum, & de morte puerorum Bethlehemitarum tractabat, vt ille, quem ignorabat, cum eis occideretur.

2 RELATIONE. ORIGENES homilia 3. in diuersos. Ipsi quoque Magi annunciauerunt cunctis, nomenque sanctum vnigeniti prædicantes, ad suam prouinciam perrexernnt. GREGORIVS Nyssenus, oratione de sancta Christi natiuitate. Sed reuertamur ad præsens gaudium, quod spiritus prophetiæ per multos prædicat, atque diuulgat, vt etiam Magi gratiæ huius præcones extiterint. CRHYSOSTOMVS homilia 8. in Math. Magos vero celeriter emittit, simul & Persarum regioni mittens magistros, & amputans furorem tyranni. D. LEO sermone secundo de Epiphania. Magos ad eum adorandum præuia stella perduxit, vt à solis ortu vsq; ad occasum veri regis generatio coruscaret, cum rerum fidem, & regna orientis per Magos discerent, & Romanum imperium non lateret. THEOPHYLACTVS Math. 2. Videntur hi Magi magna virtute prędit, nam qui in aliena regione adorare voluerũt, quomodo non in Perside ipsa, magna libertate prædicauerunt? EVTHYMIVS in 2. Math. Reuersi vero sunt citius credentes, tamquã fideles, in regionem suã, futuri doctores eorũ, quæ facta sunt. NICEPHORVS lib. 1. hist. Eccles. c. 13. Ita factum, vt per aliam viam in suam reuerterentur regionem, videlicet, vt quam celerrime in Persarum regionem doctores, & nuncii tantæ rei venirent.

Magi Christum natum promulgarunt.
Origenes.
Greg. Nyss.
Chrysost.
Leo.
Theophyl.
Euthym.
Or[illegible] [illegible]

3 CONSTANS. IOSEPHVS lib. 7. de bello Iudaico cap. 12. Quod maxime eos ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum, in sacris libris inuentum, quod eo tempore quidam esset ex eorũ finibus orbis terræ habiturus imperium; id enim illi quasi propriũ accepe-

[illegible] Ioseph[illegible]. Belli Ierosolymitani occasio.

acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt, nam Vespasiani designabatur imperium. SVETONIVS in Vespasiano, cap. 4. percrebuerat oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur: id de imperatore Romano, quantum euentu postea prædictum patuit, Iudęi ad se trahentes, rebellarunt. CORNELIVS Tacitus lib. 21. Annalium. Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, vt valesceret oriens; profectiquę Iudæa rerum potirentur. EGESIPPVS libro quinto de excidio Ierosolymitano cap. 45. Inter quæ illud præcellentissimum, quod in literis æque vetustis, quas sacras vocabant, manebat impressum, quod secundum illud tempus futurus esset vir, qui de regione eorum imperium adsumeret in orbem terrarum: quæ res eos in tanto furore posuit, vt sibi non solum libertatem, sed etiam imperium pollicerentur. Id alii ad Vespasianum referendum putarunt, prudentiores ad Dominum Iesum, qui eorum in terris, secundum carnem genitus ex Maria, regnum suum per vniuersa terrarum spacia effudit. EVSEBIVS lib. 3. hist. Ecclesiast. cap. 8. Aliud præterea, quod isto plus habet admirationis, idem auctor commemorat. Oraculum quoddam in sacris literis repertum fuisse, quod ista verba complectebatur: nimirum, eo tempore quemdam ex illorum regione ortum fore, qui vniuersi orbis obtineret imperium: quod quidem ille in Vespasiano expletum intellexit: verũ Vespasianus non totius orbis, sed Romani solius imperii gubernacula obtinuit. Rectius ergo, & verius ad Christum potest accomodari, cui à patre dictum est; postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Nam eodem ipso tempore sonus, & vox suorum sacrorum Apostolorum in omnem terram exiuerat, & in fines orbis terræ verba eorum. PAVLVS Orosius lib. 7. cap. 9. Iudæi post passionem Christi in totum destituti gratia Dei, cum omnibus vndique malis circumuenirentur; quidam in Carmelum montem se

Sueton. *Tacitus.* *Egesippus.* *Prophetiam ad Vespasianum multi, referebant.* *Euseb.* *Verius ad Christum.* *Orosius.*

seducti sortibus, quæ portenderent exortos à Iudæa duces rerum potituros fore, bellum ad se trahentes, in rebellionem exarserunt. GEORGIVS Cedre. Iosephus narrat oraculum quoddam fuisse in sacris literis inuentũ, quo Iudæis prędiceretur, eo tempore quemdam ex ipsorũ patria imperium totius orbis habiturum: hoc ille Vespasianum impleuisse interpretans, tota (quod aiunt) via à vero aberrauit. Neque enim Vespasiano totus mundus subditus fuit. Reliquum ergo est id à Domino nostro IESV Christo impletum, quem ita affatur pater. Postula à me, dabo tibi gentes loco hereditatis, ac terminos terræ tibi mãcipabo. NICEPHORVS lib.3. histor. Ecclesiastic. cap.4. Idem ipse Iosephus aliud quiddam magis admirandum refert, oraculum videlicet quoddã in sacris templi monumentis inuentum esse: eo ipso tempore ex popularibus eorum, quemdam vniuerso orbi imperaturum: & Iosephus quidem responsum id ad Vespasianum Imperatorem retulit: sed ille Romanæ tantum vrbis, non vniuersi terrarum omnium orbis Imperium obtinuit. Rectius itaque oraculum tale seruatori, ac Domino nostro accommodetur, ad quem & illud Psalmi responsum à Patre refertur, postula à me, dicente, & dabo tibi gentes hereditaté tuã, & possessionem tuam terminos terræ: cuius etiam discipulorum vox in omnem exiuit terram, & ad terminos orbis verba eorum.

Rebellionis Iudæorũ occasio.

Georg. Ced.

Nicephor.

4 VT PVER. MATHAEVS cap.2. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in AEgyptũ, & esto ibi vsque dum dicam tibi, futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *AVCTOR.* Certum existimo Herodem, prius omnem adhibuisse diligentiam, vt puerum ad se inuentum perferri faceret, & cum tandem non inuenisset, facinus illud infanticidij excogitasse.

Iesus ad necem quæritur.

Mathæus.

Auctor.

5 PHARISAEORVM. IOSEPHVS lib. 14. antiquitatum cap.18. Nam Herodes, cum regnum cepisset, omnes occidit in Cócilio tunc inuentos cum ipso hyr

Pharisæi regnum Herodi tradi cu-

rabant. cano, præter Sameum, quem nimis dilexerat propter iustitiam eius, & quod ciuitate posthac obsessa ab Herode, & Sosio, persuasisset populo, vt Herodem acciperent, dicens, propter peccata eum nō posse deuitari. Et lib. 15. cap. 1. Honorabantur apud eum Pollio Pharisæus, & Sameus discipulus illius: siquidem obsessis Ierosolymitis, isti persuadebant Herodem suscipi, pro quo, & compensatione gratiarum fruebantur. Et cap. 13. Flectebat autem & Pollionem Pharisæum, & Sameum, sociosque illorum sibi iurare: qui licet non obtemperassent, nō sunt torti; dum venerationes eius per Pollionem impetrassent. Quidam essenorum nomine Manachemus fuit per omnē vitam benigna voluntate probatus, præscientiam à Deo futurorum habens. Is dum adhuc Herodem puerum ad Doctores pergentem vidisset, vt Regem Iudæorum salutauit. Qui illusum se putans, commonebat eum sermone adhuc priuatus: Manachemus hic ridens, & feriens manu posteriora eius, regnabis, inquit, feliciter, nam iam à Deo dignus iudicatus es. Et recole Manachemi plagas, vt hoc tibi sit signum de peccatis in Regno committendis: nam optima est ratio, si iustitiam, & pietatem Dei dilexeris, & modestiam circa ciues habueris: sed non talem te futurum intelligo, dum omnia cognoscam: felicitate namque omnes præcelles, & habebis gloriam ęternam; obliuionem vero pietatis, & æquitatis posſidebis. Hæc non latebunt Deum in vltime vitæ, pro tuo facinore. Quibus statim nullatenus animum intendit, dum spes Herodi deesset: paulatim vero cū eleuatus vsque ad Regnum fuisset, & feliciter principatum egisset, accersiit Manachemum, & de tempore quantum regnaret consuluit eum: Manachemus autem, cum omnino nihil respondisset, sed tacuisset, interrogauit eum, si decem tantum anni regni sui essent, respondit, & viginti, & triginta, sed finem non addidit: Herodes autem istis contentus Manachemum cum honore dimisit, & omnes essenos propter illū honorauit.

Iosephus. *Sameus.* *Pollio, & Sameus.* *Manachemus Herodi prædixit regnum.* *Felicitatem & impietatem.* *Annos regni.* *Esse nos colebat Herodes.*

Herodiani 6 HERODIANI. MATHAEVS cap. 22. 16.

Tunc

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone, & mittunt ei discipulos suos cum Herodianis. MARCVS cap. 12. 13. & mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, vt eum caperent in verbo: & cap. 3. 6. Exeuntes autem Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, quomodo eũ perderent. Et cap. 8. 15. Et præcipiebat eis dicens, cauete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. Mathæi 16. 6. Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. TERTVLLIANVS libro de præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 45. Prætermitto Pharisæos, qui additamenta quædam legis adstruendo, à Iudæis diuisi sunt: vnde etiam hoc accipere ipsum quod habent nomen, digni fuerunt; cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt. EPIPHANIVS hæresi 20. Post hanc, & has sectas, rursus septima hæresis erat Herodianorum appellata. Nihil autem habebant hi diuersum, sed toti sunt Iudæi vani, ac hipocrytæ. Verum Herodem putabant hi Christum Dominum, qui in omnibus scripturis, legeque, ac prophetis, expectabatur, & ob ipsum decepti, Herodẽ iactabant, inducti ex dicto hoc, vna cũ hoc quod etiam in gratiam eius, qui tunc Rex erat, inaniter gloriabantur. Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux ex fœmoribus, donec venerit, cui reseruatur: aut velut alia exemplaria habent, donec venerit, cui restant, quæ reseruantur ipsi. Quandoquidem igitur ex alienigenis hic regnauit. Durauit autem Regnum per successionem à Iuda, & à Dauid, itemque principes ex Iuda, & Patriarchæ: translatum vero fuit regnum ad alienigenam, credibile visum est suspicioni erroneorum, vt ipsum esse Christum putarent, ac deciperentur ex relati dicti consequentia, nempe, non deficiet princeps ex Iuda, donec venerit cui reseruatur: vt accipiamus, inquiunt, quod huic reseruatum est, defecerunt enim illi, & hic non de genere Iuda, imo nec omnino de Israel est, huic autem reseruatum est esse Christum. HIERONYMVS lib. aduersus Luciferianos, cap. 8.

qui fuerint. Mathæus. Marcus.

Tertullian.

Herodiani Christũ Herodem iactabant.

Epiphanius

Prophetia La cob.

Hieronymus

Taceo

Taceo de Iudaiſmi hæreticis, qui ante aduentum Chriſti legem traditam diſsiparunt, quod Herodiani Herodem Regem ſuſcepere pro Chriſto. IOANNES Damaſcenus libro de hæreſibus. Herodiani omni ex parte Iudęi erant, Herodem autem, vt Chriſtum approbabant, eumq; Chriſti, & honore afficiebant, & appellabant nominę. THEOPHYLACTVS in 22. Mathæi. Herodiani erant, vel Herodis milites, vel qui putabant Herodẽ Chriſtum. Et in cap. 8. Marci, Herodiani autem erant Doctores quidam nuper orti dicentes, Herodem eſſe Chriſtum, & illi eſſe credendum. EVTHYMIVS. cap. 21. Mathæi. Qui & ipſi Herodiani genere quidem erant Iudæi, vehementer autem Herodem colebant, & ipſum eſſe dicebant Chriſtum à prophetis promiſſum. Nam quia prophetatum erat, tunc venturum eſſe Chriſtum, quando deficeret qui ex Iudæis imperaret, defecerat autem diebus Herodis, qui Infantes necauerat (primus ſiquidem hic alienigena Iudæis imperauit) ideo hunc eſſe, ſuſpicabantur, qui venturus expectabatur, & coniuncti inuicem propriam fecerunt ſectam: & quia Herodem plurimum amabant, Herodiani cognominati ſunt. NICETAS lib. 1. Theſauri orthodoxæ fidei cap. 44. Herodiani ab Herode Antipatri filio nomen acceperunt. Nonnulli ergo illum eſſe Chriſtum arbitrabãtur, Iacobi ſcilicet vaticinio adducti, quod ita canit. Non deficiet dux, neque princeps de fœmore eius, donec veniat, cui repoſitum eſt, id circo Herodiani nominantur. *AVCTOR.* Hieronymus Matth. 22. ſic ait. Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Chriſtum eſſe credebant, quod nuſquam omnino legimus. Putat autem fuiſſe Herodis milites, qui tributa colligebant, quod ipſum ſentit Chryſoſtomus homil. 71. in Mathæum, & Anſelmus. Verum hæreſim Iudæorum fuiſſe, aſſeruit ipſe Hieronymus, & Latini, & Gręci Patres, & ita affirmat Origenes, tract. 25. in Mathæum, fuiſſe ſcilicet ſectam Iudæorum aſſerentium ſoluenda tributa Cæſari, quod negabant Phariſęi. Et negari nulla ratione poteſt, quia Chriſtus fermentum Herodis, ideſt, Herodianorum doctrinam

Damaſcen. *Theophyl.* *Euthym.* *Nicetas.* *Auctor.* *Hieronym. irridet prædictã intelligentiam.* *Chryſoſt.* *Anſelm.* *Herodianorum hæreſis peculiaris.*

doctrinam fuisse declarauit, sicut & Pharisæorum, & Sadducæorum: ergo erat peculiaris hæresis. Non autem in eo quod suadebant solui tributa Cæsari, quia hoc optimum erat consilium; ergo certius est, doctrinam illorum fuisse, quod Herodes esset Christus; & verum Christum, quod pauperem viderent, contemnebant.

7 INCVNCTANTER. MATHAEVS cap. 2. Tunc videns Herodes, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens, occidit omnes pueros, qui erāt in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis. AMMONIVS Alexandrinus, in Harmonia Euangelica. Oraculo admonetur Ioseph, vt fuga in AEgyptum Infantis vitæ consulat, idque in tempore, nam non multo post, ira succensus Rex, bimulos omnes, ac natu minores gladio sustulit. AVGVSTINVS libro 2. de consensu Euangel. cap. 5. Et vt perfecerunt omnia, secundum legem Moysis; Mathæus dicit: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: surge, & accipe puerum, &c. Tunc Herodes videns, quod illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, &c. Et cap. 11. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ, dictæque fuerant Herodes se à Magis sensit illusum, ac deinde ad Christi mortem cupiens peruenire, multos, sicut Mathæus narrat, occidit. *AVCTOR.* Statim post fugam Ioseph cum Deipara, & Christo in AEgyptum, accidisse infantium interfectionem, verosimilius est, & contextui Euangelij conformius. Nam si ex auditis in templo gestis, cognouit Herodes se à Magis illusum: & tunc iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros; ergo ex illa ira, quam tunc concepit, misit carnifices ad necem infantium. Verum multi auctores hanc cædem factam putant sequenti anno 28. Decembris, quarto post natale Christi Domini, die, ita Bedæ, Haymoni, Anselmo, & Strabo in Mathæi 2. videtur, quia hoc die celebrat Ecclesia, & eo celebrandū omnia Martyrologia, & Græcorum, & Latinorum, &

Herodes iubet Infantes occidi. Mathæus.

Ammon.

Augusti.

Auctor.

Beda. Haymo. Anselmus. Strabo.

AEtyo-

A Etyopum, docent. Herodes enim postquam delusum se deprehendit, cœpit inquirere puerum, & cum non inuenisset, intermittebat inquisitionem, ne forte obsui timorem, abderetur, & tandem non reperiret. Sperabat enim callidus coluber, quod dum tranquilliora essent omnia, se se detegeret, & sic eum occideret; at dum anno iam transacto, nulla spes esset inueniendi, misit carnifices ad infantes occidendos; & propterea à bimatu, & infra iussit eos occidi. Probabilis est hæc opinio propter Ecclesiæ consuetudinem; sed multo plures sunt, qui existimant, post duos annos hanc cædem factam, illi videlicet, qui opinantur à Magis adoratum puerum post duos annos, & statim fugisse Ioseph, sic sentiunt Tatianus, Alexand. in harmonia Euangelica cap. 8. Epiphan. hæres. 20. & 51. Eusebius in chronico, & Eusebius Emissen. in 2. Math. & Georgius Cedrenus in compendio histor. propter illa verba, à bimatu, & infra: tum etiam quia existimant Herodẽ occupatũ profectione, qua Romam est profectus, non potuisse pueros occidere ante id tempus. Sed falsa est hæc sententia, primo, quia Christus decimo tertio die à natali adoratus à Magis, vt diximus c. 8. n. 10. Secũdo quia illa verba, à bimatu & infra, crudelitatem Herodis potius indicant, quã considerationem veritatis. Voluit enim considerata responsione Magorum omne illud tempus complecti, ne vlla via puer mortem effugeret: non autem significat interfectos pueros contentos, sub ætate duorum annorum, vsq; ad pueros vnius diei; sed pueros à bimatu, & inferioris ętatis, habita ratione inferioris ætatis ad tempus stellæ, quod Magi declarauerant. Vnde Euthymius recte. Quod si abimatu, & infra, iussit Herodes pueros interimi, ne mireris; suspicabatur enim non statim apparuisse Magis stellam, sed fortasis puerum ante eius apparitionem natum fuisse, ideo securitatis causa tempus anticipauit. Eos ergo qui bimuli erant occidit, vt tempus ampliationem haberet: illos vero qui minoris erant ætatis, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Itaque & tempus quod à Magis didicit obseruauit, & latitudinem alteram ipse adiecit. Restat igitur

Post duos annos necẽ infantium factam.

Tatianus.

Epiphanius

Euseb. Cæs.

Euse. Emis.

Georg. Ced.

Refellitur hæc sententia.

A bimatu & infra, quid sit?

Euthymius

igitur vt verba illa, secundum tempus, quod exquisierat à Magis, nõ eo quod dicitur à bimatu, intelligas, sed in eo quod additur, & infra: oportet enim post id, quod dicitur à bimatu, distinctionem ponere, deinde totum, quod sequitur simul legere: si enim sicut dicunt duorum annorum tempus expletum esse didicisset, nequaquam eos perdidisset, qui minoris erant ætatis. Quod vero Herodes nõ tunc Romam fuerit profectus, sed ante annum 28. Regni sui, constat ex Iosepho lib. 16. antiquitatum, cap. 7. 8. & 9. nam post reditum illo anno Olympiad. 192. Cæsaream in honorem Cæsaris dedicauit, nec constat de alia profectione. *Herodes nõ Romam profectus. Iosephus.*

8 CONCLVSOS. ORIGENES homil. 3. In diuersos. Circumdant missi omnem illam continuo regionem, viuentem quærentes panem, vnigenitum de cælò venientem, descendentem de supernis: hunc quærebant in Bethlehem, in domo panis, non ad vitam sibi, sed potius ad mortem. GREGORIVS Nyssenus Episcopus, oratione de natali Christi. Illi vero cunctos infantes vnũ in locum coactos internecione tollendos censent. *AVCTOR.* Numerus horum infantium, dicitur in Kalendario Græcorum, die 29. Decembris, fuisse, ad quatuordecim millia. Idem dicitur in Liturgia AEtyopum. *Origenes. Greg. Nys. Auctor. Numerus infantium necatorum.*

9 IOANNIS. PETRVS Episcopus Alexandrinus & Martyr, in regulis Ecclesiasticis, can. 3. quas recepit, atque probauit sexta Synodus cap. 1. apud Theodorũ Balsam. Cum quibus infantibus Herodes, & alium prius natum infantem, cum interfecturus quæsiuisset, & non inuenisset, patrem eius Zachariam interfecit inter templum & altare, cum effugisset filius cum matre Elisabeth. SIMEON Metaphrastes in commentario de sancto Ioanne Baptista. Aliud narrat occisum, quod abscõdisset Ioãnem puerum, ne occideretur cum infantibus innocentibus. GEORGIVS Cedrenus in compendio historiæ. Post bienniũ Herodes puerulos necauit, Zachariamq; sacris operantem intra altare interfecit. At Elisabetha assumpto Ioanne in solitudiné exiit: inq; spelunca dies 40. *Ioannes subducitur à cæde. Petrus Alexandrinus. Simeon Metaphrast. Georg. Ced.*

cum

cum delituisset diem suum obiit. Ioannes in solitudine ab Angelo institutus, atque enutritus, ibi mansit donec Christus in publicum prodiit. NICEPHORVS lib. 1. historiæ Ecclesi. cap. 14. Filius autem Zachariæ Ioannes, in cuius natiuitate patris vox soluta est, cũ prius ab illo Ioannis nomen in tabula fuisset exaratum, alterum cum dimidio annum agebat, & vna cum matre Elisabetha in speluncaquadam ad regionem mõtanam saluus conseruabatur: fortasse Herodis sanguinariam effugiens manum, atque inde in solis locis libenter versari solitus, Angeloque duce vsus, in remotiores syluarum recessus recessit. Ibi tenerioribus arborum, frondiumque summitatibus pro cibo, cameli pilis pro tegumento, pelliceaque insuper Zona vtebatur, quo ad vsque inde progressus Israeli se exhibuit.

Nicephorus

Ioannes in spelunca seruatur.

10 HERODEM. PETRVS Alexandrinus vt supra. EPIPHANIVS libro de Prophetarum vita, & interitu, in Zacharia. Zacharias adhuc alius fuit, tum propheta, tum sacerdos Ioiada sacerdote prognatus, Ioannis Baptistæ parens, quem Herodes ille tyrannus iuxta aram, domumque Dei occidit, effususque est sanguis eius in vestibulo templi Domini. Inter cetera quæ vaticinatus est, de origine quoque, & natiuitate Christi, nonnulla prophetauit. Eo igitur in loco propheta, in domo Domini, & in templo Domini humatus est. Ex eo sane facta sunt in templo illo stupẽda miracula, phantasiæque, hoc est visiones. Ceterum sacerdotes nequibant amplius, nec Angelorum visa oculis vsurpare, nec oracula siue responsa populo ex Dabir reddere: nec etiam poterant in Ephod per signa, & portenta, quemadmodum prius soliti fuerant, vsque ad tẽpus hodiernum respondere.

Herodes molitur nec Zachariæ.

Petr Alex.

Epiphanius

Responsa Iudæorum cessarunt.

11 OCCIDERVNT. ORIGENES tractatu 19. in Mathæum. Alium autem occiderunt, sicut Zachariam, inter templum, & altare: alium lapidauerunt, sicut Azariam filium Ioiadæ sacerdotem, sicut in 2. libro Paralipomenon positum est. Et tractat. 23. Venit autem in generationem eorum, qui impleuerant mensuram patrũ suorum, & superposuerunt IESV Christi prophetas, & sapientes,

Zacharias occisus.

Origenes.

pientes, & scribas: omnis sanguis iustus, qui effunditur super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, cuius interfectionem imputat scribis, & Pharisæis; quasi non esset interfectus à patribus eorum, sed ab ipsis illis: sic enim scriptum est: quem occidistis inter templum, & altare. Non autem possunt qui exprobrantur à Christo dicere, Zachariam filium Barachiæ vnum fuisse ex prophetis duodecim, quorum scripta habemus in manibus; sed Zachariam dicit patrem Ioannis, de quo per scripturas quidem canonicas ostendere non possumus, nec quoniam filius fuit Barachiæ, nec quia Scribæ, & Pharisæi interfecerunt eum inter templum, & altare; sed venit ad nos quædam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, vbi virginibus quidem consistere licet, & orare Deum, expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere: Maria autem, postquam genuit Saluatorem ingrediens adorare, stetit in illo virginum loco; prohibentibus autem eis, qui nouerant eam iam filium genuisse, Zacharias stetit, atque dixit prohibentibus eam, quoniam digna est virginum loco, cum sit adhuc Virgo. Ergo quasi manifestissime Zachariam aduersus legem agentem, & in loco Virginum permittentem stare mulierem, occiderunt inter templum, & altare viri generationis illius. Tamen eos, qui huiusmodi traditioni non credunt exigamus rationem, quomodo non quasi filios eorum, qui interfecerunt Prophetas, etiam Zachariam, exprobrat IESVS, propter Zachariã, sed quasi qui ipsi occiderunt Zachariã inter templum & altare: si ergo verum est Verbum Christi, quod dicit ad præsentes, tum Pharisæos, & Scribas; quem vos occidistis inter templum, & altare, non est possibile, illum intelligi Zachariam, qui est ex duodecim vnus. Nec tamen est mirum, si contingit eiusdem nominis esse, & vtrumque Zachariam, & patres eorum.

Zachariam patrem Ioã nis intelligit Christus

Traditio.

Zacharias necatus ob patrocinium virginis.

BASILIVS oratione de humana Christi generatione. Quod autem Maria perpetuo virgo remanserit, etiam Zachariæ declarat historia quædam, quæ ad nos vsque

peruenit. Zacharias enim Mariam post Domini conceptionem, in virginum loco constituens, à Iudæis inter templum, & altare interfectus est; à populo namque accusatus, quod rem inauditam, prodigiosamque prædicaret, virginem videlicet parientem, citra virginitatis corruptionem. GREGORIVS Nyssenus Episcopus, in oratione in diem natiuitatis Christi. Ac ne à proposito longius euagemur, forte non erit intempestiuum, si incorruptæ matris testem, eum, qui inter templum & altare fuit occisus, proferamus: hic est sacerdos Zacharias, nō sacerdos solum, verum etiam propheta. Hic igitur diuino numine ad occultorum cognitionem ductus, cum virginitatis mysterium in partu incorrupto non ignoraret, in sacro templo Virginem matrem à loco virginibus per legem assignato, non semouit: Iudæosque docuit naturam humanam vna cum reliquis omnibus rerum omnium effectori, & Regi ita subiectam esse, vt arbitratu suo eam ipse regeret, non autem ab ea regeretur: Itaque in manu ipsius esse nouam ortus rationem moliri, quæ matrem esse virginem non impediret; quamobrem eam se à virginum loco non exclusisse. Locus autem ille erat quoddam spacium inter templum, & altare. Cum igitur audiuissent Iudæi rerum omnium regem in vitam humanam, diuino ordine prodiisse, metuentes ne regi subderentur, sacerdotem, qui hæc de ipso partu testificabatur, ad ipsum altare sacrificantem interfecerunt. CYRILLVS Alexandrinus, lib. aduersus Anthropomorphitas, cap. 27. Hic Zacharias prophetico spiritu ad cognitionem occultorum deductus, cum mysterium Virginis de eximio partu probe intelligeret, non arcuit incontaminatam, purissimamque matrem ab eo templi loco, qui virginibus ex lege designatus erat, docens nimirum Iudæos, quod creator totius vniuersi, & omnis creaturæ Rex, humanam naturam, vt reliqua omnia, subiectam habet, pro suo arbitratu eam ad quodcumque velit ducens, non autem ipse creaturæ adscriptus, adeo, vt in ipsius potestate sit situm nouam creaturam creare, quæ matrem effectam virginitate

Mariæ defensa virginitas. *Greg. Nys.* *Virginitas Mariæ defensa.* *Cyril. Alex.* *Virginitas defensa Mariæ.*

nitate non priuet. Id circo non arcuit eam à loco templi virginibus dedicato. Erat enim locus hic inter altare, & templum intermedius. Quando igitur audierunt Regem totius creationis ad humanam natiuitatem diuino consilio procedere, ueriti ne in eius Regis potestatem, & imperium venirent, eum, qui hæc de partu testificatus erat, interficiunt, sacerdotem sacrificantes. AVGVSTINVS in Ioannis Apocalyp. homil. 16. In ciuitate Caim funditur omnis sanguis iustus à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ, idest, populi, & sacerdotes, inter templum & altare. Hoc ideo dictum est, quia non solum populi, sed & sacerdotes conspirauerunt in mortem Zachariæ. ANDREAS Archiepiscopus Cretensis, in oratione de amputatione capitis Ioannis Baptistæ. Qui cum eadem, qua Elias, præcessit, inspiratione, & virtute, vt Archangelus prædixit Zachariæ, cui Zachariæ? cuius sanguis clamat plusquam Abelis. THEOPHYLACTVS in vigesimũ tertiũ Mathæi. Cuius autem Zachariæ, hoc loco meminit? Alij dicunt illum fuisse vnum ex duodecim prophetis, alij patrem præcursoris Domini: habet enim ita narratio nobis tradita, quod locus quidam in templo fuerit, in quo stabant virgines. Igitur cum esset Pontifex, postquam Deipara peperisset Christum Dominum, & statuisset illam in illo loco, indignati sunt contra eum Iudæi, & occiderunt eum, quod cum virginibus collocasset mulierem, quæ pepererat. Non est enim mirabile, quod etiam pater præcursoris habuerit patrem Barachiam, & sicut is, qui ex duodecim erat, dicatur Barachiæ filius: verisimile enim, quod sicut illi fuere cognomines, ita, & patres ipsorũ. SIMEON Metaphras. in cõment. de sancto Ioanne Baptista. Verũ enim vero Zacharias quidẽ senex, & sacerdos, vt à patribus de eo tradita tenet narratio, cum vitam produxisset, vsque ad ipsum Dei, & Saluatoris nostri ortum secundum carnem, & cum maternis vlnis eum vidisset gestari, & sic ab ea sæpe in templum introduci,

Augusti.

Andreas Cretens.

Theophyl.

Traditio.

Zacharias constituit Mariam in virgi. ũ loco.

Simeon.

& eum esse Deum minime ignorasset; propterea ei concedit, vt ingrediatur in sancta sanctorum, cum cognouisset eam esse Deiparam, & vt illic stet ei largitur propter excellentiam. Ea autem res clariores ex Iudæis, (ita enim vult quæ traditur narratio) ad iram accendit, & efficit, vt in senem grauiter insaniant: etenim audiebant, inquit, ab eo Regem creatæ naturæ ad humanam venisse generationem: metu ergo ne regi parerent, concipiunt laborem, (vt ait Isaias) & pariunt iniquitatem, & cum essent procliues ad malitiam, & ad effundendum sanguinem, non minus quam aquam à manu, vna nocte in templum irrumpentes in conspectu, proh dolor, altaris, occidunt Zachariam. Deinde cum sanguis locum admodum cruentasset, & cædem factam plane argueret, terra effusa abscondunt mortuum parricidæ, vt qui scelus quoque cædis vellent abscondi. *Eutihym.* EVTHYMIVS in vigesimũ tertiũ Mathæi. Plures dicunt Zachariam patrem Baptistæ: scribunt enim se accepisse à patrum traditione, quæ citra scriptum per manus peruenit ad posteros, quod erat in Templo locus virginibus destinatus, à quo stantem quondam in eo Dei matrem post partum, non eiecit, dicens Virginem esse, & ideo occisus est inter templum, & altare exterius. GEORGIVS Cedrenus, in compendio historiæ: Zachariamque sacris operantem intra altare interfecit.

Maria in loco Virginum consi det.

12 ILLITA. TERTVLLIANVS in scorpiaco aduersus Gnosticos cap. 8. Zacharias intra altare, & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignãs. VALENTINIANVS Imperator, in Epistola ad Episcopos Asiæ apud Theodoretum lib. 4. historiæ cap. 7. Ne in ea, quæ testamenti Christi sunt damna incurratis, id ꝙ in Zachariæ sanguine eueniebat, nam funesti illi, perinde ac pestifer dæmõ, qui cædis illius socius erat, mortis supplicio traditi, adueniente cælitus Rege nostro IESV Christo, disrupti perierunt. EPIPHANIVS vbi supra. HIERONYMVS in 23. Mathæi. Simpliciores fratres inter ruinas templi, & altaris, siue in portarum

Saxa illita sanguine Zachariæ. *Tertullian.* *Epiphan.* *Hierony.*

rum exitibus, qui Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putāt esse polluta. AVCTOR. Chrysostomus homil. 1. in Lucam, de natiuitate Ioannis, locum Christi Mathæi 23. de Zacharia intelligit vno ex duodecim Prophetis: sed Hieronymus Mathæ. 23. hanc refutat sententiam, quod is non legatur occisus; & illam de Zacharia patre Ioannis: & Christum dicit locutum de Zacharia Ioiadæ pontificis filio, qui iussu Regis Ioas à populo scribitur lapidibus occisus. 2. Paralipom. 24. 21. potestque confirmari eius opinio, quod ignoratur quando Zachariæ cædes potuerit contingere, si eius causa fuit, quod locum virginum concessetit Deiparæ: nam Virgo non ascendit in templum, vsque ad quadragesimū diem à natali Christi, & statim fugit in AEgyptum; ergo ante reditum ex AEgypto occidi nō potuit. At contra est quia Herodes iussit illum interfici, & post Herodem defunctum rediit Virgo; ergo non est tempus, quo illa cædes contingere potuisset. Nihilominus dicendū verá esse sententiam tantorum Patrū. Primo, quia nomen tenemus Zachariæ filij Barachiæ: sic enim vocat huius Zachariæ patré Hippolytus Martyr apud Nicephor. lib. 2. histor. c. 3. & pater alterius Zachariæ non erat Barachias, sed Ioiadas. Secundo, quia Christus Mathæi 23. cum scribis, & Pharisæis loquitur tamquam cū præsentibus, qui occiderint Zachariam inter templum, & altare: & alter Regis iussu occisus est à populo, cum nondum Pharisæorum hæresis exorta fuisset. Tertio quia Christus Dominus voluit primum, & nouissimum iustorum occisorum cōprehendere, & ita cœpit ab Abel, & conclusit in vltimo iusto occiso Zacharia: at post Zachariam filium Ioiadæ multi alij iusti fuerunt occisi, vt Isaias, Ieremias, & similes: non ergo hos voluit præterire, sed comprehendit potius. Quarto, quia adeo hoc de patre Ioannis, certum erat in primitiua illa Ecclesia, vt Gnostici hæretici, supponentes occisum inter templum & altare, in reddēda ratione occisionis errauerint, vt docet Epiphanius hæresi 26. Ad rationem initio propositam dicimus, vt dicit Epiphanius eo

A. Chrysost.

Quis Zacharias occisus.

Hieronym.

Dubitatio de nece Zachariæ patris Ioānis.

Christus de Zacharia patre Ioannis locutus.

Primo.

Hippolytus.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

De tempore occisionis Zachariæ. loco, Zachariam non fuisse occisum statim, sed superstitẽ fuisse dies aliquot post Ioannis natiuitatem, & prædixisse de Ioanne, & de aduentu Christi in natiuitate, in carne ex sancta Virgine Maria per Spiritum sanctum. Itaque vel ex his, quæ nouit ex visitatione Mariæ cœpit denunciare Christum, & Deiparam commendare; & quando ascendit Virgo in templum ei locum cum virginibus permisit, id ipsum prædicans. Et tunc quidem nõ est occisus, sed post fugam in AEgyptum, cum ad Regem gesta in templo per uenissent: qua ratione Rex, & scribæ excanduerunt in Zachariam, affirmantem Christum verum natum, & Deiparam Virginem, & ita occiderunt eum. Rex quidẽ suo imperio, aut voluntatis insinuatione; scribæ, & Pharisæi re ipsa, inter templum, & altare: nam & Simeonem ait Epiphanius libro de vita, & interitu prophetarum, confectum annis obiisse, nec tunc à sacerdotibus, postremum honorem consecutum, humatum esse. Creditur id factum eamdem ob causam, quod Christum, & parentem eius prædicasset.

Epiphan. Simeon inhumatus, ob Christũ prædicatum.

13 FILIVM. MACROBIVS lib. saturnalium 2. cap. 4. Cum audisset (Augustus) inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum, iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, Melius est Herodis porcum esse, quam filium. PHILO lib. 2. de temporibus. Anno vero 30. principatus sui tyrannici Sanedrin de domo Dauid deleuit, & Annanelum quemdam, atque Sanedrin ex proselytis suffecit; qui nimirum videbantur in lege eruditi, tum & Salomen sororem suam, & virum eius de tribu Iuda, itemque proprium filium, quem ex vxore eiusdem tribus susceperat, interfecit, quod diceretur in lege promissus Christus natus.

Herodes suum filium occidis. Macrobius Philo.

Herodes Synedrion abstulit. Salomen sororem interfecit.

HERO-

HERODI TRISTI GENERE mortis extincto succedit in Regnum Archelaus, & Virgo cum Infante ex Ægypto reuertitur.

Cap. XII.

NEC tam execrandum facinus contra Christum, & coëuos illi infantes perpetratum, inultum iustus Deus abire passus est, quin huiusmodi tam miserando morbo, impietatis, i pœnas exigeret ab impio Rege. Ad extremum vitæ properãtem Herodem acerbior in dies excruciabat morbus: lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehẽdebatur, quã intus depopulabatur viscera: aderat & vehemens voracitas, cui necesse esset cibos suggerere continuo: simul vexabatur, & colicis passionibus, & intestinorum exulceratione: pedes tumebant humido, pellucidoque flegmate, similiterque inguina, ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda, nec minus molesta tentigine, non sine fœtore grauissimo: super hæc omnia neruorum contractione laborabat, & diffi-

cultate anhelitus: ita corpus eius vniuersum morbo correptum, variis perturbationum, & molestiarum tormentis distrahebatur. Præ tantorum vi dolorum animam acturus, mutata voluntate, testamentum mutauit prius institutum; in quo 3 Archelaum Iudeæ regem designauit, Antipam vero Herodem Galileæ simul, ac Pereæ Tetrarcham; Philippo deinde Traconiticam, Gaulaniticam, Bataneã, & Paneada regiones Tetrarchiæ nomine etiã assignauit: omnia nihilominus Augusti arbitrio confirmanda relinquens. Quibus sic cõstitutis 4 trigesimo septimo regni sui anno Hiericunte, prope festum paschale, vitam cum morte pessima cõmutauit. Archelaus, curato patris funere pro regia dignitate, post celebratum pascha, Romam ad Cæsarem, testamenti paterni confirmandi gratia, ocyus nauigat. Adfuit mox Antipas, adfuit & Philippus, pro sua quisque parte de regno contenturus. multum, diuque acta causa coram Augusto, & Senatu. Cæsar mediam regni partem Toparchiæ nomine dedit Archelao, qua Iudœa, Samaria, & Idumæa comprehendebatur, regem eum etiam, si se dignum exhibuisset, facturum pollicitus: Philippo, & Antipæ germano Archelai fratri, Herodis

testamento donata constabiliuit omnia. His ita ab Imperatore confectis Archelaus Iudæam repetit, multis ob longam 5 absentiam seditionibus perturbatam. Interim Angelus Domini apparuit in somnis Iosepho in Ægypto, dicens ei: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & redi in terram Israel. 6 Defuncti sunt enim, qui puero vitam eripere nitebantur. Consurgens ille confestim, vt ei fuerat imperatum, accepit puerum, iam in AEgypto 7 septimum agentem annum, vna cum matre eius, & profectus est in terram Israel. Ad quam dum propius accedit, audit, Archelaum pro Herode patre suo regnare in Iudæa, in qua decreuerat 8 habitare, & 9 timuit eo ire, & in somnis admonitus, secessit in Galilæam; vbi elegit ad habitandum ciuitatem Nazaretham, vt quod erat à prophetis de puero IESV prænunciatum, nempe vocandum esse Nazarenum, adimpleretur.

Testimonia.

Herodis supplicium. Iosephus. 1 POENAS. IOSEPHVS lib.17. antiquitatum cap.9. Herodem porro amarior indies morbus vrgebat, supplicia Deo comissi sceleris expetente. Et infra. Dicebatur ab his, quibus inerat diuinandi peritia, diuinitus has pœnas ob impietatem eius, & multa crudeliter gesta deposci. Et lib.1. de bello Iudaico cap.21. Qui hæc ad diuinitatem referrent vltionem eam esse dicerent Sophistarum.

Euseb. EVSEBIVS lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. Verum deinceps, quæ merces crudele Herodis facinus contra Christum, & pueros eius æquales admissum subsecuta sit, & quo pacto statim post, nulla vel minima quidem dilatione interposita diuina vltio illum dum adhuc in vita manebat, exagitauerit, & quasi procœmia rerum ei post discessum è vita obuenturarum euidenter ostenderit, operæprecium est intelligere. Et infra. Ceterum quomodo statim post insidias seruatori nostro, & aliis infantibus factas, cælitus inuenta plaga illum ad extremũ vsq; spiritum afflictarit, non erit alienum vocibus auctoriis ad verbum citatis attente auscultare.

Chrysost. CHRYSOSTOMVS homilia 2. in cap.2. Mathæi. Post hæc autem dignam pœnam Herodes suscepit: nam ipse multis doloribus apprehensus est, sicut refert historia, quam longum est narrare. Quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebatur: & quia multoties mori non poterat, qui multos occiderat infantes, propterea vindicta morientium plurimorum in pluribus ei doloribus reddebatur.

Haymo. HAYMO Episcopus in 2. Mathæi. Dominum nostrum Iesum Christum persequi non destitit, vnde diuina vltione percussus.

Euthym. EVTHYMIVS in secundum Mathæi. Nec multo post, puerorum interfector Herodes pœnas dedit violentæ cædis, acerba morte vitam soluens, prout scribit Iosephus.

Niceph. NICEPHORVS lib. primo Ecclesiast. historiæ cap.15. Quomodo autem post illam iniustissimam

cædem

cædem, diuina vindicta Herodem hunc bellum Deo mouentem sit vlta, quasi prooemium (quod dicitur) futurorum malorum exhibens, operæprecium est commemorare. Et infra. Vt vero impius ille suscepto aduersus Deũ bello, diuino mulctatus flagello, ex hominibus excesserit æquum omnino est cognoscere. *AVCTOR.* Quamuis Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 8. & 9. & lib. 1. de bello Iudaico cap. 21. hanc diuinam vltionem Herodi contigisse dicat, quod Mathiam, & Iudam viros præstantissimos, & doctissimos, iuuentutis institutores, quod aquilam aureã de limine templi abstulissent, cum sociis, igni viuos tradiderit: verum certius habendum est quod nostri Ecclesiastici affirmant infanticidii pœnas ea ratione persoluisse. Et satis constat, quia antequam aquilam deiecissent hi viri, iam Herodes morbo illo pessimo affictabatur, vt ipse Iosephus confitetur. *Auctor.* *Iosepho causa morbi Herodis quæ.*

2 ACERBIOR. IOSEPHVS lib. 7. Antiquit. cap. 9 Herodem porrò, amarior indies morbus vrgebat, supplicia Deo commissi sceleris expetente. Ignis quippe lentus inerat, non tantum conflagrationem in superficiẽ corporis agentem prodens, quantum intrinsecus crescẽs operabatur incendium: auiditas quoque in explebilis semper inerat cibi, nec tamen satietas vmquam rabidis incitatam faucibus valebat implere ingluuiem: intestina internis vlceribus tabida putrescebant, doloribus quoque coli sæuissimis cruciabatur: humor liquidus, ac lucidus erga pedes tumidos oberrabat: similis illi quoque & circa pubem erat afflictio. Sed & verenda ipsa putredine corrupta scatebant vermibus: spiritus quoque incredibilis erecta tentigo, quæ fuerat satis obscæna diritate fœtoris, & anhelitus respiratione creberrima: contractus quoque per cuncta membra subsistens vim noxiam operabatur, quæ omnem tolerantiæ contulerat firmitatem. Dicebatur igitur ab his, quibus inerat diuinandi peritia, diuinitus has pœnas ob impietatem eius, & multa crudeliter gesta deposci. Idem libro primo de bello Iudaico cap. 21. Hinc totum eius corpus morbo occupatum variis doloribus diffe- *Morbus acerbissimus Iosephus.* *Vltio diuina ob crudelitatem Herodis.*

differebatur. Nam febris quidem non mediocris erat, pru rigo autem intolerabilis habebat omnem corporis superciem, assiduis autem vexabatur coli tormentis, pedesque tamquam ex intercutis vitio tumuerant: qnin & inflatio ventriculi, putredoque virilis membri vermiculos generans: ac propterea creber anhelitus, & irrupta eum suspiria, membrorumque omnium cōtractio fatigabat. EGESIPPVS libro primo de excidio Ierosolymitano capite 45. Vnde incommoditas aucta, & grauioris ægritudinis vis diuersis totum corpus passionibus depascebatur: febris erat vehemens, vt supra ex Iosepho de bello Iudaico. EVSEBIVS in chronico anno Domini 6. Herodes morbo intercutis, atque scatentibus toto corpore vermibus miserabiliter, & digne moritur. Idem libro primo historiæ Ecclesiast. cap. 8. Ceterum quomodo statim post insidias seruatori nostro, & aliis infantibus factas, cœlitus inuecta plaga illum ad extremum vsque spiritum afflictarit, non erit alienum vocibus auctoriis ad verbum citatis attente auscultare: qui quidem in decimo septimo Iudaicæ antiquitatis libro, vitæ illius exitum accurate scribit ad hunc modum. Herodem acerbior indies excruciabat morbus, & cetera vt supra Iosephus. In primo quoque de Iudæorum expugnatione non diuersam ab his tradit de illo sententiam, sic enim scribit. Hinc corpus eius vniuersum &c. vt supra ex Iosepho. CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, HAYMO, CHRISTIANVS DRVTHMARVS, EVTHYMIVS, & NICEPHORVS referunt vbi supra Iosephum.

Egesippus. *Euseb.* *Chrysost.* *Theophyl.* *Haymo.* *Druthm.* *Euthym.* *Nicephor.*

3 ARCHELAVM. IOSEPHVS lib. 17. Antiquitat. cap. 10. Deinde mutata voluntate mutauit etiam testamentum: Antipam enim, quem prioribus tabulis regni successorem destinauerat, Galileæ simul, ac Pereæ Tetrarcham constituit, regnum vero Archelao largitus, Trachoniticam, Gaulaniticam, Bataneam, & Paneada regiones Tetrarchiæ nomine assignauit Philippo germano fratri Archelai. Idem capite. 17. Post paucos dies Cæsar Arche-

Archelaū regem designat Herodes *Iosephus.* *Tetrarchiæ.*

Archelaum quidem regem non pronunciat, dimidiæ vero Iudeæ regionis quæ Herodi tributa reddebat, Toparcham constituit, spondens ei quoque regiam dignitatem, si laboribus, & fauoribus circa semetipsum meritus appareret. Alteram vero dimidiam bifariã distribuit alteris Herodis filiis, Philippo videlicet, & Antipæ. Idem lib. primo de bello Iudaico cap. 21. Deinde rursum corrigit testamentum, & successorem quidem Archelaum natu maximum Antipæ fratrem scripsit, Tetrarcham vero Antipã. Et lib. de bello Iudaico cap. 4. Paucis autem diebus post, mediam regni partem sub Ethnarchiæ nomine dedit Archelao, etiam regem si se dignum præbuisset facturum esse pollicitus, reliquam vero dimidiam in duas Tetrarchias diuisit, duobusque aliis Herodis filiis attribuit, vnã Philippo, alteram Antipæ, qui cum Archelao de regno certauerat. EGESIPPVS lib. 1. de excidio Ierosolymitano cap. 45. Atque iterum mutauit testamentum, regemque Archelaum instituit seniorem ex fratribus; Antipæ Tetrarchiam reliquit. Et lib. 2. cap. 1. Auditis partibus Cæsar sententiam distulit, deinde collato cum senatu consilio, Archelaum genti præposuit, vt fungeretur rectoris munere, non regni honore; spopondit tamen & regnum daturum, si se ita gereret, vt probaretur: Tetrarchas duos constituit Herodis filios, Philippum, & Antipam, qui cum Archelao de regno tentauerat. AVCTOR. Hanc vniuersam historiã ex Iosepho, qui eã satis fuse refert, sumpserunt reliqui. Tantum aduertendus error in Iosepho lib. 7. Antiquit. cap. 10. Philippum germanum Archelai fratrem designante, cum tamen ipse libro primo de bello Iudaico cap. 21. Archelaum Antipæ fratrem constituat. Quod certius facit lib. 17. Antiquit. cap. 2. & lib. primo de bello Iudaico cap. 18. quem sequitur Egesippus lib. 1. de excidio Ierosolymitano cap. 42. Vbi affirmat nouem fuisse Herodis vxores, quarum duæ nullum filiũ genuerunt, Dorim Antipatri matrem: Mariamnem Pontificis filiam, Herodis matrem; Maltacem Samaritanam, ex qua Antipam habuit, & Archelaum; Cleopatram Ierosolymitem

Egesip.

Auctor.

Iosephi error notatus

Herodis vxores nouẽ.

solymitem Herodis,& Philippi matré: Palladem, ex qua Phaselus natus; Phedram deniq;, & Elpidem. Ex eadem ergo matre Maltace Samaritide asserit prognatos Archelaum,& Antipam, qui alio nomine Herodes dictus est Galileæ Tetrarcha.

Tempus obitus Herodis ac regni. 4 TRIGESIMO SEPTIMO. IOSEPHVS lib.17. Antiquit. cap.10. Defungitur regnans, postquam à Romanis regnũ perceperat annos 37. & lib.1. de bello Iudaico cap. 21. Moritur regno potitus 37. annos, postquam rex à Romanis declaratus est. *Iosephus.* *Egesipp.* EGESIPPVS lib.1. de excidio Ierosolimytan. cap.45. defecit 37. annis, ex quo à Romanis imperitare iussus est, regno potitus. *Euseb.* EVSEBIVS in chronico. Deficiente Pontificum principatu, regnauit Herodes alienigena annis 37. *Epiphan.* EPIPHANIVS hæresi 20. cõtra Herodianos. Qua propter in 37. annis Herodis, puer erat quatuor annorũ, quãdo Herodes impletis annis 37. vitã finiuit. *Sulpitius.* SEVERVS Sulpitius lib.1. sacræ historiæ. Herodes post natũ Christum regnauit quatuor annis, nã omne regni tẽpus 37. annorũ fuit. *Auctor.* *AVCTOR.* Nemo ab hoc regni Herodis annorũ numero discrepat, nisi Beda, qui libro de sex ætatibus 36. annos tantũ dat regno Herodis: solũ dissensio grauis est de initio horũ 37. annorum, qua de re supra latius cap.7. numero 19. disseruimus.

Auctor. 5 ABSENTIAM. *AVCTOR.* Archelaũ à morte patris Romã nauigasse, ac lõgo ibi tẽpore, nõ minus quã per annum, vt ego coniicio, cõmoratum, antequã in Iudæã rediisset; ex causa de regno cũ Antipa corã Cæsare, & senatu acta, & ex multis seditionibus in Iudæa interim exortis, facile potest persuaderi. Quia vero omnia hæc late refert Iosephus lib.17. Antiquit. à c.12. vsq; ad finẽ, & lib. 2. de bello Iudaico à c.1. vsq; ad sextũ, ex quo desumpsit Egesippus lib.2. de excidio Ierosolymitano ca. 1. & 2. ex Iosepho ipso ad cõpendiũ reducemus, vt ipsa negociorũ tractatione, & seditionũ dilatione, cognoscatur quantum tẽporis Romæ fuerit moratus Archelaus: hinc enim, vt certũ colligemus Christũ infantẽ nõ reductũ ex AEgypto statim ac interiit Herodes, sed postquã rediit Archelaus
Iosephus. *Egesipp.*

laus Roma,& in Iudæa Toparchæ munere pacifice fungebatur. Defuncto Herode Hiericũte pnblice testamẽtum est lectũ,in quo Archelaũ successorẽ scripsit; sed adiecta Cæsaris cõfirmatione, ad quem anulũ ferre mãdauerat. Hinc communis gratulatio: Archelaus curat funus regia põpa,ex vltimo c.li.1.de bello Iudaico,& 17.Antiq.c.11. septẽ diebus in lugẽdo patre consũptis,epulisq; feralibus magnifice populo exhibitis,cãdida veste indutus,ascẽdit ad tẽplũ,gratias acturus;vbi variis gratulationibus exceptus est:celebratis hostiis, cũ esset cũ amicis in epulis,cœpit luctus,& seditio excitari propter Iudæ,& Mathiæ necẽ,quos Herodes moriturus, propter abscisam ex porta tẽpli aquilã aureã,igni tradiderat. Itaq; instãte Azimorũ festo,quod pascha nominãt Iudæi,multitudo concitabatur ad seditionẽ;sed iussu Archelai omnes ad sua reuertebãtur,neglecta diei celebritate.Ipse vero necessitate illarũ turbarũ coactus Romã proficiscitur; vbi cepta est cõtentio de regno inter Archelaũ,& Antipã,& in Concilio Romanorum,cui Caius prẹerat,ex vtriusq; parte peroratũ est:sed re nõ confecta discessum.Interim Pentecostes festo ex Galilæa,Idumæa, & Hiericunte copiosa multitudo confluebat Ierosolymam,non religionis ergò, magis,quam indignatione:cui sedandæ & Sabinus, & Varus cum copia militum non satis erant. Multi deinde regni cupidine tumultus ciebant:vt in Idumæa duo millia veteranorum:in Sephori Galileæ Iudas filius Ezechiæ principis latronum: transflumen quoque Simon quidam ex regiis seruis:tum etiam & pastor quidam,cui nomen Antrongæus regnum ausus est affectare. Quas turbas vt componeret Varus,coacto exercitu, omnem regionem peragrat;multas vrbes diruens; multos ex ciuibus cruci affigens;donec rebus apud Ierosolymam compositis, Antiochiam rediit.Romæ autem Archelao alia rursus cum Iudæis causa excitata est,ius genti suæ libertatis petẽtibus. Conuocato ergo optimorum Concilio in Apollinis templo,& causa perorata, tandem Cæsar conuentum diremit,donec paucis post diebus,mediam regni partem,sub

Historia profectionis Archelai ad Cæsarem.

Seditiones variæ.

Ethnar-

Ethnarchię nomine, dedit Archelao, reliquam vero dimidiam in duas tetrarchias diuisit, duobusq; aliis Herodis filiis attribuit, Philippo, & Antipæ. Sic in Iudæam reuersus Toparchiam suscepit. Ecce quantum temporis spacium in tot, ac tantis negociis componẽdis oportuerit insumi; profecto non minus anno. Quod & inde confirmatur magis, quod Egesippus lib. 2. de excidio Ierosolymitano cap. 1. apud Cæsarem, senatumque de regno Archelai confirmando, abrogandoque diu decertatum, ait. Præterea quia Herodes iam moriturus, Mathiam pontificem, quod sediciosis visus esset assentire, remouit sacerdotio, & Azarum substituit, fratrem vxoris suæ, vt refert Iosephus lib. 17. Antiquitatum cap. 8. & tamẽ Archelaus, mox vt Iudæam attigit Iozarum Boethi filium de pontificatu remouit, Eleazarum autem fratrem eius subrogauit, vt idem refert eo lib. cap. 19. Pontificatus autem per annũ, vt minimum durabat. Et ita Onuphrius huius Pontificis creationem in secundo Archelai anno constituit.

Egesippus.

6 DEFVNCTI. HIERONYMVS in secundum Math. Ex hoc colligimus non solum Herodem, sed & sacerdotes, & scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos. *AVCTOR.* IMPERFECTI. homil. 2. in Mathæum. Non dixit mortuus est, qui quærebat animam pueri, sed mortui omnes, qui requirebant animã pueri, quia omnes principes consenserunt Herodi, vt requireret puerum, & occideret. REMIGIVS, sed si multi fuerunt, quomodo tam breui spacio extincti sunt? quia Herode mortuo occisi sunt omnes maiores, qui in custodia tenebantur. HAYMO Episcopus in secũdum Math. Mortui sunt &c. hic datur nobis intelligi, quia non solum Herodes voluit Dominum interficere, sed & principes sacerdotum. Et infra. Ita infelix miseram vitam finiuit, & statim ad iussionem eius omnes proceres Iudæornm interfecti sunt, iusto Dei iudicio exigente, vt qui in nece Saluatoris, & paruulorum cõsenserunt, simul etiam cum eo terminum vitæ darent, & ideo ait angelus Ioseph, mortui sunt, ostẽdens etiam in necem Saluatoris,

Heron. *Anct. Imp.* *Remigius.* *Haymo.*

vel

vel paruulorum principes Iudæorum consensisse. Et infra. Quia non dixit defunctus, sed defuncti: ex his angeli verbis intelligimus multos principes Iudæorum cum Herode in necem Domini cōsensisse, ideoque diuina vltione actum est, vt multi ex his cum illo perirent, cum quo in necem Domini consenserant. CHRISTIANVS Druthmarus. Esse potuit vt alii morerentur in tanto spacio, qui malam voluntatem habuissent in Christum. ZACHARIAS Chrysopolitanus lib. in vnum ex quatuor ca. 11. Ex hoc loco intelligimus scribas, & Sacerdotes cū Herode necem Domini fuisse meditatos. EVTHYMIVS. Quærentes animam pueri, vt eam auferrent, & à corpore separarent, dicit eos, qui Herodem contingebāt. *AVCTOR*. Refert Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 8. & lib. 1. de bello Iudaico cap. 21. & Egesippus lib. 1. de excidio Ierosoly. cap. 45. duos fuisse viros, & supra ceteros legis expositores doctissimos, populo etiam amabiles, propter iuuētutis eruditionē, semper enim apud eos totos cōsumebant dies cūcti, quibus inerat studiū, & cura virtutis; qui zelo diuinæ legis, cū nossent Herodē iā morti proximū, concitata iuuētute aureā aquilā de tēpli limine deiecerunt, ac disciderūt; qua propter eos cū sociis quibusdā, viuos igni tradi iussit; & Mathiam Pōtificem Pontificatu remouit, quod illis consensisse visus sit. Hos ex illis fuisse, quos in aduētu Magorum cōsuluit Herodes, vbi Christus nasceretur, & responderunt, in Bethlehem Iudæ, non dubito; an vero consenserint infantium neci, & non curauerint inquirere, an natus esset Iesus, vt eum reciperent, incertum. Vocabantur hi, Iudas Aurifei, & Mathias Gargulothi. Putant autem auctor imperfecti, Remigius, & Haymo, principes quos carcere concludi iusserat Herodes viuens, eo mortuo interfectos; cum contra asseuerit Iosephus lib. illo. 17. ca. 10. & libro primo de bello Iudaico cap. 1. omnes enim liberi emissi sunt. Aliis videtur Angelus per tropum locutus, accepto plurali pro singulari; dixerat enim, defuncto Herode, ita Remigius, & Christianus Druthmarus, quemadmodum cū Exod. 2. dictum

Druthmar.

Zacharias Chrysop.

Euthym.

Auctor. *Ioseph.* *Egesipp.*

Iudas, & Mathias doctissimi interfecti.

Aliorum opinio.

esset, Pharaonem quæsiuisse occidere Mosem, statim cap. 4. dicitur, vade, & reuertere in Aegyptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam. Verum prior expositio, quò communior est, eò verior.

Iesus septennis reuertitur ex Aegypto. *Ammon.* *Anselm.* 7 SEPTIMVM. AMMONIVS Alex. in harmonia Euãgelica. Crescebat interea puer, & confortabatur spiritu, continuum septenium anni agens in Aegypto, vsq; post Herodis interitum, quem vbi Ioseph cœlitus per quietẽ didicerat, reducem sese, tum patriæ Nazareth protinus exhibuit. ANSELMVS in cap. 2. Mathæi. Et cum ibi latuisset septem annos, in quadam ciuitate diutius habitauit, quæ vocata est Eliopolis, id est, ciuitas solis. *Comestor.* PETRVS Comestor in historia Euangelica cap. 23. Archelai regni anno primo angelus dixit Ioseph, vt rediret cũ matre, & puero in terram Israel, qui rediens ab Aegypto post annos septem, cum audiret quod Archelaus pro patre regnaret in Iudæa, noluit illo ire. *Auctor.* *AVCTOR.* Eusebii sententiam esse rediisse ex Aegypto Christum. 7. suæ *Eusebius.* ætatis anno, constat ex eius chronico, in quo cum 37. anno Herodis constituat eius mortem, eumdem assignat sextum annum Christi: & septimum coniicit in primum Archelai. Sed ex his, quæ diximus numero 5. id satis patens est: nam si 32. anno Herodis natus est Christus, vt est communior patrum sententia, ergo quinto anno Christi obiit Herodes, & cum Archelaus integrum fere annum Romæ fuerit moratus, qui erat Christi sextus, postquam domum redierat, septimum iam agens annum reducitur Christus. Nam quod dixit euangelista, audiens quod Archelaus regnaret in Iudæa, non tantum est intelligendum institutum fuisse regem pro Herode, sed iam ibi esse, & exercere munus regium cœpisse, vnde non abs re Martyrologia omnia Bedæ, Adonis, Vsuardi, & Romanum, *Delatio ex Aegypto celebris.* *Sententia aliorum.* septima die Ianuarii constituunt delationem pueri Iesu ex Aegypto, cum præcedenti Martio, prope pascha interiisset Herodes, & filius eius Archelaus, Romæ sua negocia gessisset, & iam ante Ianuarium rediisset, regnumq; à Cæsare Tetrarchiæ nomine traditum, cœpisset administrare.

nistrare. Sed auctores alii diuersa sentiunt, nam Epiphanius, quem Georgius Cedrenus secutus est hæresi 21. quinto anno ætatis rediisse fatetur dum ait, 37. anno Herodis, quo vitam finiuit quatuor annorum fuisse Christũ, nam natus est, inquit, anno eius 33. in principio autem regni Archelai rediit ex Aegypto. Quod autem dicit tãtum duos annos mãsisse in Aegypto, propterea affirmat, quod putat adoratum puerum post duos annos: quam sententiam iam supra cap. 7. numero 10. refutauimus. Propter eamdem rationem idem Epiphanius hæresi 78. sic ait, nam in tricesimotertio anno primi Herodis filii Antipatri nascitur Saluator in Bethlehem Iudeæ, qui erat 42. Augusti regis; & perfectis duobus annis abducitur à Ioseph in Aegyptum, propter ea, quæ Herodi à Magis dicta erant, Herode quærente puerum. Descendit autem in Aegyptum, & perfecit istic alios duos annos, & moritur Herodes rex anno 37. succedit autem huic Archelaus filius ipsius per annos nouem. Alii tres annos in Aegypto virginem cum Christo commoratam affirmant, sic Arethas in cap. 12. Apocalypsis, apud ipsum 35. tempus, inquit, & tempora, & dimidium temporis, continere dicunt moram, qua fuit in deserto Christus, hoc est, in Aegypto, quæ tres annos, & dimidium comprehendit temporis vitæ Herodis: & Nicephorus lib. 1. histor. cap. 14. & Ioseph quidẽ id facit, inquit, trienniiq; apud Aegyptios exilium tolerat: sic etiam Christianus Druthmarus, vsque ad obitũ Herodis, inquit, scilicet vsq; ad tres annos, quod est tempus ablactationis, quo antiqui filios suos ablactabant. Sed cum supra cap. 7. num. 7. probauerimus nõ post duos annos, sed post 40. dies ductum Iesum in Aegyptũ, verius est ab eo tempore vsque ad Archelai initium mansisse exulem cum matre sua.

Epiphan.

Duos annos moratus est in Aegypto Christus.

Tres alii putant.

Arethas.

Nicepho.

Druthmar.

Refellitur horum opinio.

8 HABITARE. HILARIVS in 2. Mathæi. Reuerti ad Iudæam iubetur, & reuersus timet. EPIPHANIVS hæresi 51. Post duos natiuitatis annos visus est Ioseph Angelus, & dixit, vt assumeret puerum, & matrem in terram Aegypti. Qua propter nõ amplius reflectit Ioseph

Hilarius.

Epipha.

in Nazareth, sed aufugit cum puero, & matre in Aegyptum, & alios duos annos istic transigit; & sic rursus angelus post Herodis obitũ, reuerti iubet eundem in Iudæã.

Chrysost. CHRYSOSTOMVS homilia.9.in Mathæum. Rediens montanam illam regionem reliquit, & in propriam rursus habitationem reuertitur, & crudelem illum paruulorum interfectorem videt extinctum, deinde ingressus domum priorum discriminum reliquias offendit, filium scilicet tyranni viuentem, atque regnantem.

Zachar. ZACHARIAS Chrysopolitanus lib.1.in vnum ex quatuor cap. 11. Audiens ab angelo Ioseph, vade in terram Israel, intellexit Iudæam vocari terram Israel, præsertim cum videretur ei talem puerum, non alibi debere habitare, nisi in Ierusalem, vbi erat templum, & celebratio Prophetarũ. Porro autem postquam comperit illic regnare Archelaũ, noluit obiicere se illi periculo, cum posset terra Israel etiam sic intelligi vt & Galilæa illic deputaretur, quia & ipsam populus Israel incolebat.

Domiciliũ in Iudæa futurũ Christo.

Euthym. EVTHYMIVS in secundum Mathæi. Terram Israel simpliciter dicit Palestinam; volebat quidẽ habitare in patribus Iudeæ, siquidem Iudæa, & Galilæa Palestinæ regiones erant; verum Bethlehem sita in Iudæa suspecta erat.

Auctor. *AVCTOR.* Cũ angelus monuit Iosephum vt rediret in terram Israel, vniuersam regionem Palestinæ intellexit; & ob id Iosephus volebat habitare in Iudæa, in ciuitate Bethlehem patria sua, in qua & domicilium habuerat: at animaduertens opinionem, quæ de Archelai crudelitate ferebatur, secessit in Galilæam; & quidem certius est ex dictis patribus Bethlehem habitare voluisse, quamuis Augustinus libro secundo de consensu euangelistarum cap. 9. quem sequuntur Rabanus, & Zacharias prædictus, dicat videri potuisse parentibus Christi cum puero, de quo talia per angelica responsa didicerant, non esse habitandum nisi in Ierusalem, vbi erat templum Domini: postea vero ob timorem Archelai mutasse voluntatem, quia non iubebantur diuinitus ibi habitare, quibus verbis concedit voluisse in Iudæa habitare, & in

Israel Palestinam significat.

August.

Rabanus.
Zachar.

vrbe Ierusalem; At Ioseph timor coniectari facit voluisse habitare Bethlehemi, sed memoria infanticidii timorem incussit, vt Chrysosto. indicauit, & in Galæam secessit.

6 TIMVIT. IOSEPHVS lib. 17. Antiquit. cap. 14. Verum Archelaus postea, verens ne non germanus Herodis filius crederetur, nihil vltra distulit, sed statim aperuit suæ mentis indicia: & cum nondum erat regni consecutus integram firmitatem, qualiter posset in futuro illud regnum gerere, ex his quæ in ipsis initiis perpetrare præsumpsit; vt ciues in templo die festo velut numini eos offerens auderet occidere; vnde iuste vniuersæ genti illum fuisse exosum, propter merita suæ crudelitatis, & sceleris, & cap. 19. interea, decimo anno principatus Archelai, omnis nobilitas Iudæorum, primatesque Samariæ non ferentes crudelitatem eius, moresque tyrannicos, apud Cæsarem accusationem ei instituunt. Et lib. 2. de bello Iudaico cap. 4. Archelaum autem, quasi metueret ne nó certus eius filius videretur, à cæde trium millium ciuiũ regni sumpsisse primordia. Et cap. 6. Ethnarchia suscepta memor discordiæ superioris, Archelaus, non solum Iudæis, sed etiam Samariensibus crudeliter abusus est. EGESIPPVS lib. 2. de excidio Ierosolymitano cap. 2. Archelaus profectus in Iudæam propter obscænitatem morum, & insolentiam accusatus apud Cæsarem est. THEOPHYLACTVS. Timuit autem Ioseph in terram Iudeæ abire, eo quod Archelaus similis patri suo erat. EVTHYMIVS, verum propter Archelaum timuit illo ire, ne forte & ipse patrem imitaretur. *AVCTOR.* Crudelitatem Archelai fuisse causam timoris Iosepho, & Deiparæ Virgini, ne auderent Bethlehemi habitare non debet dubitari, à qua liberum fuisse Herodem Antipam Galileæ Tetrarcham etiam certum est, ne metuerent sub eius ditione morari.

Timor Iosephi. *Iosephus.* *Archelaus crudelis, vt pater.* *Egesipp.* *Theophyl.* *Euthym.* *Auctor.* *Timor Ioseph ex Archelai crudelitate.*

(∴)

VITA VIRGINIS VSQVE *ad Iosephi obitum, & Christi adolescentiam. Cap. XIII.*



VM vero, more solito, 1 sexto Archelai anno, quo & Iesus 2 Siæ filius summum gerebat pontificatum, 3 Iosephus, & Maria Ierosolymam ascenderenr ad paschalem solennitatem celebrandam, (ea quippe illis fuit consuetudo per singulos annos obseruata,) & Iesum puerum secum ducerēt iam duodecimū annum agentem; festo absoluto Ierosolymis in patriam recessuri 4 præmiserunt puerum cum cognatis, & notis, ac cetero comitatu, aliquantulo post celeriter secuturi. Sed puer cum illis paululum progressus, cum vel loco stetisset, quasi parentes spectaturus, vel ad illos rediturus, hospicium versus tenderet, iter alio flexit: atque ita insciis omnibus, & cognatis, & notis, ipsisque parentibus, subduxit sese, ac Ierosolymis remansit. Parentes, emenso eius diei itinere, cum existimarent puerum, vt pote quem præmiserant, esse in comitatu, requisierunt illum inter

cog-

cognatos, & notos, & cum non inuenissent, altero die regressi sunt Ierosolymam: vbi cum eum ad tertium vsque diem quæsiuissent, eo demun die inuenerunt in templo, in doctorum medio considentem, audientem illos, & interrogantem. Erat hic 5 mos Iudæis, cum vel in templo, vel in synagogis, ad differendum 6 de lege conuenirent, vt sedentes disputarent, & seniores quidem dignitate in cathedris, quæ ordine erant disposita: ceteri minoris ordinis in subselliis; nouissimi omnium in pauimentis super mattas: quibus dabatur dicendi locus, cum quippiam illis fuisset reuelatum. Omnia tamen maiores diiudicabant. Ad hunc ergo congressum admissus puer, tam diserte ad ea, quæ interrogabantur respondebat, vt omnes quotquot aderant, & prudentiam pueri, & responsa eius stuperent, & in exiguo corpore tantam eruditionem mirarentur. Dissoluto congressu accessit mater ad eum, dixitque, fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, cui ille, quid est quod me quærebatis? nesciebatis quod in his, quæ patris mei sunt oportet me esse? & hęc quidem ille. Sed parentes non intellexerunt quod dicebat; & descẽdit cum

illis Nazaretham: vbi vtrique parenti obsequentissimus, nutritio etiam suo 7 in fabrili exercitatione, qua 8 victum sibi quærebant, inseruiebat, tanta fuit in Iosephum, quoad is vixit, obseruantia: nã paulòpost, cùm Christus fere adoleuisset, 5 mortuus est. Maria autem omnia pueri gesta considerans conseruabat ea in corde suo.

Testimonia.

Iesus 12. annos agebat sexto Archelao anno. Auctor.

1 EXTO. AVCTOR. Diximus superiori capite num. 7. Christum septimum annum egisse, cum Herodis filius Archelaus Iudæam cœpit gubernare; vnde necessario colligitur, sexto illius anno Christum natum fuisse duodecim annos, quos & Eusebius in chronico huic anno adscribit; & cum hanc viam ceperit Maria cum puero Martio mense, nempe mense Nisan, quo pascha celebrabatur, quo tempore diximus cap. 12. nu. 4. vita functum Herodem, & Archelaum successisse, sequitur iam fuisse completum Archelao sextum annum, quãdo puer incœperat duodecimum per tres menses, à 25. Decembris, quo natus est vsque ad Martium.

Iesus Siæ filius Pontifex. Iosephus.

2 SIAE FILIVS. IOSEPHVS lib. 17. Antiquit. cap. 19. Archelaus autem Toparchiam suscipiens, mox vt Iudęam attigit, Iozarũ Boethi de põtificatu remouit, exprobrãs ei, quod cũ sediciosis vna cõuenerit, Eleazarũ autem fratrẽ eius ad pontificatũ surrogat: sed neq; Eleazarus in põtificatu, diuturno tẽpore perseuerauit, siquidem etiã super ipsum cõstituit Iesum Się filiũ. Interea decimo anno principatus Archelai, omnis nobilitas Iudæorum, primatesq; Samarię, nõ ferentes crudelitatẽ eius, moresq; tyranni-

tyrannicos, apud Cæsarem accusationem ei instituunt. AVCTOR. Cum ex Iosepho constet, duos Pontifices constitutos ab Archelao, Eleazarum in principio Regni sui; qui non diuturno tempore durauit, & Iesum Siæ filium, qui vsque ad extremum annum Archelai tenuit pontificatum, certo colligitur sub hoc Pontifice Iesum Mariæ filium, duodecimum annum egisse, & Ierosolymã ascendisse: & proculdubio coram illo interrogasse, ac respondisse in templo ea, quæ Lucas refert. 2. cap. vt verus Pontifex Iesus secundum ordinem Melchisedech, Iesum Pontificem secundum ordinem Aaron suis interrogationibus, & responsionibus de re desideratissima instrueret, nempe de omnium completione in se ipso prophetiarum.

3 IOSEPHVS. LVCAS cap. 2. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solenni Paschæ: & cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisq; diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. *Consuetudo Lucas.*

4 PRAEMISERVNT. AVCTOR. Hanc esse vnam ex verosimilioribus causis, quæ possunt asignari, qua se subduxerit à parentibus Iesus, constare potest. Primo, quia quam tradunt quidam, quod viri à mulieribus distincti redirent, & ita apud alterutros existimasse quemuis parentum esse puerum Iesum, quod putauit Beda in secundum Lucæ, & Haymo eum sequutus, vera non est, quia Lucas ait, existimasse parentes puerum esse in comitatu inter cognatos, & notos, non autem apud alterutros ipsorum. Secundo, quia ex verbis Lucæ colligitur iam in ipso regressu remansisse puerum, parentibus nescientibus, sed existimantibus illum esse in comitatu; ergo illum secum non ducebant, sed à principio præmiserant cum comitatu, & ita non erant soliciti donec emenso primo die, cum in hospitio quærerent puerum inter cognatos, & notos, rediere Ierosolymam, eum non inuenissent. *Auctor. Causa remansionis Iesu Ierosolymis.*

Mos Iudæorum consi-dendi in synagogis. *Paulus.* *Mathæus.* *Marcus.* *Lucas.*

5 MOS IVDAEIS. PAVLVS Actorum 24. Neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantẽ, aut concursum facientem turbæ, aut in synagogis. MATHAEVS cap. 23. 6. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis. MARCVS cap. 12. 36. Cauete à scribis, qui volunt in stolis ambulare & salutari in foro, & in primis cathedris sedere in synagogis. LVCAS cap. 11. 43. Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in synagogis. Et cap. 20. 46. Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationem in foro, & primas cathedras in synagogis. AMBROSIVS 1. Cor. 14. Hæc traditio synagogæ est, quã nos vult Paulus sectari, quia Christianis quidẽ scribit, sed ex gentibus factis, non ex Iudęis; vt sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, nouissimi in pauimento super mattas: quibus si reuelatũ fuerit, dandum locum dicendi præcipit, nec despiciendos, quia membra corporis sunt. *AVCTOR.* Satis colligitur ex dictis locis traditio hæc, quam Ambrosius refert, iuxta quam Paulum locutum affirmat. 1. ad Corint. 14. cum dicit. Quid ergo est fratres, cum conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri diiudicent, quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat & cetera.

Ambrosius *Traditio synagogæ.* *Auctor.*

Iesus de lege disputat. *Titus.* *Theophyl.* *Euthym.* *Auctor.* *Iesus de Messia sermonem mouet inter doctores.*

9 DE LEGE. TITVS Bostrorum Episcopus super cap. 2. Lucæ. Quid interrogabant? Ea vtique omnia, quæ erant legis, faciebantque ad legales sanctiones, & ritus. THEOPHYLACTVS. Rogans eos de lege. EVTHYMIVS. De legalibus, vt à puero intelligant. *AVCTOR.* Dubitari non debet puerum IESVM suis interrogationibus obtulisse occasionem sacerdotibus, & scribis, & ceteris, de Mesia, quem iam iam expectabant, loquẽdi: atque ita de ea re subortum sermonem, tum quia ipse dixit matri, nonne in his, quæ patris mei sunt oportet me esse? Tum quia natu maior, quoties ingrediebatur aliquam synagogam, vel templum de nulla alia re, quam de hac sermonem instituebat. Quod quidem faciebat frequen-

quentissime. Vt ipse dixit Ioan. 18. 20. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt. Sic Math. 4. 23. Circuibat IESVS totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni: quod ipsum dicitur cap. 9. 35. & Luc. 4. 16. dicitur in Nazareth ingressum secundũ consuetudinẽ suam die Sabbathi in synagogam, surrexisse legere, & explicuisse locum Isai. 61. de ipso scriptum. Et Ioan. 6. in synagoga tradidit doctrinam de sacramento Eucharistiæ. Cũ ergo hoc vnicum fuerit ei negocium à patre commendatũ, & in his quæ patris sunt oportuerit illum fuisse, profecto hac de re sermonem instituit in templo. *Consuetudo Christi loquendi de suo aduẽtu.*

7 IN FABRILI. MARCVS cap. 6. 3. Non ne hic est Faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Iose, & Iudæ, & Simonis? IVSTINVS Philosophus, & Martyr, in dialogo cum Triphone. Cum Fabri tignarij filius haberetur informis videlicet, quemadmodum scripturæ annũciauerant apparens, faberque & ipse putaretur esse, fabrilia namque, cum in hominibus esset, faciebat opera, aratra, & iuga conficiens. BASILIVS in constit. monast. c. 5. Cum prima sua ætate parentum suorum imperio esset subiectus, & labores corporis omnes æquo vna cum ipsis animo, illis obediens, tolerauit; verisimile est enim, cum homines illi essent, & iustitiæ, & pietatis cultores, tenues tamen, solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum quæritare. Porro IESVS cum his, vt diuinæ literæ prædicant, esset subditus, sine dubio in perferendis etiam, vna cum ipsis, laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam. *Iesus fabrilem artem exercuit. Marcus. Iustin. M. Basilius.*

8 VICTVM. BASILIVS de constitut. monast. cap. 5. cum prima sua ætate. Et cetera vt supra numer. 7. LEANDER Hispalensis lib. de institutione virginũ. Sed & Iosephus, cui desponsata fuerat, cũ esset iustus, erat tamen pauper, ita vt victum, & vestitum artificio quæreret. *AVCTOR.* Si pauperes erant, vt notauit Origenes homil. 8. in Leuitic. Et Chrysostomus homil. 67. in Mathæum. Et Christus indiscendis literis non occuparetur, *Victum arte quærebant. Basilius. Leander. Auctor. Origenes. Chrysost.*

procul-

proculdubio in aliqua arte exercebatur. Et in qua certius, quam in ea quam exercebat Iosephus? de qua supra cap. 4. num. 9. satis multa diximus.

Iosephi mors. *Epiphanius* 9 MORTVVS EST. EPIPHANIVS hæresi. 78. contra Antidicomarianitas. Sed neque post reditũ ab AEgypto idẽ Ioseph multis annis vixit; quartus enim annus erat Saluatori, Ioseph autẽ quartus supra octuagesimum, quando ex AEgypti regione reuertebatur, & permansit aliis octo annis Ioseph superstes, & in duodecimo anno, ascendentibus illis Ierosolyma, quæsitus est, quando non reperiebatur in itinere. Post hos annos moritur Ioseph, & educatus est nõ amplius à Ioseph, sed in domo Ioseph, vnde non amplius dixit Euangelium, quod venit pater ipsius, & fratres, sed ecce mater tua, & fratres tui foris stant. Sed neque quando dicebant ad ipsum in Idumæa, nemo hæc faciens in occulto esse vult, si hæc facis manifesta te ipsum, non dixit quod dixerit ad ipsum, pater eius, & fratres eius solum, velut Ioseph non amplius existente secundum corpus. Deinde in ipsa consumatione, quando Saluator in cruce pendebat, velut habet Euangelium secundum Ioannem, conuersus, inquit, vidit discipulũ, quẽ diligebat Dominus, & dixit ipsi de Maria: ecce mater tua, & eidem dicit, ecce filius tuus: si vero fuissent filij Mariæ, & si fuisset ipse vir, qua ratione tradidisset ipsam Ioanni, & Ioannem Mariæ? *Hieronym.* HIERONYMVS aduersus Heluidium. Præsertim cum Euangelium Ioannis testetur, præsentem eam illic fuisse, quando illam de cruce Dominus iam viduam, & matrem, Ioanni commendabat. *Cedrenus.* GEORGIVS Cedrenus, in compendio historiæ. Videns eum Baptista dixit: en agnus Dei. Quo audito Andreas, & Ioannes Iesum secuti sunt: eo Nazarethem reuerso Iosephus moritur. *Auctor.* *AVCTOR.* Cyprianus sermone de passione Domini paulo post medium. *Ambros.* Ambrosius in primũ Lucæ, & libro de institutione virginum cap. 6. & lib. 10. *August.* Epistolarum, epistol. 79. Chrysostomus homil. 5. in Mathæum, *Arnoldus.* & homil. 3. in Acta Apostolorum. Augustin. sermone 81. de tempore, & Arnobius Abbas Bonæ vallis, tractatu in

verba

verba Domini, mulier ecce filius tuus, affirmant Iosephũ vixisse, etiam cum Christus passus est: nam inde probant illum non fuisse virum Virginis, hoc est, eam non cognouisse, quod alij, nempe Ioanni commendata sit, non ipsi Ioseph. Verum certius est illum obiisse prope baptismum Christi, quod asserit & Cedrenus in compẽdio historiæ, & satis colligitur ex Euangelio, in quo nulla fit eius amplius mentio, cum sermo fit de Maria, & fratribus aliis; & cum inuitari oporteret ad nuptias Cana cum sponsa sua, nihil de hac re dicitur, quasi iam vita excessisset. Et quidem, cũ Lucæ 2. dicatur, Christus subditus fuisse Iosepho, & Mariæ, cum esset duodecim natus annos, non est dubitandũ aliquod tempus superuixisse. Et cum Marci 6. conciues eius Nazareni dicant, nonne hic est Faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Iosæ, & Iudæ, & Simonis, nonne, & sorores eius hic nobiscum sunt. Et Math. 13. 55. Nonne hic est Fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Iose, & Simon, & Iudas? Et sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? ostendunt profecto iam obiisse, siquidem nullam de illo mentionem faciunt, sicut de aliis, qui apud eos erant. Et cum Luc. 4. 22. dicerent iidẽ, nonne, hic est filius Ioseph, & Ioannis 6. 42. Nonne, hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem, quomodo ergo dicit hic quia de cælo descendi? etiam ostendunt non multo ante excessisse Iosephum.

Iosephũ vixisse etiam tempore passionis Christi.

Opinio certior.

Cedrenus.

Ratio temporis mortis Ioseph disquiritur.

MATRI VALEDICTO

Christus baptismum petit, cuius deinde opera primum in nuptiis manifestatur. Cap. XIIII.

POstquam autem ad ætatem peruenit Christus, qua in lucẽ prodire definierat, audiens Ioannem 1 in Bethabara trans Iordanem solennem baptismũ 2 iam diu celebrare, matri Virgini valedicens, & 3 Nazaretha discedens, ad Ioannem se contulit, ab eoque præ modestia renuente 4 sexta Ianuarij, 5 Dominica die, anno quintodecimo Imperij Tyberij Cæsaris, & 6 quarto Pilati Iudeæ procuratoris, ac quinto Iosephi Caiphæ Pontificatus, 8 cum trigesimum iam per dies tredecim inchoasset annum, baptizatus est. Inde in interius actus desertum, integros quadraginta dies ieiunus transegit, ac tres dæmonis tentationes superauit. Sic reliquum illius anni tempus priuatus degens, 9 ad Pascha celebrandum Ierosolymam ex consuetudine ascendit, Martio sequenti. 10 Matrem visitabat non raro: 11 cum Ioanne in spelunca prope Iordanem cõ

morante conuersabatur: & quos obuios habebat homines, pro data occasione, 12 sua doctrina priuatim imbuebat: donec tandē post insignia Ioannis de eo testimonia reddita, aliquos sibi discipulos adsciuit, quibuscum è Iudæa profectus in Galilæam, 13 tertia die, ex quo Iudæa recesserat, quæ erat 14 sexta Ianuarij, ad nuptias; quæ tunc in Cana celebrabantur, cum suis discipulis vocatus est, cum iam trigesimum primum ætatis annum per dies tredecim ingressus esset. Aderat etiam tunc ibi, & Maria mater eius, quæ cū his qui 15 fratres Iesu dicebantur, 16 ob necessitudinem, quæ ei cum sponsis intercedebat, venerat inuitata è Nazaretha ciuitate sua, octo à Cana milliaribus dissita, Orientem versus. 17 Vbi cū inter nuptiales epulas vinum deficere animaduertisset, ad filium mater accurrit, commiseratione mota, atque illi, vinum non habent, inquit: cui filius, quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea: illa ex vultu filij dignoscens voluntatem, conuersa ad ministros, quodcumque, ait, dixerit vobis facite. Tunc Christus cum sex hydriis, quæ ibi tunc in conspectu erant, aqua repleri iussisset, confestim in vinum eam conuertit, adeo præstans, vt & Architriclinus, &

conuiuæ

conuiuæ reliqui mirarentur. Sic opera Virginis primo hoc admirabili signo gloriam suam Christus manifestauit, & inde maiorem de illo discipuli eius concepere opinionem.

Testimonia.

Ioannes in Bethabara baptizat. *Ioannes.* *Hieronym.*

1 N BETHABARA. IOANNES cap. 1. Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioãnes baptizans. HIERONYMVS lib. de locis Hebraicis. Bethabara trans Iordanem, vbi Ioannes in pœnitentiam baptizabat; vnde & vsque hodie plurimi de fratribus, hoc est, de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur. *Greg. Tur.* GREGORIVS Turonens. lib. de gloria Martyrum cap. 17. Ipse quoque Iordanis ab eo loco, in quo Christus baptizatus est, in quinto milliario, mari commixtus mortuo, nomen amisit. *Brocardus.* BROCARDVS in descriptione terræ sanctæ cap. 7. à Ierícho per duas leucas versus Iordanem, est sacellum structum in honorem sancti Ioannis Baptistæ, vbi putatur Dominus ab eo baptizatus. *Auctor.* *AVCTOR.* Scripsit de huius loci celebritate, & Beda de locis sanctis, cap. 13. & Gregor. Turonens. vbi supra, & cum constet ex Iosue 4. 5. & 6. partem Iordanis, qua transierunt filij Israel, è regione fuisse vrbis Iericho, quo loco dicitur baptizasse Ioannẽ, sequitur baptismum Christi eo ipso loco celebratum, quo à populo transeunte figuratus est. *Christus baptizatus in Iordanis parte per quam populus trãsiuit.*

2 IAM DIV. *AVCTOR.* Augustus obiit duobus Sextis consulibus die 19. Augusti mensis, quo ipso die Tyberius suscepit Imperium, ergo die 19. Augusti cœpit suum annum decimumquintum, quo anno Christus 25. Decembris compleuit annos 29. & inchoauit trigesimum *Ioannis baptismi inchoatio.* *Auctor.*

ſimum: cum ergo Ioannes baptiſmum inchoauerit eo anno, antequam Christum baptizaret, vt conſtat Lucæ 3. Et Chriſtus baptizatus ſit die 13. Ianuarij, vt dicemus, ergo cœpit Ioannes baptiſmum, non ante tres, aut quatuor menſes, nempe à Septembri, antequam Chriſtum baptizauerit, vt verum ſit quod dicitur Lucæ 3. Anno quinto decimo imperij Tyberij Cæſaris, egreſſum Ioannem in deſertum, vt prædicaret baptiſmum pœnitentiæ.

Ioannes cœpit baptizare in ſeptembri.

3 NAZARETHA. MATHAEVS cap. 3. v. 13. Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannē, vt baptizaretur ab eo. MARCVS cap. 1. v. 9. Et factum eſt in diebus illis, venit Ieſus à Nazareth Galileæ, & baptizatus eſt à Ioanne in Iordane. LVCAS cap. 3. 21. Factū eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt cælum.

Ieſus à Nazareth venit ad baptiſmū. Matthæus. Marcus. Lucas.

4 SEXTA. ORIGENES homil. 1. in Ezechielem. Eo menſe, qui apud Romanos Ianuarius nuncupatur, baptiſmum Domini factum eſſe, cognoſcimus, qui eſt mē ſis quartus ab anno nouo, iuxta ſupputationē Hebræorū. EVSEBIVS Pamphili Epiſtol. ad Marinum, ex cōmuni, & antiqua traditione, ſexta Ianuarij factū teſtatur. AMBROSIVS ſerm. 18. de ſancta Epiphania. Hoc totum hodierno die geſtum eſſe manifeſtum eſt, quod ita verum eſſe ipſa poſſumus colligere ratione. Ratio enim exigit, vt poſt diem natalis Dominici, licet interpoſitis annis, eodē autem tempore hæc feſtiuitas ſequeretur. Ibi, cum ſecundum hominē naſcitur, mater eum Maria ſinu circūfouet, hic cum ſecundum myſterium gignitur, pater eum Deus voce complectitur, ait enim, hic eſt filius meus, in quo bene complacui. Igitur Dominus Ieſus hodie venit ad baptiſmum, & corpus ſuū ſanctum voluit aqua dilui. Et ſerm. 21. de die ſancto Epiphaniæ. Nonnulli in hac ſancta die ab Ioanne baptizatum Chriſtum in Iordane teſtantur, atque in lauacri eius gratia interfuiſſe loquendo Deum patrem, ſane tum quoque Spiritum deſcendiſſe. Et ſermo. 22. Ad omnes vos fratres prædicationem meam in die ſancta Epi-

Ieſus ſexta Ianuarij baptizatur. Origenes. Euſebius. Ambroſius.

phaniæ peruenisse credo, in qua descripsimus, tunc, non nullis asserentibus aquam in vinum fuisse conuersam, plerisque autem testantibus illa die in Iordane Dominum baptizatum: HIERONYMVS super caput 1. Ezechielis. Illud quoque intelligendum est, quod in tricesimo ætatis suæ anno dominus ad baptisma venerit, in quarto mense, qui apud nos vocatur Ianuarius, & est in anni primus exordio: quintam autem diem mensis adiungit, vt significet baptisma, in quo aperti sunt Christo cæli: & epiphaniorum dies hucusq; venerabilis est, non vt quidam putant natalis in carne, tunc enim absconditus est, & non apparuit. ABBAS ISAAC apud Cassianum collat. 10. cap. 2. Intra AEgypti regioné mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracto Epiphaniorum die, quem prouinciæ illius sacerdotes, vel dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis esse definiũt, & idcirco vtriusque sacramenti solennitatem non bifarie, vt in occiduis prouinciis, sed sub vna diei huius festiuitate celebrant. AVGVSTINVS serm. 37. de tempore. Quamquã nonnulli hodie dominum à Magis æstiment adoratum, alij aquam in vina mutasse, quidam vero baptizatum illum à Ioanne confirment, in omnibus tamen filius Dei creditur, in omnibus est vera festiuitas. Et sermone 29. In hac die siue quod stella ortus sui nũcium præbuit, siue quod aquã in vinum conuertit, siue quod in Iordanis vndis aquas ad reparationem humani generis suo baptismo consecrauit, in quolibet horum salutis nostræ mysteria continentur. SEDVLIVS in hymno de vita Christi.

Hierony m.

Isaac.

Augustin.

Sedulius.

Ibant Magi, quam viderant.
Stellam sequentes præuiam,
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere:
Lauacra puri gurgitis.
Cælestis agnus attigit,
Peccata, quæ non detulit,
Nos abluendo, sustulit:

Nouum

Nouum genus potentiæ,
Aquæ rubescunt Hydriæ,
Vinumque iussa fundere,
Mutauit vnda originem.

PETRVS Chrysologus sermone 57. Christus diuerso tempore, vno eodemque die, Magorum munere, aquæ mutatione, atque patris voce, Deus trino testimonio nos citur, fitque de trina ostensione Christi Epiphaniæ vna, & sacrata solennitas. Et serm. 160. Tribus modis hodie Christi deitas est probata, Magorum munere, patris testimonio, aquæ mutatione in vinum, quia tribus stare omne verbum scripturæ firmauit auctoritas. MAXIMVS sermone 10. de Epiphania. In hac celebritate, sicut relatu paternæ traditionis instruimur, multiplici nobis est festiuitate lætandum; ferunt enim hodie Christum dominum, vel stella duce à gentibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias aquas in vina vertisse, vel suscepto à Ioanne baptismo consecrasse fluenta Iordanis. Et quam recte tria hæc mysteria vno acta die prædicantur, qui ineffabile Trinitatis arcanum vno Dei sub nomine confitemur. S. LEO Papa epistola quarta. Si quis autem Epiphaniæ festiuitaté, quæ in suo ordine, debito honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc quidá putant, quod in ea die Dominus ad baptismum Sancti Ioannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliá fuisse rationem. ISIDORVS Hispalensis Episcopus libro primo de officiis Ecclesiasticis, capite de Epiphania. Epiphaniorum diem festa solennitate viri Apostolici signauerunt, quia in eo per stellam est saluator osté sus, siquidem eo die idem Iesus etiam Iordanis lauacro tingitur, diuisoque cælo Spiritus sancti descendentis testimonio Dei filius esse declaratur; eius diei nomen ex eo quod apparuit gentibus Epiphania nuncupatur. Tribus ergo ex causis hæc dies hoc vocabulum sumpsit, siue quia tunc in baptismo suo Christus populis ostensus fuerit, siue quod eo die syderis ortu Magis est proditus, siue ꝙ prima

Petr. Chrys.

Maximus.

S. Leo.

Isidorus.

ſigna per aquam vinum factum multis eſt manifeſtatus.

Bernardus. BERNARDVS ſermone 1. de Epiphania. Nec ſola hæc apparitio, ſed altera quædam (ſicut à patribus noſtris accepimus) hodie celebratur, quæ, & ſi longo poſt tempore, facta creditur hoc ipſo die. Et ſermone 2. Tres apparitiones Domini legimus, vno quidem die, ſed non vno tempore factas, & quidem mirabilis ſecunda, mirabilis tertia, ſed prima apparitio mirabilius admiranda: mirabilis aquarum mutatio, mirabilis Ioannis, & columbæ pariter, & paternæ vocis atteſtatio, ſed illud mirabile magis, quod agnitus eſt à Magis.

Auctor. Epiphanius ait mẽſe Nouebri Chriſtum baptizatum. AVCTOR. Epiphanius ſolus hæreſ. 51. putat Chriſtum menſe Nouembri, die eius octauo baptizatum, ſic enim ait, in trigeſimo conſulatu à natiuitate ſua, circa decimum menſem venit ad Ioannem, & baptizatus eſt in Iordane fluuio, trigeſimo anno natiuitatis in carne, hoc eſt ſecundum AEgyptios Athyr menſis duodecima, ante ſextum Iduum Nouembrium.

AEgyptij putant quo die natus eſt fuiſſe baptizatum. Chryſoſto. Hieronym. Caſsianus. AEgyptij etiam, vt refert Chryſoſtom. homil. in Luc. 2. de Natiuitate. Hieronym. Ezech. 1. Caſsianus collat. 10. cap. 2. die ipſo quo natus eſt Chriſtus dicunt, & baptizatum. Sed confutant eos Chryſoſtom. & Hieronym. communi Eccleſiæ traditione, & conſenſu: quæ vbiq; ſexta Ianuaaij baptiſmũ celebrat Chriſti. Quod & num. 7. probabimus ratione efficaci.

Die dominica baptizatur. Sexta Synodus. Auguſtin. Diei Dominicæ myſteria.

5 DOMINICA. SEXTA SYNODVS actione 18. c. 8. vt ſupra c. 7. num. 13. AVGVSTINVS ſer. 154 de tempore. Venerabilis eſt hæc dies, qui Dominicus dies, & dies primus, atq; perfectus eſt, & dies clarus, in quo viſa eſt prima lux, in quo tranſgreſſi ſunt filij Iſrael mare rubrũ ſiccis pedibus, & in quo pluit manna filiis Iſrael in deſerto, & quo Dominus baptizatus eſt in Iordane, quo vinum de aqua in Cana Galileæ factum eſt, quo benedixit Dominus quinque panes, quibus ſatiauit quinque millia hominũ; in quo reſurrexit Dominus à morte, quo intrauit Dominus in domos clauſas, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: in quo Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos, & in quo ſperamus Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum ad iudicium venturum.

Pilati annus quartus Iosephus.

6 ET QVARTO. IOSEPHVS lib.18. de antiqnit. cap.4. Huic Augusto succedit in principatu Tyberius Nero, qui fuit Romanis tertius Imperator, sub quo quintus Iudæorum rector Valerius Gratus efficitur Annij Ruffi successor. Et infra. Et Gratus quidem talia gerēs Romam reuertitur, postquam vndecim annos in Iudæa compleuerat, huic successor Pontius Pilatus effectus est. Et cap.7. Tunc Pilatus, postquam in Iudæa decimum cōpleuit annum, pergit Romam Vitelij iussione compulsus: sed antequam Romam veniret Tyberius ex humanis rebus abscessit. EVSEBIVS lib. 1. histor. cap. 9. Idem scriptor in decimo octauo antiquitatis libro, anno Tyberij duodecimo Pontium Pilatum Iudeæ Regnum obtinuisse, atque eumdem decem annos continuos ad Tyberij fere occasum ibidem commoratum, enarrat. Et cap. 10. Eodem tempore, vt scribit Euangelista, cum iam Tyberius Cæsar decimumquintum Imperij sui annum, & Pōtius Pilatus quartum suæ præfecturæ ageret, seruator, & Dominus noster Iesus Christus, quando iam trigesimum ætatis suæ annum agere incipiebat, ad Ioannem, vt lauacro baptismatis tingeretur se contulit. *AVCTOR.* Eusebius in Chronico primū Pilati annum consignat 13. Tyberij, vnde Nicephor. lib. 1. c. 18. Tertium Pilato Iudeæ præside, inquit, Ioannem ad prædicandum afflatum. Verū cum constet ex Iosepho decem annos præfuisse Iudeæ vsque ad vltimum Tyberij, hoc est 22. necessario colligitur, anno Tyberij duodecimo incepisse, atque ita quarto eius annno Christum baptizatum à Ioanne.

Eusebius.

Auctor.

Eusebij, Nicephorique error corrigitur.

Cayphæ annus quint⁹. Iosephus.

Valerius Gratus procurator Iudeæ.

Pontificis successio.

7 AC QVINTO. IOSEPHVS lib.18. antiquitate cap. 4. Huic Augusto succedit in principatu Tyberius Nero, sub quo quintus Iudæorum rector Valerius Gratus efficitur, Annij Ruffi successor. Is Ananum remouens sacerdotio, Ismaelum filium Iabi Pontificem designauit: sed & hunc nō multo post abiiciens, Eleazarū Annæ Pontificis filium sacerdotio surrogauit; post annū vero etiam hunc arcet officio, & Simoni cuidam, Camiti filio ministerium Pontificatus attribuit: sed non amplius &

ipse quam vnius anni spacio eodem perfunctus officio, Iosephum, cui Caiphas nomen fuit, habuit ordine successorem: & Gratus quidem talia gerens, Romam reuertitur, postquam vndecim annos in Iudęa compleuerat: huic successor Pontius Pilatus effectus est. Et cap. 7. Tunc Pilatus, postquam in Iudæa decimum compleuit annum, pergit Romam Vitellij iussione compulsus, sed antequam Romam Pilatus veniret Tyberius ex humanis abscessit. Et cap. 8. Vitellius autem veniens in Iudæam ascendit Ierosolymam: & erat forte tunc festiuitas à maioribus instituta, quæ Pascha vocatur. Et infra. Vitellius túnc secundum morem antiquum stolam illam pontificum potestati contribuit, neque permisit, vt quando vsui opus esset à Gazophilace peteretur. Hoc itaque beneficium Iudæis indulgens, Pontificem Iosephum cognomento Caipham sacerdotali remouit officio, cui Ionatham filium Annæ in pontificale ministerium subrogauit. *AVCTOR.* Ex his Iosephi dictis constat quarto, aut quinto anno Tyberij à Valerio Grato constitutum Caiphā pontificem, & perdurasse vsque ad finem Tyberij, vsque ad 37. aut 38. Christi annum, per 16. aut 17. annos. Anna autem socer Caiphæ, vt constat Ioan. 18. 9. dicitur princeps sacerdotum, non quod esset summus Pontifex, hic enim erat Caiphas, vt dicitur Ioan. 11. 49. & cap. 18. 13. sed vel quia tunc qui exacti fuerant Pontificatu, dignitate Pontificia, & nomine gaudebant, licet non officio, & potestate; atque ita Principes Sacerdotum, & Pontifices dicebantur. Vnde Ioan. 11. 47. dicitur, collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium. Et Lucæ 29. 16. Quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes, & Principes nostri. Ioan. 18. 35. Gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi. Hinc & Iosephus lib. 4. de bello Iudaico cap. 5. namque ait, auctor erat Ananus æuo maximus Pontificum, itemque sapientissimus. Et infra. Cum dixisset rusticum quemdam Phanum Samuelis filium ad Pontificatum euectum, subdit, Pontifices etiam probatissimi, Gamela quidem filius Iesu, Anani autem Ananus, populū frequenter

Pilatus succedit Grato.

Vitellius succedit Pilato.

Auctor.

Caiphas Pōtifex 16. annis.

Princeps sacerdotum cur Annas diceretur.

Principes & Pontifices dicebātur, qui?

Iosephus.

in cætibus exprobrando, contra Zelotas excitauerũt. Vel certe, quia multi principes dicebantur, qui non fuerant pontifices, principes sacerdotum vocabantur, qui erant de collegio Sinedrin 72. seniorum, cuiusmodi concilium collegerunt Pontifices, & pharisei. Et actuum. 4.5. dicitur, factum est autem in crastinum, vt congregarentur principes eorum, & seniores, & scribæ in Ierusalem, & Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexã der, & quotquot erant de genere sacerdotali. *vel qui erãt de magno collegio Sinedrin.*

8 CVM TRIGESIMVM. LVCAS cap. 3. 21. Factum est cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut colũba in ipsum, & vox de cælo facta est: tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi: & ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph. IRENAEVS lib. 2. aduersus hæreses cap. 39. Ad baptismum enim venit nondum qui triginta annos suppleuerat, sed qui inciperet esse tamquam triginta annorum: ita enim, qui eius annos significauit. Lucas, posuit: Iesus autem erat quasi incipiens triginta annorum, cum veniret ad baptismum. EVSEBIVS lib. 1. histor. Eccles. cap. 10. eodem tempore, & cetera vt supra num. 5. GREGORIVS Nazian. oratione 39. in sancta lumina, Iesus purgatur, & tu purgationem asper naris? à Ioanne, & tu aduersus præconẽ tuum insurgis? Trigesimum annum agens, & tu ante lanuginem senes doces? Et oratione 40. in sanctũ baptisma. At dices, Christus 30. anno baptizatur; lucere enim, atq; in hominũ oculis florere cœpit 30. demum anno, nõ autẽ ante id ætatis tempus. EPIPHANIVS hæresi 51. Erat autem Iesus incipiens esse annorum ferme triginta, filius existens, velut putabatur, Ioseph: erat enim reuera annorum 29. & mensium decem quando ad baptismum venit, triginta quidem annorum, sed non plenus. Quapropter dicit, incipiens esse annorum ferme triginta. Et infra. In trigesimo vero cõ sulatu circa decimum mensem, venit ad Ioannem, & baptizatus est in Iordane fluuio, trigesimo anno natiuitatis

Christus 30 anno inchoato baptizatus *Lucas.* *Iraneus.* *Eusebius.* *Gregorius.* *Epiphanius*

Hieronym. in carne. HIERONYMVS in cap. 1. Ezechielis. Secundum anagogem vero præfiguratur Dominus, atque saluator, qui triginta annos natus venit ad baptismum, quæ in homine perfecta ætas est. Vnde & in Numerorum volumine iuxta Hebræos, non, vt in septuaginta continetur, à vicesimo quinto ætatis anno, sed à trigesimo incipiunt sacerdotes in tabernaculo ministrare. Et infra. Illud quoq; intelligendum est, quod in tricesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptisma venerit, & cetera vt supra Numer. 4.

Augusti. AVGVSTINVS lib. 3. de mirabilibus sacræ scripturæ cap. 5. Hic igitur puer scientia præibat ætatem, donec

Rupertus. tricesimum annum agens ad Iordanem venit, & à Ioanne, & ipse baptismum suscepit. RVPERTVS lib. 2. in Ioannem ad finem. Toto anno illo, cuius initio baptizatus est, qui ætatis eius tricesimus annus extitit, absque miraculis taciturnus deguit: initio namq; tricesimi anni sui, videlicet eiusdem anni die tertiodecimo, baptizatus est: dicit enim Lucas, ipse autem Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, quod idem est ac si dixisset, quando baptizatus est Iesus annus tricesimus ætatis eius volui tūc cœperat.

Auctor. *AVCTOR.* Cū supra docuerimus numero quarto baptizatum Christum die sexta Ianuarij, necessario consequitur, vt dicamus fuisse diem illam sextam Ianuarij anni tricesimi Christi, si tricesimo anno baptizatus est, vt probauimus, vel anni tricesimi primi, vt vult Beda lib. de ratione temporum, cap. 45. quem loquendi modum indicauit Ignatius Epistol. 5. ad Trallianos, Chrysostom. homil. 10. in Mathæum, Euthymius Math. 3. & Bernard. serm. 1. Epiphaniæ, qui exactis annis 30. baptizatū dicunt Christū: qui tamē facile explicari possunt, iuxta illū modū loquendi Luc. 2. Postquā consumati sunt dies octo, idest, postquā accessit octauus dies. Origenes autē hom. 1. in Ezechiel. Iustinus dialog. cū Triphone, Ambros. Luc. 3. & Theophylactus, nihil noui præter Lucæ verba explicant, quæ habēt & erat Iesus incipiēs, quasi annorū triginta; quia reuera incipiebat esse quasi annorū triginta, quia incipiebat tricesimum annum per dies tredecim. Et confirmatur, quia

Anno 30. Christū baptizatum. Beda. Ignatius. Chrysostom. Euthym. Bernardus. Origenes. Iustin. M. Ambrosius. Theophyl.

Christus

Christus baptizatus est, vt omnium constat sententia, anno. 15. imperii Tiberii Cæsaris, iuxta caput Lucæ. 3. & cũ Tyberius inchoauerit imperium die. 19. mensis Augusti, quo Octauianus decessit, plenis. 56. annis, à primo consulatu inito; & Christus finierit suum annum. 15. Decembri mox secuto, sequitur eadem enumerandi ratione seruata, Tyberium confecisse suum annum. 14. die. 19. Augusti, & Christum suum. 29. die. 25. Decembris mox secuti, quo erant consules Silanus, & Nerua, anno. V. C. 781. & ab eo die. 19. Augusti mensis cœpisse Tyberium suum. 15. & Christum à die. 25. Decembris post illum Augustum secuti, inchoasse suum annum. 30. ex quo exactis septem tantum diebus Calendis Ianuarii statim secuti, creati sunt consules duo Gemini. C. Rubellius Geminus, & Caius Fusius Geminus. Iam ex his sic prænotatis hoc modo conficitur ratio. Vel Christus baptizatus est illo tempore medio inter diem. 19. mensis Augusti, quo cœpit Tyberius suum. 15. annum, & 25. Decembris, quo cœpit Christus suum. 30. nempe mense Nouembri, & sic Christus fuisset baptizatus. 29. annorum, deficiente vno fere mense ad complendum. 30. annum: quod nemo dixit, nec dici potest, quia nemo non concedit post inchoatum. 30. annum, iuxta diuum Lucam, Christum baptizatum. Vel baptizatus est completo anno. 30. & incepto. 31. vt dixit Beda, & ceteri relati, & hac ratione non fuisset Christus baptizatus anno. 15. Tyberii, qui completus est. 19. die Augusti ante Decembrem, quo Christus ingressus est. 31. annum, sed anno Tyberii. 16. contra dictum Lucæ ab omnibus, & ab ipso Beda, sic intellectum. Vel denique baptizatus est in anno trigesimo, cum complesset viginti nouem annos, & menses decem, sexto iduum Nouembris, vt dixit Epiphanius, & nec hoc verum est, quia certo sequitur, hac ratione non fuisse Christum baptizatum anno. 15. imperii Tyberii Cæsaris, sed. 16. siquidem mense Augusto præcedente dictum Nouembrem, vt sæpe diximus, compleuit annum. 15. & incœpit. 16. Vnde colligitur sibi ipsi contradicere Epiphanium, qui enume-

Ratio efficax.

Beda refellitur.

Epiphanius refutatur.

rans triginta consulatus à consulatu Augusti.13.cum Syluano, vsq; ad consulatũ Syluani, & Neruę, sub hoc dicit trigesimũ annũ egisse Christũ, cũ natus fuerit sub illo, quod quidẽ falsum est, quia si Christus natus est sub primo illo cõsulatu, ergo ad finẽ illius sex diebus antequã finiretur; nam sequens cõsulatus calendis Ianuariis incipiebat. In fine ergo.30.cõsulatus Syluani & Neruę, vt supra diximus, cœpit Christus suũ annũ.30.& statim post sex dies, creati sunt cõsules duo Germini, sub quibus necessario dicere debet baptizatũ Christũ, si Nouẽbri mẽse baptizatus est, vt quidẽ sub his consulibus baptizatum constituũt Christum Tertullianus lib. aduersus Iudęos c.8.& lib.1. aduersus Marcionem c.15. Lactantius lib. 4. cap. 10. Seuerus Sulpitius lib.2.sacræ historiæ, dũ hos cõsules assignant anno.15.Tyberii, quãuis errent hoc anno Christum passum asserentes: cũ ergo alii dicendi modi non cõprobentur veri, sequitur hũc esse certũ, quo dicimus Christum.15. anno Tyberii, sexta die Ianuarii, quo incœperat 30.annum per.13.dies, Consul. duobus Geminis, Christũ fuisse baptizatum. Beda autem ex eo videtur deceptus, quod Augusto tribuerit non quinquaginta sex annos imperii, sed quinquaginta septem, vnde decimum quintum Tyberii constituit sub sequentibus consulibus, sub quibus Christus annum agebat trigessimum primum

Christus baptizatus est duobus Geminis Coss.

Tertullian.
Lactantius.
Sulpitius.

Beda.

9 AD PASCHA. *AVCTOR.* Cum Christus baptizatus sit die sexta Ianuarii, & statim ductus sit ab spiritu in desertũ, ibiq; 40.dies ieiunauerit, ergo mansit in deserto ieiunãs vsq; ad. 15.Calendarũ Martii, hoc est vsque ad diẽ.15.Februarii: sequẽti vero Martio Pascha celebrabatur, ad quod venisse Christũ ex consuetudine quis dubitet? imo cum, vt mox ex Epiphanio dicam, statim post baptismũ redierit Nazarethã ad matrẽ, existimari, & non sine ratione, potest, Christũ cũ matre ascẽdisse Ierosolymã ad pascha celebrãdũ, imo sæpe ibi fuisse, quia Ioannis c.1. dicitur, medius autẽ vestrũ stetit, quem vos nescitis.

Christus ad 9. pascha ascendebat Auctor.

Christus ieiunauit vsq; 15 diem Februarij.
Epiphan.

10 MATREM. EPIPHANIVS hæresi. 51. Vt ostendat post.40.dies tentationis, & post reditum ab ipsa tenta-

Epiphan.

tentatione, & profectionem ad Nazareth, & Galilæam, rursus ad Iordanem ipsum venisse. Et infra. Hinc quadraginta dies tentationis, & duæ hebdomades, aut paulo amplius in Nazareth à diebus tentationis. Et infra. Postquam venisset ipse à tentatione, & transisset per mare, & Iordanem, & profectionem ad propria instituisset, digressus eò, vbi enutritus erat, ad matrem in Nazareth.

Auctor.

AVCTOR. Satis est verisimile, si Christus toto illo anno à baptismo ad nuptias, nihil publice egit, sæpe rediisse ad matrem, vt illam visitaret, & consolaretur.

Christus cũ Ioanne in spelunca cõuersatur.

Sophro. Ierosoly.

II CVM IOANNE. SOPHRONIVS Patriarcha Ierosolymitanus in prato spirituali cap. primo. Erat senex quidam habitans in monasterio Abbatis Eustorgii, Ioannes nomine, quem sanctus Elias Episcopus Ierosolymitanorum voluit ducem monasterii constituere; ille vero non acquiescebat, dicens, in montem Sina, orationis causa, pergere volo. Archiepiscopus autẽ cogebat eum, vt prius Abbas fieret, & postea pergeret, quo vellet. Cum vero senex non acquiesceret, dimisit eũ spondentem se, postquam reuersus esset suscepturum regiminis curã, & ita salutato Archiepiscopo iter arripuit, vt ad Sina montem proficisceretur, assumpto secũ & discipulo suo: transuadatoque Iordane fluuio, cum vix vno lapide processissent, cœpit senior rigore detineri, ac post paululum inuasit eum febris: cum vero in tantum excresceret ardor febris, vt ambulare non posset, inuenerunt speluncam paruulam, in quam ingressi sunt, vt requiescerent; cum vero febris ita inualuisset, vt se vix mouere posset, in ipsa spelunca tres dies commorati sunt. Tum senex in somniis aspexit quemdam adstantem sibi, & dicentem, dic senex quo ire vis? respondit, in montem Sina. Dicit ei, ne quæso recedas hinc: cum vero id seni persuadere non posset, abscessit; febris vero seni acrius infesta erat. Rursus nocte sequenti idem seni adstitit eodem habitu, & ait, quid senior afligi vis, audi me, & nusquam hinc proficiscaris, ait illi senex, tu quis nam es? respondit is qui apparuerat, ego sum Ioannes Baptista, & ideo

Baptista apparet seni.

& ideo tibi iubeo, vt nusquam recedas, nam spelunca ista breuis maior est monte Sina, quippe in hanc sæpius Dominus noster Iesus, cum me visitaret, ingressus est. Pollicere mihi, quod hic habitabis, & ego mox tibi sanitatem restituo, quod senex audiens, libenter spopondit se in eadem spelunca permansurum, & continuo sanus effectus, perseuerauit ibidem toto vitæ suæ tempore: speluncam vero illam fecit Ecclesiam, congregauit fratres. Appellatur locus ille Sapsas. Fuit in eodem loco Sapsas commorans in speleo senex alius tantæ virtutis, vt leones secum in eadem spelunca susciperet, atq; cibum in sinu suo ipsis præberet. *AVCTOR.* Cum Ioannis primo dicat ipse Baptista, & ego nesciebã eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritũ descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et iterum, & ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel, propterea ego veni in aqua baptizans. Quibus verbis significat ante signa data in baptismo Christi, se ignorasse, saltem de facie, & definite, Christum; ergo Ioannes, cum dicit, sæpius se visitatum in spelunca illa, loquitur sane de tempore post baptismum, quo iam illum agnoscebat, nec enim si visitabatur, poterat non illum agnouisse. Et quidem ex Ioannis primo colligitur aperte Christum post baptismum, & 40. dierũ ieiunium, ad Ioannem rediisse vt versu. 29. altera die vidit Ioannes Iesum veniẽtem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Et V. 35. altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei. Ergo sæpe alias venisse credendum est.

Sapsas locus.

Auctor.

Auctor.

12 SVA DOCTRINA. *AVCTOR.* Christũ eo tẽpore doctoris munere functũ fuisse, constat Ioan. 1. vbi refertur, duos discipulos Ioannis secutos Christum vocasse Rabi, quod est magister: & cum eo mansisse die illo, deinde Simonem Petrum, & Natanaelem, & Philippũ, cęterosque discipulos, quorum fit mentio cap. 2. illi adhæsisse vt magistro.

TER-

13 TERTIA DIE. IOANNES cap.2. 43. In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippũ, cap. 2. & die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ. ORIGENES tom.9. in Ioannem. Prima ergo die testimonia fiunt, altera Iesus ad Iordanem venit, tertia autem Ioannes (cum staret cum duobus discipulis, intuitusque esset Iesum ambulantem, ac dixisset: Ecce agnus Dei) præsentes admonet, vti sequantur filium Dei; iam in quarta die cum exire vellet in Galilæam, ille qui exiit ad quærendum quod perierat, inuenit Philippum, & dicit ei, sequere me: die vero tertia, post quartam, quæ sexta est in earum numero, quas à principio recensuimus, nuptiæ fiunt in Cana Galileæ. *AVCTOR.* Hæc Origenis expositio inter multas, quæ adhiberi solent, videtur magis rationi consona. Crastinus enim ille dies, quo voluit exire in Galileã, fuit primus dies, quo vocauit Philippũ. Secũdus quo postquã accessit Canã Philippus vocauit Natanaelem, qui erat è Cana, vt ait Ioannes c.21.2. & notat Hieronymus lib. de locis Hebraicis, Tertius, quo nuptiæ factę sunt; nec enim longe ab erat Cana à Iordane.

Tertia dies nuptiarum in Cana quæ: Ioannes. Origenes. Auctor.

14 SEXTA IANVARII. AMBROSIVS serm. 19. Epiphaniæ. Hodie procuramus gaudia. Ergo quia tunc primum apparuit Saluator mũdo, ipse dies eodem vocabulo Epiphania nuncupata est. Quomodo autem apparuerit, requiramus. Dicitur hoc primum fecisse miraculum, vt aquam mutaret in vinum. Et serm. 21. pleriq; in hac sancta Epiphaniæ die hactenus à Domino mirabilia facta esse cõmemorant, vt rogatus ad nuptias aquæ substantiam in vini speciem commutaret, ac liquorem fontium in meliorem vsum sui benedictione transferret. Et serm.22. ad omnes vos fratres prædicationem meam in die sancta Epiphaniæ peruenisse credo, in qua descripsimus tunc, nonnullis asserentibus aquã in vinum fuisse conuersam. EPIPHANIVS hæresi.51. In ipsa die natiuitatis suæ secundum carnem, (quam quintam, aut sextam Ianuarii putat) primum signum fecisse comperitur, mutatæ aquæ in vinum, cum expleuisset triginta an-

Sexta Ianuarij nuptiæ Cana celebratæ. Ambros. Epiph. dies. Epiphan.

nos.

nos. Et infra. Attamen vndequaq; , vndecima Tybi mẽsis prædicta Domini in carne natiuitas facta est, & circa ipsam vndecimam post annos triginta factum est primum signum in Cana Galilęæ, quando aqua facta est vinum. AVGVSTINVS sermo. 29. & 37. vt supra numero 4. EVCHERIVS Lugdunensis sermone de Epiphania. Hodie per documenta certissima Deus in homine declaratus, aquas ad salutem humani generis suo baptismate consecrauit, siue hæc eadem illius mirandi dies sit, qua primũ in Cana Galilęæ in nuptiali conuiuio aquas in vinum cõuertit. PETRVS Chrysologus serm. 54. & 160. MAXIMVS ser. 1. de Epiphania. ISIDORVS lib. 1. de officiis, cap. de Epiphania, vt supra num. 4. RVPERTVS lib. 3. de diuinis officiis cap. 24. Sãctus dies Epiphaniæ, cum tribus ex causis sit celebris, ea namq; die à Chaldæis Dominus est adoratus; itemq; annorũ triginta iam esse incipiens, à Ioanne baptizatus est; atq; redeũte anno ex aqua vinum fecit ad nuptias. Et infra. De tertia iam dictæ festiuitatis causa, scilicet de eo, quod Dominus vinum fecit ex aqua, quæri solet, qualiter eodem die, quo Dominus baptizatus est, factum esse cõueniat? Dominus namq; qua die baptizatus est, neq; discipulos elegit, neq; miracula fecit, sed statim ductus est in desertũ à spiritu suo, vt tentaretur à diabulo, vbi & quadraginta dierũ celebrauit ieiuniũ, atq; inde reuersus, tum demun discipulos elegit, quos & doctrinis instrueret, & miraculis confirmaret: numquid annũ suæ ætatis trigesimum, cuius in initio baptizatus est, totum sine discipulis exegit; & ita redeunte anno, eadem die, illud admirabile signum primũ coram discipulis fecit? ita sane credendum est, quomodo tria hęc, quę superius dicta sunt vna die celebrata esse secundũ sanctæ Ecclesiæ auctoritatẽ negare non possumus. Et li. 2. in Ioannem ad finem; Quo tẽpore anni, vel die, factum sit signũ istud, auctoritate sanctę Ecclesiæ dubitare prohibemur, quæ ipsa die, qua ipse Dñs adoratus est à Magis, & qua à Ioanne baptizari voluit, huius quoq; signi gloriã celebrare consueuit. Quod si eodẽ

die,

August.
Eucher.

Chrysolog.
Maxim.
Isidorus.
Rupertus.
Tria in Epiphania mysteria.

Annum 30. Christus sine discipulis exegit.

die, reuertente anno factum est; imo quia prædictæ auctoritati sanctæ Ecclesiæ indubitanter concedendum est, cogimur fateri, quia toto anno illo absque miraculis taciturnus deguit. Et infra. Igitur sicut à maioribus diligenter obseruatum, nobisque traditum, tricesimo primo ætatis suæ anno iam inchoato fecit gloriosum hoc signorum initium, dignum sequacibus suis. In hoc quoq; prouidens exemplum, ne quis immature virtutes suas in publicum proferat, in periculo perniciosæ vanitatis. Vbi vero toto illo anno fuerit, vel quid egerit, incertum est; nam si exacto quadraginta dierum ieiunio, statim à deserto rediit, & inter homines ambulauit, quomodo Ioannes, qui illum cælitus agnouerat, iamque ostenderat venientem ad se, dicens, Ecce agnus Dei: quomodo quæso lucerna lucens, quæ ad hoc accensa fuerat, vt omnibus illum ostenderet, toto illo anno se continuit, nec suis saltem indicauit discipulis? claret enim quod eis anno illo non indicauerit, qui nunc primum, id est, tertia die ante prædictas nuptias, illo iterum dicente, Ecce agnus Dei, gratulantur se inuenisse illum, & dicunt, inuenimus Messiam. Potest itaque recte intelligi, quod & post ieiunium quadraginta dierum, aliquantulum in deserto perstiterit, Mathæo dicente, reliquit eum tentator, & ecce accesserunt angeli, & ministrabant ei. Marcus quoq; videtur expressius indicare moram temporis, dicendo; eratq; cum bestiis, & angeli ministrabãt ei. BERNARDVS ser. 1. & 2. de Epiphania vt supra numero. 4. *AVCTOR.* Quamuis ex his patribus complures non audeant affirmare vinum conuersum ea ipsa die Epiphaniæ, Ianuarii sexta, verum satis illi assentiunt, dum communem esse in Ecclesia opinionem fatentur: imo sanctæ Ecclesiæ auctoritate firmatum non posse negari dicit Rupertus. Et quidem cum sub vna, eademque dubitandi ratione dicant, tribus modis eo die Christum apparuisse, per stellam, per baptismum, & in nuptiis, si vnum, aut alterum vt certum creditur, cur non credatur & tertiũ? aut si hoc incertum est, & duo alia incerta esse necesse est:

Virtutes immaturæ non publicandæ.

Post ieiuniũ Christus mãsit in deserto.

Bernar.

Auctor.

Triplex miraculum eodem die patratum.

eſt: ergo ſicut credimus vnum, credamus & aliud. Chriſtus igitur, ſi baptizatus eſt ſexta die Ianuarii, vt diximus, poſt baptiſmum ieiunauit 40. dies, & ſequenti die ſuperauit tentationes, die. 16. Februarii. Coniicit autem non immerito Rupertus dies aliquot in deſerto perſtitiſſe, poſt deuictam tentationem; deinde aliquod tempus permanſit Ieroſolymis, vt verum habeat dictum Ioannis, cap. 1. Ioan. ad Sacerdotes, & Leuitas miſſos Ieroſolymis, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis; & apud Ioannem manſit aliquod etiam tempus, in quo ab eo reddita ſunt illa de Chriſto teſtimonia, quæ refert Ioan. cap. primo, & vt minimum ſex dies ibi fuit, quos enumerauit Origenes ſupra numero. 12. in quorum ſexto celebratæ ſunt nuptiæ. Poſt celebratas nuptias deſcendit Capharnaum cum matre Ioan. 2. & ibi manſerunt nō multis diebus, quia prope erat paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam via milliarium. 110. hoc eſt. 27. leucarum cum dimidia, quam viam confeciſſe peditem credendum eſt, quinque, aut ſex diebus. Ergo ſi nuptiæ celebratæ eſſent eo ipſo anno, quo baptizatus eſt Chriſtus, debuere celebrari medio tempore inter baptiſmum ſexta Ianuarii factum, & paſcha celebratum luna, aut die. 14 Martii, ergo poſt 40. dies ieiunij vſq; ad. 16. diem Februarii, & aliquot alios dies, quibus perſeuerauit in deſerto cum beſtiis, egitque Ieroſolymis apud Sacerdotes, & Leuitas, vſque ad. 24. aut. 26. Februarii, & ſex, vt minimum, quos egit apud Ioannem, vſque ad. 4. Martii. Iam hoc die celebratæ ſunt nuptię. Inde poſtera die, vt hoc demus, profectus eſt Capharnaum, vbi manſit non multis diebus, nempe à quinto Martii vſque ad. 9. aut. 10. & demus tres tantum dies ad conficiendum iter Ieroſolymam ad Paſcha. Certe ſatis ſtricte enumeramus tempus, & tamen non eſt credendum non plures dies quam ſex manſiſſe in Capharnaum, nec plures quam tres confeciſſe viam Ieroſolymitanam, ac non manſiſſe vno, aut altero die in Cana poſt nuptias; nec plures dies Ieroſolymis, & apud Ioannem conuerſatum, ac non manſiſſe in deſerto aliquod tempus poſt

Origen.

Capharnaū ab Ieroſolymis diſtat Leucas 27.

post superatum sathanam. Itaque si iuxta Epiphanium à *Epiphan.*
baptismo ad nuptias.60. dies transisse dixerimus vsq; ad
6. diem Martii, nolimusq; adeò esse rigidi in horum dierum consequenti supputatione, & rem nimis premere, nuptiæ non potuerunt celebrari eo anno, inter baptismum, & pascha illius anni.30. Christi, sed in sexta die sequentis.32. Vt sic posset esse per aliquod spacium & in Cana, & in Capharnaum, & paulatim proficisci Ierosolymam, & hæc omnia suauius, commodiusque conficere, non concitate, aut celeriter. Propter hanc enim supputationem aptius faciendam Epiphanius opinatus est Christum baptizatum mense Nouembri, vt sexta die Ianuarii sequentis anni assereret nuptias celebratas; & dies sequētes vsq; ad pascha commodius numeraret. Cui sententiæ tamquam aptiori, magis deberemus assentire, si nō sequeremur aliam, nempe anno sequenti nuptias celebratas. Cōstat igitur iam anno Christi. 31. per dies tredecim *Conclusio.*
inito celebratas nuptias in Cana Galileæ, & primum signum ab eo editum.

15 FRATRES IESV. IOANNES cap.2.12. *Ioannes.*
Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius; & fratres eius, & discipuli eius. AVCTOR. Ex hoc loco satis *Auctor.*
constat fratres Domini venisse cum virgine ad nuptias; *Fratres Domini qui?*
qui autem dicti sint fratres Domini, & qua ratione, diximus cap. 1. numero vndecimo.

16 OB NECESSITVDINEM. AVCTOR. *Maria inuitata ob cognationem.*
Quæ fuerit hæc necessitudo virginis cum sponso, quæritur ab interpretibus Ioannis? quis ve fuerit in his nuptiis sponsus? Quidam Ioannem Euangelistam sponsum existimant, auctoritate moti Abdiæ Babylonici lib. 5. historiæ Apostolicæ in vita Ioannis, vbi sic eum inducit orantem. Tu Domine; qui seruulum tuum mundum à coniunctione fœminea præstitisti, te Dn̄e rogo, qui festināti mihi ad nuptias in iuuētute demonstrasti te, atq; dixisti, mihi, necessarius es Ioannes: tu mihi Dn̄e in mari dignatus es dicere, Ioannes nisi meus esses, permitterem tibi vt vxorem duceres. Et Augustini præfatione in Ioannem, *Auctor. Abdias. Ioānes erat sponsus. August.*

dicentis. Iste siquidem est Ioānes, quem Dominus de fluctiuaga nuptiarum tempestate vocauit, & cui matrem virginem virgini commendauit. Et Bedæ similiter præfatione in Ioannē asserentis, hic est Ioannes Euangelista, vnus ex discipulis Dei, qui virgo à Deo electus est, quem de nuptiis volentem nubere vocauit Deus. Cum contra alii obiiciant B. Ignat. Epistola ad Philadel. Epiphan. hæresi 58. & Hierony. lib. 1. contra Iouinianum, asserentes Ioannem numquam nuptias contraxisse, & Augustinum tractatu vltimo in Ioannem dicentem, plus amatum, quod neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Qui hoc voluit dicere cum dixit (de fluctiuaga nuptiarum tempestate) quia non nuptias contraxerat. Potest etiam obiici quod postea in euangelio, Lucæ. 4. vocatus dicatur Ioannes; & creditu est non facile vocatū fuisse in nuptiis, idq; ipsum Ioannem non retulisse. Quare Nicephorus lib. 8. historiæ Ecclesiast. cap. 30. Sponsum dicit fuisse Simonem Cananeū, qui à Cana ita est dictus; & diuersus est à Simone filio Clopæ, qui vnus fuit ex dictis fratribus Domini, & successit Iacobo in Ecclesia Ierosolymitana: ille enim apostolus fuit, Zelotes dictus, qua de re alias commodius. Quis vero fuerit sponsus incertū relinquo.

Beda.

Ioannes nūquam contraxit.

Ignatius.

Epiphan.

Hieronym.

Augustin.

Nicephor.

Simon Cananeus fuit sponsus.

Spōsus quis ille fuerit incertum.

17 VBI CVM. IOANNES in historia Euangelica cap. 2. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum, vinum non habent, & dicit ei Iesus, quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea; dicit mater eius ministris, quodcumq; dixerit vobis, facite; dicit eis Iesus, implete hydrias aqua; & impleuerunt eas vsq; ad summum, & dicit eis Iesus, haurite nunc, & ferte Architriclino. Et cetera quæ referuntur à Ioanne.

Deipara

DEIPARA SECUTA filium ab eo baptizatur, & in vrbe Capharnaum commoratur.

Cap. XV.

CELEBRATIS nuptiis, ex filio cognoſcens mater adeſſe tempus, quo inlucẽ prodire, ac doctrina cęleſti mundũ imbuere deberet, 1 eũ ſequi, illiq; perpetuo, pro viribus, cõſtituit adhærere; vel vt debitũ filio dilectiſsimo præſtaret obſequiũ, vel ne diuino eius priuaretur alloquio. Igitur 2 ſecuta Chriſtũ è Canâ vrbẽ nobiliſsimam Capharnaum, Galilęæq; metropolim proficiſcitur: vbi non multis diebus, nã prope erat paſcha Iudæorũ, commorata, ad feſtũ cũ filio Ieroſolymã aſcẽdit. Paſchate de more celebrato, cum Chriſtus ad Iordanem ſecederet, vt ibi ſuũ baptiſmũ ordiretur, cõcedente locũ Ioãne, qui in Enõ iuxta ſalim baptizabat, eò ſe mater cõtulit, atq; 3 à filio, ſicut 4 & Petrus, qui eo munere erga alios apoſtolos functus eſt, baptizatur. 5 Per nouẽ mẽſes ibi cõmorati, cum audirent Ioãnem in vincula coniectum, vt ſimul etiam Phariſæorum inuidiæ cederẽt, Capharnaum

6 suam ciuitatem, Decembri mense rediere: in qua integrum illum annum, cum nouem sequentis mensibus, magna ex parte conse- dere: inde Christo vniuersam Galilæam per- agrante, & verbo, & opere mirabiliter illu- strāte. 7 Sequēti Martio, vt illis moris erat, ad pascha celebrandū Ierosolymā ascē- dere; sed confestim ad Galilæam, in suam ciuitatem Capharnaū, sunt reuersi. Summa, vt par erat, de Iesu opinione concepta, cum sæpe deun- tem illum domum aliquando copiosa turba secuta esset, vt nec reficiendo corpori, nec pani sumendo daretur locus, oblatū dæmo- niacū, cæcū, mutumq; in omniū conspectu sanitati restituit. Quod opus, per sese quidē admirandū, Pharisæi, qui magna Christi opi- nione moti omnem Syriā peruagante, ad eum venerant Ierosolymis, dæmoni tribue- bāt: cognati vero Christi, in furorem versum existimantes, sic vt exierint ad tenendū eum, ex insania profectum opus esse iudicabant. Sed inter tam peruersa iudicia, non defuit fi- delis mulier, quæ è media turba intendens vocem, in has Mariæ laudes, vi admirationis compulsa proruperit, beatus, inquit, venter, qui te portauit, & vbera quę suxisti. Sed Chri- stus, beati, ait, qui audiunt verbum Dei, &

custo-

custodiunt illud. 9 Aberat tunc forte domo solicita pro filio mater illum quærẽs, cumq; regrederetur, videns turbam, quæ audiebat Christum, ad fores vsq; circumsidentem, nec aditum sibi patere vllum; & Pharisæorum calumnias, & asiduum laborem filii, materno animaduertens affectu, vt paululum posset recreari, tempusque superesset aliquod, quo posset refici, ei petit denunciari pro foribus adesse matrem cum cognatis aliis, qui cum vellent conuenire. At Christus pluris patris, quam matris negocia faciens, suam matrem, sororem, & fratres, illos respondit esse, qui sui patris complerent voluntatem. Ac sic quidẽ eo die, sermone producto, missa turba est, & mater ad domiciliũ admissa.

Testimonia.

1 EVM SEQVI. EPIPHANIVS hæresi. 78. cõtra Antidicomarianitas. Erat Maria assectatrix Iesu, cum ipso semper existens. AVGVSTINVS sermone de Assumptione Mariæ. Absque dubio omni opere ministratrix extitit, quæ hunc in vtero gessit, & omnem infantiam eius matris affectu ita prosecuta est, vt vsque ad crucem, in qua filium iam virum perfectum vidit pendẽtem, ab eius indubitanter ministerio non recesserit, consecuta non solũ gressibus pedum tamquã pro amore filii, verum etiam imitatione morũ tamquã pro reuerẽtia Dei. Maria ergo ministra Christi, spiritualium operum qualitatibus, sicut deuotissima extitit, ita absq; dubio religio-

Mater filiũ secuta est semper. Epiphan. August.

Maria ministra Christi.

nis fide, & veræ credulitatis charitate secutrix fuit. Et infra. Ecce igitur Maria fide, & opere Christi administratrix, & deuota vsq; ad eius mortem secutrix, nõ plus gressu, quã imitationis affectu. ILLEFONSVS serm. 5. in Assumptione B. Mariæ. Duodecim elegit, quos Apostolos vocauit, quorũ semper cóuentui, nobili contubernio semper adhærebat sanctissima virgo, cũ illis semper habitabat, seseq; dominicis cõspectibus frequenter presentari gaudebat. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita, & dormitatione Mariæ. Quoniã autẽ non alio spectat argumentũ propositũ, quã solũ ad ostẽdenda virginis magnalia, erit hoc quoq; ex his, quæ illius sunt bona, & præclara, si ostenderimus eã fuisse perpetuo versatã cũ filio, & ei semper assedisse, & nec in tẽpore quidem rerũ aduersarũ, nec in passione fuisse ab eo separatã. EVTHYMIVS in c. 27 Math. in ea verba, inter quas erat Maria Magdalena. Quærendũ est quomodo ipsius nõ meminerũt Euangelistæ? quia de ea notũ erat, quod adfuerit, & quæ matrũ sunt demõstrauerit, ideoq; neq; planctũ eius scripserũt; abunde enim satisfecerũt pronunciantes, quod filiũ docentẽ sequebatur. BERNARDVS sermo. signũ magnũ, post mediũ. Toties Maria filiũ audiuit, non modo turbis loquentẽ in parabolis, sed & discipulis seorsum regni Dei mysteria reuelantẽ; vidit miracula facientem; vidit deinde in cruce pendentẽ; vidit expirantẽ; vidit resurgentẽ. GVARRICVS Bernardi discipulus sermone. 4. de Assumptione. Sed & cũ euangelizãs circũiret Iesus ciuitates, & castella, Maria comes indiuidua vestigiis eius adhærebat, pẽdebatq; ex ore docentis, adeo vt nec procella persecutionis, nec horrore supplicii à cõspectatu filii, & magistri potuerit absterreri. NICEPHORVS li. 1. c. 33. Itaq; queadmodũ recti, integriq; homines, per quos mũdus vniuersus euãgelica sagena captus est, sic & mulieres plurimæ credẽtes, & necessaria ei ministrãtes, à Christo sunt admissæ, in quibus omnibus celeberrima est Maria Magdalis orta, quæquidẽ antea septẽ spiritibus afflata, atq; detenta, eisq; ab Iesu liberata, de cetero conuersandum,

Illefonsus.

Maria in contubernio Apostolorũ erat.

Simeon.

Euthym.

Bernard.

Guarricus.

Maria comes indiuidua Christi.

Nicephor.

uersandũ, viuendumque sibi cum curatore suo putaue-
rat; qua propter cũ genitrice Dei, & Salome, & alia Maria,
atque cũ aliis, familiarẽ consuetudinẽ habens, obsequi, &
administrare Christo, & discipulis eius, non intermiserat.
AVCTOR. Hoc vnum est, ex quo pendet maxima pars *Auctor.*
historiæ Mariæ virginis, dũ filius eius prædicauit, per tres
videlicet annos integros, trigesimum primũ, trigesimum
secundum, trigesimum tertium, & tres præterea menses,
ex trigesimo quarto, vsque ad diẽ. 14. Martii, quo pascha
illud extremum celebratum fuit, in quo Christus est cru-
cifixus: nam si semel concesserimus matrem assiduã fuis-
se filii sectatricem, ea omnia, quæ in hoc capite narramus,
recte cõtexta videbuntur. Esse autem id concedendum,
præterquã quod sigillatim suo loco probabitur, & aucto-
ritas prædictorum patrum id suadet, & ratio ex historia
Euangelica collecta id etiam satis confirmat. Nam ex quo
Maria discessit Nazaretha, & venit ad nuptias, non rediit
Nazaretham, siquidem cum filio abiit Capharnaum, vbi
mansit non multis diebus, quia prope erat pascha Iu-
dæorum; ad quod celebrandum descendit Iesus Ieroso-
lymã; descendisse autem & Mariã quis dubitet? cum hæc
illi consuetudo fuisset: & cum filio sine dubio, quòcum
mansit in Iudæa, donec rediit Capharnaũ ciuitatẽ suam,
quod in ea domum haberet: vnde secundo eius anno, qui
erat. 32. Christi, post aliud pascha, cum in Capharnaum
esset in domo, mater eius cum fratribus aderat quærens
eum, & in ea vrbe cum Christo habitasse creditur, donec *Maria ha-*
tandem cum illo ascendit Ierosolymam. Vbi in extre- *bitauit in*
mo paschate fuisse dubitari non potest; siquidem stetit *Capharnaũ*
iuxta crucẽ. Præterea si alicubi morata fuisset virgo, ma- *cum filio.*
xime Nazarethæ, at in ea habitasse, ex quo venit Cana, cre
di nõ potest, siquidem secessit inde cum Iesu in Caphar-
naũ, & quia semel tantum videtur Christus Nazaretham
rediisse, postquã multum temporis habitauit in Caphar-
naũ, quando illi datus est liber Isaiæ, & tandẽ præcipitare
eum voluerũt è montis vertice, summo despectui eũ ha-
bentes Nazareni. Vnde quando ad finem anni. 31. rediit

è Iudæa in Galilæam, cum satis prope Nazaretham transiret, noluit in eam ingredi, sed ea prætérita venit Cana, & inde in ciuitatem suam Capharnaum. Quis autem credat sustinuisse filium non inuisere aliquando matrem, tam bene de ipso meritam, si ibi habitaret? Deniq; cum Nazareni dixerunt, tunc cum Iesus in patria sua docuit, paruipendentes eum, nonne hic est filius Fabri? nōne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Iose, & Iudæ, & Simonis? nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? & sorores eius nonne omnes apud nos sunt? profecto non quod præsens ibi habitaret Maria id dixerunt, siquidem nec Ioseph tūc in viuis erat, & fratres Domini semper eum secutos scimus; ergo & matrem eum secutam similiter dicendum est. Tantum de sororibus dicunt apud se esse. Nec pateretur vlla ratione Christus vt ludibrio, & contumeliis exposita mater dilectissima, vidua, ac pauper in ea maneret vrbe, in qua tam impii erant ciues, vt ex contemptu, matrem Mariam illi obiicerent, & voluerint eum præcipitē agere. Et hæc quidē sint in vniuersum dicta, quæ per singula in sequentibus confirmabūtur, & ex chronographia vitæ Christi, quam non multo post contexemus, fient manifestiora.

Maria pergit è Cana in Capharnaum cum filio.

2 SECVTA. IOANNES in historia Euangelica cap. 2. Post hæc (è Cana) descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserūt nō multis diebus, & prope erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Cum autē esset Ierosolymis in pascha, in die festo multi crediderunt in eū. *AVCTOR.* Quamuis non dicatur matrem ascendisse ad pascha, non propterea id est dubitandum, quia nec discipulos ascendisse cum Iesu dicitur, & tamen inferius ait Ioannes, disci-pulos audisse Christū de corpore suo dicētem, soluite tēplū hoc. Et c. 3. post colloquiū cū Nicodemo, secessisse Iesum cū discipulis suis in Iudeæ partem illam, in qua baptizauit. Et quidem cum mater legis esset obseruātissima, pro sua insigni pietate, siquidem de ea dicit Lucas cap. 2.

Ioannes.

Auctor.

Maria ascēdit Ierosolymam cū filio.

& ibant

& ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solenni Paschæ, & ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi. Quamuis Exod. 23. 15. & 34. 17. & Deut. 16. 1. hoc festum masculis tantũ celebrãdũ tradatur dubitari tñ non potest quin singulis annis cũ filium haberet nunc ducem, quem puerum olim ipsa ducebat, ascenderit Ierosolymam, cum nihil haberet quo impediretur; hoc ergo fuit primum Pascha, quo Christus refertur ab Euangelistis, ascendisse Ierosolymam, cum incohasset annum 31. per menses qui à 25. Decembris, vsq; ad Pascha residui sunt.

Paschæ festum in dictum viris, non fæminis.

Pascha primum prædicationis Christi

3 A FILIO. EVTHYMIVS in Ioan. cap. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei: scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, ac virginem Mariam matrem baptizauerit. Petrus vero reliquos omnes Apostolos. *AVCTOR.* Vide quæ sequenti numero dicuntur.

Maria à filio baptizatur.

Euthymius Auctor.

4 ET PETRVS. D. EVODIVS Episcopus Antiochenus in Epistola Phòs apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. Christus manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizauit, Petrus porro Andream, & filios Zebedei: ij deinceps reliquos Apostolos: septuaginta autem illos Petrus, & Ioannes, Theologus dictus, baptizarunt. CLEMENS Alexandrinus in 5. hypotiposeon, apud Sophronium Ierosolymitanum Patriarcham in prato spirituali cap. 76. Christus dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Iacobum & Ioannem; illi autem reliquos. TERTVLLIANVS lib. de baptismo cap. 12. Cum vero præscribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronunciatione domini, qui ait, nisi natus ex aqua quis erit, non habebit vitam, suboriuntur scrupulosi, imo temerarij retractatus quorumdam, quomodo ex ista præscriptione Apostolis salus competat, quos tinctos non inuenimus in domino, nisi Paulum. Et nunc illis vt potero respondebo, qui negant Apostolos tinctos. Nam si humanum Ioannis baptismum inierant, & domini

Christus Petrũ, Petrus reliquos Apostolos baptizauit.

Euodius.

Clem. Alex.

Petrus Andream Iacobum, & Ioãnem baptizauit

Tertullianus.

Apostoli Ioannis baptismo baptizati.

cum desiderabant, quatenus vnum baptisma definierat ipse dominus, dicens Petro perfundi volenti, qui semel lauit, non habet necesse rursum. Quo vtique non tincto non omnino dixisset. Et hæc est probatio exerta aduersus illos, qui admittunt Apostolis etiam Ioannis baptismum, vt destruant aquæ Sacramentum. AVGVSTINVS epistola 108. ad Seleucianum. Primum miratus sum quo modo dicat Nouatianus iste Petrum baptizatum non fuisse, cum paulo superius scripseris eum dixisse, quod Apostoli fuerunt baptizati; si dicimus aqua nō fuisse baptizatos, metuendū est ne grauiter in eis erremus, ne demus hominibus auctoritatē contemnendi baptismum: quē vsq; adeo non contemnendum ipsa Apostolica doctrina commendat. Sic postquam Dominus Christus in Ecclesia sua sacramentū noui testamenti, pro circumcisione carnis sanctum baptismum dedit, & apertissime dixit: Si quis nō renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, nō intrabit in Regnum cælorum: iam non debemus quærere, quando quisq; fuerit baptizatus, sed quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad Regnū cælorum non nisi baptizatos intelligere debemus; nisi forte, quos angustia passionis inuenit. Sed numquid hoc possumus de Apostolis dicere, qui vsque adeo largum tempus habuerunt, quo baptizarentur, vt alios etiam baptizauerint? sed non omnia quæ facta sunt etiam scripta inueniuntur. Verumtamen facta esse ex ceteris documentis probatur. Scriptum est quando baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptum non est quando baptizati sunt alij Apostoli, verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus. Tunc ergo quando ab Ierosolymis exiit cum discipulis suis in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat nō per se ipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur, siue, quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim ministerio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos seruos, per quos reliquos baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio,

quando

Augustin.

quicumque de corpore Christi eius baptismo sunt baptizati.

Apostoli baptizati baptismo Christi

quando eis lauit pedes, & petenti Petro, vt nō tantum pedes, verum etiam manus, & caput ei lauaret: respōdit, qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed es mūdus totus: vbi intelligitur quod iam Petrus baptizatus fuerat. EVTHYMIVS in cap. 3. Ioannis, vt supra numer. 3. *Euthym.*
AVCTOR. Cum Christus Ioan. 3. Collocutus est Nicodemo in ipso festo Paschatis, viam struebat ad baptismū, quē inchoaturus erat statim post Pascha, & ita dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in Regnū cælorum. Ex quo sequitur, vt dixit recte Augustinus; omnes qui pertinebant ad Regnum cælorum, fuisse baptizatos baptismo Christi. Et ita Virginem Mariam, Ioannem Baptistā, & omnes Apostolos. Quomodo enim Ioannes cum viderit Christum ad se venientem ad baptismum, videns rursus ipsum baptizare in Spiritu sancto, nō ad illum se contulisset? Vnde, & cap. 4. Ioānes dicit, Iesus plures discipulos faciebat, & baptizabat, quā Ioannes, nā quos discipulos faciebat, baptismo intingebat sine dubio *Auctor.* *Virginem, & Apostolos fuisse baptizatos.*

5 PER NOVEM. IOANNES cap. 3. 22. Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in AEnon: nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. MATHAEVS cap. 4. 12. Cum autem audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam. MARCVS cap. 1. 14. Postquam traditus est Ioannes venit Iesus in Galilæam. IOANNES cap. 4. 1. Vt cognouit Iesus, quia audierūt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, reliquit Iudæam, & abiit iterū in Galilæam. Oportebat autem eū transire per mediam Samariā. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. Dicit eis Iesus. Nōne vos dicitis quod adhuc quatuor mēses sunt, & messis venit. Post duos autē dies exiit inde, & abiit in Galilæam, venit ergo iterū in Cana Galileæ, vbi fecit aquā vinū. MATHAEVS c. 4. Et venit, & habitauit in ciuitate Capharnaū maritima, in finibus Zabulō, & Neptalin. AVCTOR. Ex his colligitur Christum statim post Pascha secesisse *Christus nouem menses baptizanit in Iordane.* *Ioannes.* *Matthæus.* *Marcus.* *Ioannes.* *Auctor.*

Christus transacto Paschate secessit ad baptizandum. Messis Palestinæ,

ad baptismum, & baptizasse vsque ad carcerem Ioannis: quo audito, relicta Iudæa, rediit in Galileam per Samariā, quatuor mensibus ante messem. Contingebat autem tempus messis in Palestina inter Pascha, & Pentecostem. Nam Leuitic. 23. 10. dicitur, cum ingressi fueritis terram, & messueritis segetem, feretis manipulum spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem, & eleuabit fasciculum corā Domino, altera die Sabbathi. Numerabitis ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum Domino, panes primitiarum duos, de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. Et Iosue 3. 15. dicitur. Iordanis autem ripas aluei sui, tempore messis impleuerat, quando transibat populus. Et cap. 4. 19. Populus autem ascendit de Iordane decimo die mensis primi. Et cap. 5. 10. Et fecerunt Phase quartadecima die mensis, in campestribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam eiusdem anni; defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terræ. Cum ergo tempus Paschatis idem esset tempus messis, & quartus mensis ante messem sit December, & hoc tempore redierit Christus in Galilæam, ergo à Paschate præterito, quo cœpit baptizare, mansit in Iudæa, nouem mensibus à Martio, vsque ad Decembrem, quo complebat trigesimum primum annum, & inchoabat 32. & paulo ante in vincula coniectus est Ioānes, cum 31. annū complesset die 24. Iunij, & quinq; prætereа menses, vsq; ad Nouēbrē, quo est comprehēsus.

December quartus mēsis ante messem.

A Martio, vsque ad Decembrē anni 31 baptizauit Christus.

6 SVAM CIVITATEM. MATHAEVS, cap. 4. & relicta ciuitate Nazareth venit, & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Neptali. cap. 9. 1. & ascendens in nauiculam transfretauit. & venit in ciuitatem suam. Et cap. 8. 5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio: & cap. 11. 23. Et tu Capharnaum, quæ vsque in cælum exaltata es, vsq; ad infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent

Capharnaū ciuitas Christi. Mathæus.

virtutes

virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem. MARCVS cap. 1. 21. & ingrediuntur Capharnaum, & statim Sabbatis ingressus in Synagogas docebat eos. ver. 33. omnis ciuitas congregata ad ianuam. cap. 21. iterum intrauit Capharnaū: qui cum domi esset interrogabat eos, quid in via tractabatis. LVCAS cap. 4. 32. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua, & ver. 31. Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galileæ, ibique docebat illos Sabbatis. cap. 7. 1. Cum autem implesset in aures plebis omnia verba sua, intrauit Capharnaum. cap 10. 15. Et tu Capharnaum vsque ad cælū exaltata, vsque ad infernū demergeris. IOANNES cap. 2. 12. Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & manserunt ibi non multis diebus, & prope erat Pascha Iudæorum. cap. 6. 17. Et cum ascendisset nauim, venerunt trans mare in Capharnaum, & tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus, ver. 24. Cum ergo vidissent turbæ quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerūt Capharnaū: quęrentes Iesum v. 59. Hęc dixit in Synagoga docēs in Capharnaū. MATHAEVS cap. 17. 24. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei, magister vester non soluit didrachma? ait, etiā, & cum intrasset in domum præuenit eum Iesus. IOANNES Chrysostomus homil. 30. in cap. 9. Mathæi. Propriam hic ciuitatem eius Capharnaum appellauit: Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educauit, sed Capharnaum perpetuū ipsius erat habitaculum. THEOPHYLACTVS in 9. cap. Mathæi. Suam ciuitatem Capharnaum dicit, illic enim habitabat, Bethlehem enim peperit, Nazareth educauit, Capharnaum præbuit domicilium. SIMEON Metaphrastes, in oratione de vita, & dormitione Deiparę. Ex quibus illa Nazareth fuit sacræ Deiparę habitaculum, & in ea multo tēpore vidit Deum verbum ex se genitum, hæc autem (Capharnaum) eius filij charum, & consuetū diuersorium. *AVCTOR.* Hæc collegi ex Euangelistis,

Marcus. *Lucas.* *Ioannes.* *Matheus.* *Chrysost.* *Theophyl.* *Simeon Metaphraste.* *Auctor.*

vt

vt fiat manifestum ex frequenti ingressu, & egressu è Capharnaum, illam fuisse Christi ciuitatem, ad quam conueniebant turbæ, vt quærerent Iesum; vnde tamquam à ciue exactum est didrachma. Vbi etiam dicitur habuisse domum, in quam ingrediebatur, tamquã in suam: ut patet Mathæ. 9.28. & cap. 13.3. & cap. 17.24. & Marci 3.20. & 7.17. & 9. 28. & egrediebatur Math. 13. 1. & in qua habitabát sui, idest cognati Christi, de quibus dicitur Marci 3.20. & venit ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt non posset, neque panem manducare, & cum audissent sui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est. Absque dubio, & mater eius ibi habitabat. In hac ergo vrbe mansit Iesus ab hoc Decembri per sequétem annum integrum, & inde, vsque ad festum Scænopegiæ, mense Septembri celebrandum: non enim ascendebat in Iudæam, nisi tantum ad festa Ierosolymis celebranda, vt ex dicendis hic partim patebit, & partim ex chronographia vitæ Christi.

Domus Christi in Capharnaum.

Christus mãsit Capharnai per annũ & nouem menses.

7 SEQVENTI MARTIO. IOANNES cap. 5. Posthæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina. D. IRENEVS lib. 2. aduersus hæreses cap. 39. Et post hæc, iterum secunda vice ascendit in diem festũ Paschæ, in Ierusalem, quando Paraliticum, qui iuxta natatoriá iacebat 38. annos, curauit. Et iterũ secedens trans mare Tyberiadis, de quinq; panibus satiauit omné multitudinem. RVPERTVS Abbas lib. 5. in Ioauné in principio. In quo illud maxime notádũ, quod nullum Pascha le festum præteriit. Sunt autem quas commemorat tres triũm annorum solennitates, quarta excepta, in qua passus est. De Pascha primi anni iam dictũ est. Ecce hoc secũdo anno, eodem festo ascendens Ierosolymam, veniens ad probaticam piscinã, factis præfigurat baptismi sui potentiã. Et infra. Hic Euangelista Paschale festum non aperte exprimit, dum dicit indefinite, erat festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymã, sed ex superioribus festũ Paschale fuisse intelligitur. Nã non aliã ob causam superius, vbi

Martio ad Pascha demoreascẽdit Ioannes.

Irænus.

Secundum Paschæ prædicationis Christi.

Rupertus.

Tria Paschata.

vbi mulieri Samaritanæ est locutus, dixit discipulis suis: nonne vos dicitis quia adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Cóstat vero, quia vbi nó plus quá quatuor menses ante messem intersunt, Paschalis festiuitas nó plus quá duobus mensibus lóge abest: quo vtiq; spacio tépo is alia festiuitas nulla occurrit. *AVCTOR*. Multi ex interpretibus, hoc volunt fuisse Pétecostes festú. Verú ex ratione Ruperti, quá veram collegimus num. 5. constat, post mensem Decébré, quo rediit Christus ex Iudæa Capharnaú, nullú aliud festú occurrere solitú, quá paschatis, ná si aliud prius occurrisset, meminisset quidem illius Ioannes.

Ratio optima.

Auctor.

Dies festus Paschatis.

Christus mira operatur domi suæ.

8 REDEVNTEM. MATHAEVS cap. 12. 22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum; & stupebant omnes turbæ. Pharisęi autem audientes dixerunt, hic non eiicit dæmones, nisi in Beelzebuth principe dæmoniorum. MARCVS cap. 3. 20. Et venit ad domú, & conuenit iterú turba, ita vt nó posset, neq; panem manducare: & cú audissent sui exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniá in furorem versus est. Et scribæ, qui ab Ierosolymis descenderant, dicebát, quoniá Beelcebuth habet, & in principe dæmoniorum eiicit dæmonia. LVCAS cap. 11. 14. Et erat Iesus eiiciés dæmonium, & admiratæ sunt turbæ: quidam autem ex eis dixerunt, in Beelzebuth principe dæmoniorú eiicit dæmonia. Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.

Matheus.

Marcus.

Lucas.

9 ABERAT. MATHAEVS c. 12. 46. Adhuc eo loquéte ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris quærétes loqui ei: dixit auté ei quidá: Ecce mater tua, & fratres tui foris stát quæréntes te. MARCVS c. 3. 31. Et veniút mater eius, & fratres, & foris státes miserunt ad eú, vocantes eum; & sedebat circa eú turba, & dicunt ei: ecce mater tua, & fratres tui foris stant, & quærút te. LVCAS cap. 8. 19. Venerút auté ad illú mater, & fratres eius, & nó poterant adire eú præ turba, & nunciatú est illi, mater tua, & fratres tui stant foris volentes te videre. *AVCTOR*.

Matheus.

Marcus.

Lucas.

Ex

Ex his, quæ refert Marcus, tantam copiam conuenisse domum, vt non posset manducare, & quod exierint sui, vt tenerent eum, quod in furorem versus videretur: quod Euthymius explanat, quod nempe sui cognati exierint, vt cohiberent turbam, vel vt tenerent eum, idest, adiuuarent, dicebant enim quod excessisset, siue dissolutus esset à vigore corporis præ nimio labore: videtur verosimilius matrem Iesu, miseratione ductam pro filio, quod valde laborantem videret, & calumniis expositum, nec manducasse quicquã impeditũ doctrina, & sanitate, domo cum aliquibus ex cognatis exisse vt filium quæreret, & domũ reduceret, vt reficeretur, & recrearetur; cumq; domum rediisset inuenisse adhuc labore defatigatum, & ieiunũ, & voluisse impedire illum, ne adeò lassus, viribus deficeret: & propterea misisse, qui diceret se foris stare, & velle loqui ei.

Euthym.

Mater quærebat filium vt recrearet lassum.

MARIA

MARIA VIRGO SEquitur filium Ierosolymam euntem, adstatque illi morienti.

Cap. XVI.

SEquenti anno, qui erat Christo trigesimus tertius, perlata fama est paulo [1] ante Pascha Ioannem ab Herode trucidatum: quæ res, & Christum compulit in desertum aliquantulum secedere, & eius matrem, Ioannis materteram, magno, vt par erat, affecit dolore. Ad Pascha nihilominus, iuxta consuetudinem, ascendentes, mox domum rediere: atque in Galilæa, more solito, permansere: donec [2] septimo demum mense, ad festum Scenopegiæ, Ierosolymam petiuere, multis [3] piis feminis sequentibus, quæ illis ministrabant facultatibus suis. In sancta vrbe vsque ad [4] Encœniorum festum, quod Decembri mense celebre erat, commorati, quod Pontifices, & Pharisæi insigne sanctitatis nomē ei inuidentes, Christum statuissent cōprehendere, Ierosolymis discessere, & partim in Iordani proxima solitudine, partim Bethaniæ à

Lazari ſororibus hoſpitio ſuſcepti, tres illos vſque ad extremum Paſcha menſes latuere. Sed Chriſtus quinque ante Paſcha diebus Ierosolymam ſolenni pompa ingreſſus 5 in domo Ioannis cognomento Marci, cum diſcipulis ſuis Paſcha celebrauit: id ipſum faciente 6 matre cum aliis mulieribus Chriſti ſectatricibus. Abſoluta cœna, cum filio imminentem mortem cognouiſſet mater, ille quidem in hortum ſeceſsit cum diſcipulis ſuis, principum, ac pontificum miniſtros expectaturus: Virgo autem domi ſe continuit rei exitum, ipſa etiam præſtolatura: Dũ que comprehenſum agnouit filium, atque ad hunc, illum ve iudicem circumduci, non patitur maternus animus eum 7 non comitari, ſequi ve, cum piis aliis mulieribus, vſque ad caluariæ montem. Ibi 8 conſtanti corde, ac animo virili, quamuis gladij inſtar, 9 vt ei prædixerat Simeon, dolor vehementiſsimus cor eius transfixiſſet, nec rubore ſe matrem negans, nec timore fugiens, pendenti ë cruce filio ſemper adſtitit, eum attente 10 circumſpiciens, quem fide certa innocentẽ agnoſceret, & confiteretur Deũ. Quam matris pietatem 11 vt remuneraret filius, cum ſtantem prope inſpexiſſet, & diſci-

pulum

pulum illum, quem diligebat, pro ea solicitus, mulier, inquit, ecce filius tuus, quem mei loco habebis deinceps: mox ait discipulo: ecce mater tua, quam pro me tibi curę esse iubeo. Ex illa hora accepit eam sibi, eius vt matris curam habiturus. At Christus cũ in conspectu matris potum, quo sitim, qua premebatur maxima, mitigaret, petiisset; & acetũ felle mixtum fuisset illi ministratum, Spiritum Deo reddidit, ac mox ei latus perfossum est. Mater vero ad vesperum vsque ei dum è cruce remoueretur, & sepulturæ mandaretur, 12 semper adfuit. 13 Sed inde à viris fidelibus, feminisque piissimis, vna cum discipulo ad vrbem, 14 in Ioannis domum, cui Marcus cognomen erat, deducta est, vbi pro fide, qua prædita erat certissima, filium resurgentem expectauit.

Testimonia.

1 ANTE PASCHA. MATHAEVS cap. 14. 3. Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem, misitque, & decollauit Ioannem in carcere, & accedentes discipuli eius, tulerunt corpus, & sepelierunt illud, & venientes nunciauerunt IESV; quod cum audisset IESVS secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus, & cum iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque *Ioannes pro pe Pascha decollatur. Mathæus.*

panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. MARCVS cap. 6. 17. Ipse Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem, propter Hero diadem, & decollauit eum in carcere. Quo audito discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & posuerũt illud in monumẽto. Et ait Iesus discipulis suis, venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum: & ait illis: date eis vos manducare, & acceptis quinque panibus, & duo bus piscibus, intuens in cælum benedixit, & fregit panẽ, & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos: & duos pisces diuisit omnibus, & manducauerunt omnes, & saturati sunt. IOANNES cap. 6. 1. Post hæc abiit Iesus trãs mare Galileæ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. (Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum.) Dixit ad Philippũ: vnde ememus panes, vt manducent hi? Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter, & ex piscibus quantum volebant. BEDA lib. secundo in cap. 6. Marci cap. 26. Notandum autem, quod hoc miraculum panum scripturus Euangelista Ioannes præmisit, quod proximum esset Pascha, dies festus Iudæorum. Mathæus vero, & Marcus hoc, interfecto Ioanne, continuo factum esse commemorant: vnde colligitur Ioannem imminente eadem festiuitate Paschali fuisse decollatum, & anno post hunc sequente, cum denuo tempus Paschale rediret, mysteriũ dominicæ passionis esse completum; & propterea quod in lib. sacramẽtorum, natale eius, quarto calendarum Septembrium denotatum est, & in Martyrologio, quod Eusebij, & Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur, quarto calendas Septembris, in Edessa ciuitate Phęniciæ prouinciæ, natale Ioannis Baptistæ, die, quo decollatus est, non specialiter ipsum diem decollationis eius, sed diem potius, quo caput eius in eadẽ Edessa ciuitate repertũ, atq; in Ecclesia est

Marcus.

Ioannes.

Beda.

Ioannes imminẽte Paschate tertio decollatur.

est conditum, designat. PETRVS Damianus epistol. *Damianus.*
12. c. 15. Decollatio B. Ioannis Baptistæ mense Augusto
celebratur, cum tamen tempore Dominicæ passionis tru
cidatus ab Herode fuisse minime dubitetur. *AVCTOR.* *Auctor.*
Ex Euangelistarum verbis constat, ante Pascha iam pro-
ximum decollatum Ioannem, non 4. Calendas Septem- *Rupertus.*
bris anni 31. Domini, vt existimauit Rupertus, licet eo *Decollatio*
die ob aliam causam celebretur ab Ecclesia, quia tunc in- *Ioannis ce-*
uentum est caput eius, sed prope Pascha anni 33. Christi, *lebratur 4*
vt recte animaduertit Beda, nó tépore dominicę Passionis, *Cal. Septē.*
vt dixit Damianus, nā Ioānis nece audita secessit Chri- *Beda.*
stus trans mare Galileæ, & saturauit turbas quinque pani-
bus, & duobus piscibus. Cum hoc autem sit tertium Pas- *Pascha 3.*
cha à Ioanne numeratum, constat iam Christum trigesi- *anno 33.*
mum tertium annum inchoasse à 25. Decembris die. Cō- *Christi con*
tigit autem fortasse Ioannis decollatio Februario mense, *tigit.*
proximo ante Martium, quo Pascha erat celebrandum, in
fine: vel in principio Martij: & ita sine dubio post hæc op *Februario*
portune ascendit Ierosolymam ad festum: quod ipsum *mense occi-*
fecit mater, sed mox rediere. Quod indicauit satis aperte *sus Ioannes.*
Ioannes cap. 7. cum dixit. Post hæc autem ambulabat Ie-
sus in Galilæam, non enim volebat in Iudæa ambulare, *Mater cum*
quia quærebant eum Iudæi interficere. Indicat enim ve- *filio redit*
nisse Christum in Iudæam ad festū, sed noluisse in ea ma- *post Pascha*
nere, quia Iudæi volebant eum interficere. *Capharnaū*

2 SEPTIMO MENSE. IOANNES cap. 7.
2. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenope
gia; dixerunt autem ad eum fratres eius, transi hinc, & va- *Ascendit*
de in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ *Ierosolymā*
facis: nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in *7 mense ad*
palam esse. Si hæc facis manifesta te ipsum mundo; vt au- *festum Sce-*
tem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diē *nopegia.*
festum non manifeste: iam autem die festó mediante, as- *Ioannes.*
cendit Iesus in templum. Leuitic. 23. 34. A quintodeci-
mo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculo-
rum septem diebus domino. *AVCTOR.* Ab hoc festo *Auctor.*
vsque ad festum Encæniorum, ex Ioanne constat māsisse

Christum Ierosolymis, nec vltra reuersum esse in Galilæam.

Feminæ piæ sequebātur Christū, & matrem.

3 FEMINIS PIIS. MATHAEVS cap.27.55. Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erāt Iesum à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. *Mathæus.* MARCVS cap.15.40. Erant autem, *Marcus.* & mulieres de longe aspiciētes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi minoris, & Iose mater, & Salome, quæ cū esset in Galilæa sequebantur eū, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cū eo ascenderant Ierosolymā. *Lucas.* LVCAS cap.8. Et factū est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella, prædicans, & Euāgelizans regnum Dei, & duodecim cū illo, & mulieres aliquæ, quę erāt curatę à spiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalenæ, de qua septem dæmonia eiecerat, & Iohāna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Et *Ioannes.* cap.23.49. Stabant autē omnes noti eius à longe, & mulieres, quæ secutæ eū erant à Galilæa, hęc videntes. IOANNES cap.19.25. Stabāt autē iuxta crucē Iesu mater eius, *Lucas.* & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenę. LVCAS Actuū 1.14. Hi omnes erāt perseuerātes vnanimiter in oratione cū mulieribus, & Maria matre Iesu, & *Hieronym.* fratribus eius. HIERONIMVS, Math.27. Consuetudinis Iudaicæ fuit (nec ducebatur in culpā more gētis antiquo) vt mulieres de substantia sua victū, atq; vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc, quia scandalū facere poterat in nationibus, Paulus abiecisse se memorat. Ministrabant autē domino de substantia sua, vt meteret earū carnalia, cuius illæ metebant spiritualia. Nō quod indigeret cibis dominus creaturarū, sed vt typum ostēderet magistrorum, quod victu, atq; vestitu ex discipulis deberet esse cōtenti. Sed videamus quales comites habuerit; Maria Magdalenā, à qua septē dæmonia eiecerat, & Mariā Iacobi, & Ioseph matrē, materterā suam, sororē Marię matris Domini, & matrē filiorū Zebędei, quæ paulo ante regnū liberis postu-

Consuetudo Iudæis circumducere feminasque victū præbebant magistris.

Magistri victu, & vestitu contenti.

postulauerat, & alias, quas in ceteris Euangeliis legimus. AVCTOR. Cum mulieres hæ secutæ sint Christū à Galilæa in Iudæam, & hic fuerit extremus Christi aduētus è Galilęa, sequitur hoc tēpore has mulieres secutas Christū: Et cū illis annumeretur Maria mater Iesu, profectò illis comitata, & ipsa venerat nūc è Galilæa. Quāuis enim hoc Euangelistæ nō referant, est tamen asserendū, siquidē, & alij Euāgelistæ solū meminere mulierū, quæ erant prope crucē, inter quas erat sine dubio mater Iesu, vt refert Ioānes, & tamen eam intellectam putabant sub aliis mulieribus. *Auctor.* *Maria vna cum ceteris feminis ascendit Ierosolymam.*

4 ENCAENIORVM. IOANNES cap. 10. Facta sunt autē Encęnia in Ierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus in tēplo, in porticu Salomonis. Circumderunt ergo eū Iudæi. Quærebāt ergo eū cōprehēdere, & exiuit de manibus eorū, & abiit iterū trās Iordanē in eum locū, vbi erat Ioānes baptizans primū, & māsit illic. Et c. 11. Erat autē quidā languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ, & Marthæ sororū eius. Miserūt ergo sorores ad eū dicētes, domine: ecce quē amas infirmatur. Venit itaq; Iesus, & inuenit eū quatuor dies iā in monumento habētem. Erat autē Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim. 1. MACHAB. 4. 56. Et fecerunt dedicationē altaris diebus octo, & statuit Iudas, & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in tēporibus suis ab anno in annū, per dies octo, à quinta, & vicesima die mensis Casleu. v. 52. Et ante matutinum surrexerunt quinta & vicesima die mensis noni, hic est mensis Casleu. AVCTOR. Mensis nonus aliquādo incidebat in mensem Nouembrē, aliquando in Decembrē. Ex hoc ergo tempore, quo cōplebat Christus 33. annos, & incipiebat 34. adfuit Ierosolymis, & abiit trās Iordanē: Vnde discedēs per dies aliquot moratus est in Bethania, donec pōpa illa solenni exceptus est, quinta ante Pascha die. Quod ne sit opus repetere è Ioan. 12. 1. constat, cū dicit, Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniā, vbi Lazarus fuerat mortuus. Et v. 12. In crastinum autem turba *Ioannes.* *Machab.* *Encaeniorum festis institutio.* *Auctor.* *Decembri anni 34. mansit ferè semper Ierosolymis.*

multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Iesus Ierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.

Pascha celebrat in domo Ioannis cognomento Marci.

Alexand.

5 IN DOMO. ALEXANDER Monachus, in oratione de laudibus S. Barnabæ apud Metaphrastem. 11. Iunij. Quamprimum vero adiit domum Mariæ matris Ioannis, qui Marcus postea dictus est: Age, inquit, mulier veni, & vide, ecce Iesus propheta è Nazareth Galileæ in templo est, magnifica quædam edens miracula, qui multis videtur Messias esse, qui venturus erat. Cum hæc audisset admirabilis illa mulier, relictis omnibus his, quæ habebat in manibus, templum Dei adiit. Vbi cum Iesum templi dominum vidisset: ad eius pedes se abiecit, eumque sic precata est. Si gratiam inueni, ò Domine, in conspectu tuo, veni ad domum ancillæ tuæ, vt ingressione tua famulis tuis benedicas. Eius petitioni Christus Dominus assensus est: quem mulier illa valde læta in cœnaculum suum accepit. Ex illo igitur die quoties Dominus Ierosolymam venisset, illic vna cum discipulis suis diuersabatur, quibuscum & Pascha illic fecit, vbi & mysteriorum sacramenta eosdem discipulos suos docuit. Sermo enim quidam à patribus traditus ad nos peruenit, eum, qui lagenam aquæ portabat, quem Dominus ipse discipulis suis præcepit vt sequerentur, Marcum fuisse, beatæ illius Mariæ filium. In illo igitur ipso cœnaculo Dominus Pascha fecit: in illo apparuit Thomæ Apostolo, cum à mortuis surrexisset: illuc postquam Iesus in cælum assumptus est, discipuli cum reliquis patribus centum viginti, in quibus erant Barnabas, & Marcus, ex monte oliuarum, conuenerunt: illuc Spiritus sanctus in linguis igneis, ad discipulos descendit in die Pentecostes: illic collocata nunc est magna, & sanctissima Sion, omnium Ecclesiarum maxima. *AVCTOR.* Hanc huius viri narrationem, qua cœnaculum dicit fuisse in domo Mariæ matris Ioannis, cognomento Marci, & non Ioannis Euangelistæ, vt alij voluere, latius inferius cap. 20. numer. 6. & aliis testimoniis, & efficaci ratione proba-

Marcus homo lagenam aquæ portās

Mysteria in cœnaculo edita.

Auctor.

probabimus: ideo hic à longiori confirmatione superse-
debimus.

6 MATRE. SIMEON Metaphrastes in oratione de ortu, & dormitione Deiparæ. Erant enim mulieres quoque, quæ consequebantur à Galilæa, & ministrabant ei. Ea ratione vidétur ne abfuisse quidem à tempore mysteriorum; sed cum duodecim quidem minime accubuisse; fuisse tamen eius domus conseqnenter participes. Nā discipulos quidem cum mysteria, & humilitatis summæ traderet doctrinam, vna habuit accubantes; matrem autem iussit curam gerere mulierum, quæ ministrabant, tamquam per eam ipsas benigne accipiens, & adimplens officium humanitatis; & simul cum eis vescens, & sic pro ministerio eis referens gratiam. *AVCTOR.* Cum certum sit Mariam matrem Iesu fuisse tunc Ierosolymis, vt celebraret pascha, nulla ratio cogit existimare non exceptam hospitio in ea ipsa domo, in qua filius erat exceptus: præsertim, cum ex quo Maria mater Marci credidit Iesu, eo paschate anni. 32. Christi, quo sanauit probaticæ piscinæ infirmum, quoties Ierosolymam veniebat, in ea domo diuersabatur cum discipulis, vt ex Alexandro monacho diximus supra numero quinto.

Maria cum feminis celebrat pascha.
Metaph.
Auctor.
Maria pascha celebrauit.
Hospitium Christi, cū Ierosolymā veniebat.

7 NON COMITARI. LVCAS 23. capite. 17. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierū, quæ plangebant, & lamenrabantur eum. V. 49. Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa. MATHAEVS cap. 27. 56. Inter quas erat Maria Magdalenę, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. MARCVS capite. 15. 40. inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi minoris, & Iose, & Salome. IOANNES cap. 19. 25. Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophę, & Maria Magdalenę. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita, & dormitatione Deiparæ. Cum tempus iam adesset passionis, & ille se ipsum traderet, & staret in medio eorum, qui in eum cædem spirabant, & iam abduceretur ad Pilatum, & ante Caipham

Maria comitatur filium crucem portantem.
Lucas.
Mathæus.
Marcus.
Ioannes.
Simeon Metaphr.

 sisteretur,

sisteretur, & ad Herodem mitteretur examinandus; & tãdem in eum ferretur sententia, & cruce condemnaretur, mater sicut in aliis superabat mulierem, ita hic quoq; videtur plusquam mulier, quæ ab illo minime recedit, sed propius sequebatur, nihil timens quod esset formidabile: nõ quod tantũ maternis vinceretur visceribus, quã quod potius diuino induceretur iudicio, adeo vt alias quoque duas mulieres, duas inquã Marias, vt docet Euangelium, ad hoc adhortata sit, & vt secum versarentur, persuaserit, vt quæ essent forti, & generoso animo, & vellent adhærere huic sponso, qui non videtur; & tamen cum non cernatur, appropinquat. Sic autem vna quoq; ingressa est in atrium Annæ, & Caiphæ, cernens vnumquodque eorum, quæ gerebantur; & apud eum quidem manens dum iudicaretur. Vna autem proficiens dum abduceretur ad mortem, eorũque qui ibant egressus, & ingressus considerãs, & omniũ ora attendens, vt sciret quænam in eum ferretur sententia. Nulli enim obscurum est eam hæc vidisse omnia, quandoquidem in cruce quoque vna aderat, quãdo ab ipso crucifixo filio fuit commendata discipulo. NICEPHORVS lib. 1. historiæ cap. 30. Sola ibi aderat mater, & quem diligebat discipulus, qui omnia quæ vel ante, vel post mortem eius gesta essent, oculis ipsi suis spectarunt. *AVCTOR.* Cum ex euangelistis constet Mariam adfuisse Christo in cruce pendenti cum Maria Clephæ, & Maria Magdalenæ, & has etiam cõstet fuisse ex his mulieribus, quæ sequebantur Iesum à Galilæa, quæque sequebantur eum crucem portantem, plangentes, & lamentantes eum, constare omnino debet profectò Mariam matrem Iesu vnam fuisse ex illis, quæ veniebant post Iesum; nec enim venisse dubitari potest, cum steterit iuxta crucem.

Maria hortabatur alias feminas, vt secum mitarētur.

Maria omnibus adfuit Christi laboribus.

Nicephor.

Auctor.

Ratio optima.

8 CONSTANTI. IOANNES cap. 19. 25. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius. AMBROSIVS lib. de institutione virginis cap. 7. Stabat ante crucem mater, & fugientibus viris stabat intrepida. Videte vtrum pudorem mutare potuerit mater Iesu,

Maria constans adstat cruci.

Ioannes.

Ambros.

Iesu, quæ animum non mutauit. Spectabat piis oculis filii vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem: stabat non degeneri mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem; pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat; non ignara fuit mysterii, quod genuisset resurrecturum. Et lib. 10. Epistola. 82. Maria, vt matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis, ante crucem stabat, & piis spectabat oculis filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Et oratione funebri de obitu Valentiniani Imperat. Stabat & sancta mater iuxta crucem filii, & spectabat virgo sui vnigeniti passionem. Stantem illam lego, flentem non lego. SIMEON Metaphrastes oratione de ortu, vita, & dormitatione Deiparæ. Dicunt hi, qui de his rebus tractarunt, eam ab initio vsque ad finem se fortiter, & constanter gessisse. Honeste quidem, & non indecore vtentẽ motu animi, factis tamen ostẽdentem se esse matrem, sed omnino matrẽ illius, qui amico mortuo, & ostendit amorem, & motum animi certis finibus continuit. ANSELMVS sermone super euangelium, stabant iuxta crucem. Stabat Maria in fide Iesu cõstantissima, & patientissima, nam discipulis fugientibus, cunctisq; viris recedentibus, in gloriam totius feminei sexus, inter tot pressuras filii sui, constanter ipsa sola stabat in fide Iesu firma, & pulchre stabat, vt decet pudicitiam virginalem, nõ se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium à Deo petebat, sed stabat disciplinata, verecunda virgo, patientissima, lacrimis plena, doloribus immersa. BERNARDVS super idem euangeliũ. Stabo & aspiciã oculis manus perforatas, & pedes videbo, quomodo pẽdeat in patibulo mũdi Saluator, & quomodo transeat ex hoc mundo. Accedam propius, & amplectar brachiis, & depositum de cruce osculabor filium Deum, & Dominum meum. *AVCTOR.* Non ergo deliquium animi passa est virgo prudentissima, nec aliquid sua gessit indignum virtute, licet grauissime, vt matrem decet, doluerit; nullo enim modo, vt recte adno-

Simeon Metaphr.

Maria dolebat, sed non indecore.

Anselm.

Stabat Maria iuxta crucem virili animo.

Bernard.

Auctor.

Nullum passa deliquiũ Maria.

Bonauen. adnotauit Diuus Bonauentura lib. 1. senten. dist. 48. quæstione vltima, dubitandum est, quin virilis eius animus, & ratio constantissima vellet etiam tradere filium suum pro salute generis humani, vt mater per omnia conformis esset patri; & in hoc, miro modo debet laudari, & amari, quod placuit ei quod vnigenitus suus pro salute generis humani offerretur; & tantum etiam compassa est, vt si fieri potuisset, omnia tormenta, quæ filius pertulit, ipsa libētius sustinuisset. Vere ergo fuit fortis, & pia dulcis pariter, & seuera, sibi parca, & nobis liberalissima. Hæc ergo præcipue est amanda, & veneranda post Trinitatem summam, & eius prolem beatissimam, Dominum nostrum Iesum Christum. Hæc seraphicus ille pater.

Voluit ipsa filium pro salute hominū tradi.

Cur præcipue amāda Maria.

Gladii instar dolor cruciabat matrem.

Ephrem.

9 VT PRAEDIXERAT. EPHREM in lamentatione Mariæ. O Simeon admirande, en nunc gladius, quo mihi prædixisti cor meum traiiciendum: ecce gladius; ecce vulnus fili, & Deus mi, tua mors meum cor subiit, viscera mea sunt disrupta, meum lumen obtenebratum est, & pectus meū grauis pertransiuit gladius.

Simeon.

SIMEON Metaphrast. oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Postquam scelerati venerunt in locum caluariæ, & fixa quidem fuit crux, in ea vero pendebat eius filius, quomodo erat animo affecta eum videns sic patiētem? Quomodo non in eius potius carnes tela immittebantur, vt etiam hinc finem acciperet quod dixerat admirabilis Simeon, tuam quoque ipsius animam pertransiuit gladius? Ceteros vide supra c. 9. num. 5.

Auctor.

AVCTOR. Cum gladius in scriptura, & propriè accipiatur, & metaphorice, & hoc multipliter, quæritur de quo gladio locutus fuerit Simeon? Est enim gladius corporeus, de quo Math. 26. omnis qui acceperit gladium gladio peribit: est gladius spiritualis verbi Dei, de quo ad Ephes. 6. & ad Hebræos. 4. Paulus, accipite gladium spiritus, quod est verbū Dei: est gladius maledicētiæ iuxta illud Psalmi. 56. & 58. Gladius in labiis eorū, & lingua eorū gladius acutus: est gladius scandali, & ambiguitatis, quo apostoli cōfusi fugerūt: est demum gladius doloris, tribulationis, &

Gladii variæ acceptiones.

compas-

compaſsionis, qui hominis quãtumuis iuſti penetrat animum. Et ſic de Ioſeph cecinit Dauid Pſalmo. 105. ferrum pertrãſiuit animam eius. Et quidem de gladio alio quam vel corporeo, vel compaſsionis non locutum Simeonem, quoniam cuiuis ſatis erit compertum, & id vbi ſupra diſcuſsimus, nõ eſt cur latius diſputemus. Iſidorus tamen libro de vita, & morte ſanctorũ cap. 68. hanc (Mariam inquit) corporalis necis paſsione adſerunt ab hac vita migraſſe, pro eo quod iuſtus Simeon complectens brachiis ſuis Chriſtum, prophetauerit dicens, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Quod quidem incertum eſt, vtrum pro martyrii gladio dixerit, an pro verbo Dei valido & acuto præ omni gladio ancipiti: ſpecialiter tamen nulla docet hiſtoria Mariam gladii animaduerſione peremptam. Hoc ipſum aſſerunt Ambroſ. & Beda in caput. 2. Lucæ, & Timotheus presbyter Ieroſolymitanus oratione de Simeone, Simeonem de corporeo gladio nõ agere, cum nulla extet hiſtoria, quæ Mariam ferro, gladio, aut violenta morte affectam, ex hac vita migraſſe, confirmet. Quare relinquitur vt de gladio doloris, & compaſsionis fuerit vaticinatus, qui tantus fuerit, vt virginem non tantum Martyrem, ſed pluſquam Martyrem effecerit: quod his verbis aſſeruit Sophronius ſermone de Aſſumptione Beatæ Mariæ. Alii namque ſancti & ſi paſsi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima, quia immortalis eſt, pati non potuerunt; Beata vero Deigenitrix, quia in ea parte paſſa eſt, quæ impaſsibilis habetur, ideo, vt ita fatear, quia ſpiritualiter & caro eius paſſa eſt gladio paſsionis Chriſti, pluſquam Martyr fuit: vnde conſtat quia plus omnibus dilexerit, propterea & plus doluit, in tantum vt animam eius totam pertranſiret, & poſsideret vis doloris, ad teſtimonium eximiæ dilectionis. Quæ quia mente paſſa eſt pluſquam Martyr fuit, nimirum quod dilectio eius amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Chriſti ſuam fecit. Id ipſum aſſerit Illefonſus ſermone ſecundo de virginis Aſſumptione, quem vbi ſupra retulimus, & Bernardus ſermone, ſignum magnum. Et Anſelmus libro

Iſidorus.

Mariã gladio corporeo peremptam nonnulli putarunt.

Ambroſ.

Beda.

Timotheus.

De gladio doloris intelligitur.

Maria pluſquam martyr.

Sophron.

Illefonſus.

Bernard.

Anſelm.

lib. de excellentia Beatæ Virginis cap. 5.

Ephrem. 10 CIRCVMSPICIENS. EPHREM in lamentatione Mariæ. Stans apud crucem purissima virgo, Saluatoremque in ligno suspensum suspiciens, plagas reputans, intuens & clauos, querellas, colaphos, ac flagellationem, cum grauibus suspiriis, cum fletu ingenti, exclamauit. *Ambros.* AMBROSIVS Episto. 82. Maria piis spectat oculis filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortẽ, sed mundi. *Simeon.* SIMEON Metaphrast. oratione de vita, & dormitatione Deiparæ. Quæ omnia eam transuerberabant profundius, quã vlli claui, & innumerabilibus quidem plagis sauciabatur. Hoc vero erat ei omniũ molestissimum, quod ad illum quidem accedere, & eum alloqui sitiebat, repellebatur autem à multitudine canum eam circũdantium. Postquã autẽ quæcumq; volebant impleta fuerunt à Dei parricidis, & nõ expectabant amplius fore, vt ab eis euaderet, cũ proximi quidẽ amici effugissent, aut potius à longe starent, ipse autẽ esset clauis confixus, custodia ab eis omnino negligebatur. *Mariã accessisse ad osculandos pedes Iesu è cruce pendentis.* Tunc verisimile est Deiparã sibi data facultate ad eũ accessisse, & intemeratos quidem eius pedes, & impressas eis plagas libẽter esse deosculatã, & sanguine miscentẽ lacrymas, oculos, & genas attriuisse; cũ maximo autẽ animi motu eũ adspicientẽ dixisse: Quid hæc sunt ò Dñe, & Deus? sed loquere aliquid modicũ ad tuã matrẽ recreandã, non fero enim dolores quæ te peperi sine dolore, vbi te videbo postea? quod erit mihi solatiũ? Quis mei curã geret, ac defendet? *Euthym.* EVTHYMIVS in illud Math. 27. inter quas erat Maria Magdalenę. Verisimile est autẽ tũc Dei matrem propinquius cruci adstitisse, quam ceteras mulieres, idque viscerum inflamatione Iudæorum vincente timorem, fortassis vero etiam circumisse, cum propter naturæ aculeos, in eodem loco manere non posset. *Maria circumdat crucem.*

Iesus commendat matrẽ Ioanni. 11 VT REMVNERARET. IOANNES. 19. 26. Cum vidisset ergo Iesus matrẽ, & discipulũ stantẽ, quẽ diligebat, dicit matri suæ, mulier, ecce filius tuus: deinde dicit *Ioannes.* discipulo, ecce mater tua; & ex illa hora accepit eã discipulus

pulus in ſua. BEDA ſuper caput. 19. Ioannis. Sed in quæ ſua Ioannes matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat, qui dixerunt ei, ecce nos dimittimus omnia, & ſecuti ſumus te; ideo ibi quoq; audierat, quicumq; iſta dimiſerit propter me accipiet in hoc ſeculo centies tantum. Habebat ergo ille diſcipulus centupliciter plura quã dimiſerat, in quæ ſuſciperet eius matrẽ, qui illa donauerat. Sed in ea ſocietate Beatus Ioannes perceperat cẽtuplum, vbi nemo dicebat aliquid ſuũ, ſed erant illis omnia communia, ſicut in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt; ſic enim Apoſtoli erant quaſi nihil habentes, & omnia poſsidentes; & diſtribuebatur vnicuiq; prout cuiq; opus erat: vnde intelligendum eſt, ſic diſtributum fuiſſe huic diſcipulo quod opus erat, vt illic etiam Beatæ Marię tamquam matris eius portio poneretur. Magiſque ſic debemus accipere quod dictum eſt, ex illa hora ſuſcepit eam diſcipulus in ſua, vt ad eius curam quidquid ei eſſet neceſſarium, pertineret: ſuſcepit ergo eam in ſua, non prædia, quæ nulla proprie poſsidebat, ſed officia, quæ propria diſpenſatione exequenda curabat. SIMEON Metaphraſtes oratione dicta. Cum eam vidiſſet tam acerbe affectam, & ſtantem prope dilectum diſcipulum, illud eſt omnino elocutus, quod diuinum narrat euãgelium. Eam enim primum adſpiciens, mulier, inquit, ecce filius tuus, oſtendens diſcipulum; ſic vel cruci affixus curam gerebat matris, & eam commendauit dilecto diſcipulo, nos docẽs nõ negligere parẽtes vſq; ad extremũ ſpiritũ. Quamquã prius videbatur etiam repellere, quid mihi & tibi, in nuptiis, inquit, mulier, & poſtea, quæ eſt mater mea? Hic autẽ apertam oſtendit dilectionẽ. Et diſcipulo quidem eam commendat, ſic conſolans; illũ autẽ magis honorãs commendatione. Et quod valde eum diligeret hoc vtens teſtimonio (quid enim aliud faciẽs, aut dicẽs illũ tali honore eſt dignatus) ſimul quoq; quod permãſiſſet, ei referens gratias. Deinde cũ etiã adſpexiſſet diſcipulũ, ecce, inquit, mater tua. Hoc autẽ erat cõiungentis ad dilectionẽ, & ſimul etiã oſtẽdẽtis amborũ auctoritatẽ; ab eo ergo tẽpore

Ioãnes Mariæ neceſſaria prouidebat.

Simeon Metaphr.

Chriſtus docet parentes non negligendos.

discipulus eam accepit in propria, intelligens quorsum tenderet oratio, & Domini voluntati sincere inseruiens.

Mater vsq; ad mortem adfuit filio.
Simeon Metaphr.

12 SEMPER ADFVIT. SIMEON Metaphr. in oratione de vita, & dormitatione Deiparæ. Quomodo sustinuit videns inimicos, qui non post mortem quidem erant reconciliati filio, sed cædem adhuc in eum spirabant, & gladio eius latus confodiebant? Dicuntur autem hæc quoque à linguis, quæ plurimi faciunt veritatē, quod cum hæc noua, & admirabilia percepta essent oculis Deiparæ, & post mortem filii perinde, ac si viueret, ex eius latere aqua, & sanguis scaturiret, illa eum quidem haurit reuerenter, & diligenter. Deinde ea sic se totam dedit parandæ sepulturæ, & quemadmodum diuinum illud corpus è ligno deponeretur, & aptum monumentum consequeretur. Cum autem nō posset hæc per se efficere, mentem mouet omnino eius filius, vt scrutaretur in loco caluariæ; Quod cum factum esset, concedit vt eius scopus facile succederet; inuenitur enim quoddam monumentum recentissimum, & pulcherrimū, vt in quo nullum adhuc esset sepultum, ne si alia posita fuissent corpora dubitaretur quod nam resurrexisset. Postquam autem sciscitata intellexit non solum esse amicum horti dominum, sed etiam discipulum, verum ocultum, venit ad eum virgo, & verbis ei suadet accommodatis, vt in suo monumento. tamquam in aliquo armario, magnam vim opum reponat, & sic domum custodientem apud se vitam habeat. Da ergo (ait) mihi gratiam, & communi huic magistro: audacter pete illius corpus vt deponatur, & mandetur sepulturæ, sic nobis omnibus magnam afferes consolationem, qui in omnem redacti sumus egestatem; & quorum nemo mouetur misericordia: ex me non possum quicquā facere, vt vides, cum sola, & hospita, & cum vno solo ex discipulis attenta sim crucifixo; sic mihi sistes dolorem, sic reprimes lacrimas. Cum Iosephum Deipara talibus verbis inflexisset, & incitasset, emittit ad Pilatum, ille autem expulsa omni timiditate, audacter ingreditur ad Pilatum,

Maria sanguinem haurit filii.
Mater curat sepulturam filii.

Pilatum, & his vsus, quibus opus erat, verbis, petitum accipit diuinum illud corpus. Mortuum itaq; videns filium, ea motu animi vsa est vt oportuit. Quin etiã in eo à cruce deponendo maternis manibus inseruiit, & clauos, qui extrahebantur suo sinu accepit, & membra illius amplexa est, partim quidem vlnis stringens, partim autẽ suis quoq; lacrymis plagas emundans; deinde etiam tota toti corpori circumfusa; ecce tibi ab omni seculo præfinitum mysterium ad finem vsq; venit, ò Domine, placida voce dicit: & Iosepho in manu tradẽs syndonem, tibi autem, inquit, deinceps erit curæ, vt in hac eum honeste cõponas, myrrhaq; pulchre condias, & ei iusta facias. NICEPHORVS lib. 1. eccles. histor. cap. 39. Cum verò metu homicidarum omnes profugissent, sola ibi aderat mater, & quẽ diligebat discipulus, qui omnia, quæ vel ante, vel post mortem eius gesta essent oculis ipsi suis spectarunt, sanguinemq;, & aquam è latere eius, quasi adhuc viuentis recens profluentem religiose simul, & honorifice admodum vasculo exceperunt. *AVCTOR.* Existimo satis aperte colligi ex euangelio Iosephum, quod esset discipulus Christi, à seipso miseratione, & amore communis magistri, nec non & matris orbitatis, commotum, audacter adiisse Pilatum, & petiisse corpus Iesu, & deposuisse è cruce, & syndone, quã ipse mercatus erat, vt ait Marcus cap. 15. 46. inuoluisse, ac in monumento collocasse, præsente tãtum ad omnia matre, cum ceteris mulieribus; sic enim ait Mathæus cap. 27. 61. Erat autem ibi Maria Magdalenæ, & altera Maria sedentes contra sepulcrum; & Marcus cap. 15. 47. Maria autem Magdalenæ, & Maria Iose aspiciebant vbi poneretur. Et Luc. cap. 23. 55. subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Ergo mater Iesu inter has mulieres, quæ illi aderant iuxta crucem, vna erat, quæ illis comitata, venerat ad videndum quomodo à viris fidelibus Iosepho, & Nicodemo mandaretur sepulturæ.

Nicephor.

Auctor.

Iosephus cu rauit corpus matre inspectante.

13 SED INDE. LVCAS ca. 23. 56. Et reuertẽtes *Lucas.*

parauerunt aromata, & vnguenta, & sabbato quidem si-
Greg. Naz. luerunt secundum mandatum, GREGORIVS Na-
zianz. in Tragædia de Christo patiente.

Eamus hinc citis silentes gressibus,
AEdes petendo feminæ, in quibus manent,
Vt hospites cum matre Marci Maria,
Quò & conuolauit, vt reor, sacer chorus,
Ibiq; dulcem præstolabimur diem.

Auctor. Simeon. AVCTOR. Simeon Metaphrast. oratione sæpius citata, his verbis affirmat, virginem triduo toto iuxta monumétum remansisse. Cum sic ergo, ait, nouo monumento diuinum corpus tradidisset Ioseph, & qui cum eo erat Nicodemus, & alii, qui cum eis aderant, ipsi quidem statim recedunt à sepulcro; mater autem sola remansit sepulcro adhærens, minime dormientibus oculis perseuerans: Ná aliæ quidem tota nocte ad sepulcrum ingressæ sunt, & egressæ; quam obrem nec eis contigit videre plura miracula resurrectionis: illa autem, quæ indiuulsa asidebat sepulcro omnia vidit aperte, & nó statim, sed postea protulit in lucem, & renunciauit. Nam quomodo simul terræmotum, & angeli in momento temporis descensum, & lapidis reuolutionem, & custodum profundum soporem, & expergefactionem, & quorumdam in vrbem reuersionem, potuissent abeuntes mulieres, & rursus reuertentes, integre perspicere? sed clarum est hoc fuisse materni, & ardentis amoris, quæ perpetuo asidens, & acriori spiritu vigilans, omnia perfecte vidit, vt se habebant, quod ne támtillum quidem, vt diximus, à sepulcro recesserit, donec ipsam viuificam vidit resurrectionem. Nam lapis quidem reuolutus, & angelus ei insidens, ab aliis quoque visus est mulieribus: quando autem, & quemadmodum hæc facta sunt, illæ quidem omnino nesciebant: ipsa vero sola, vt quæ asideret, omnia accurate perspexit. Quod ipsum as-
Euthym. serit Euthymius in cap. 27. Mathæi, postmodum autem, inquit, apud monumentú mansisse, & singula cóspexisse.

Verum

Verum hæc sententia non videtur satis firma, quia si Maria vna erat ex illis mulieribus, sicut ipsæ dicuntur ab euãgelista reuersę, sic & illa reuersa est, siquidem illa vna erat earum, vt supra probauimus, & asserit recte Nicephorus lib. 1. historiæ cap. 33. Nec ratio qua moti sunt hi auctores, cogit nos: quia satis aperte Diuus Mathæus cap. 28. 2. cum solicitæ venissent per viam mulieres de reuoluendo lapide, angelum, dicit, reuoluisse, ipsis inspicientibus. Ecce, ait terræmotus factus est magnus, angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum: præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui; respondens autem angelus dixit mulieribus, nolite timere vos. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. Itaque & mulieres conspexere, & ipsi custodes; & illæ omnia nunciauerunt Apostolis; nec oportuit assedisse virginẽ illo triduo solam sepulcro: quomodo enim & Ioannes id sustinuisset, & Maria Magdalena, & reliquæ piæ feminæ? nam scimus & Ioannem, & reliquos ibi non fuisse perpetuo, sed rediisse Ierosolymam, & die vna sabbatorum venisse ad monumentum. Siluit ergo Beata Virgo suum dilectum expectans Ierosolymis.

Refellitur dicta sententia.

Niceph.

14 IN IOANNIS. *AVCTOR.* Diximus supra numero. 5. cænaculum, quod erat in domo Ioannis, cognomento Marci, filii Mariæ, Bernabæ materteræ, fuisse, in quo Christus, quoties Ierosolymam veniebat, diuersabatur cum discipulis suis; in eoque celebrasse pascha, apparuisse Thomæ, conuenisse omnes post Christum assumptum, descendisse Spiritum sanctum, Petrum è carcere liberum susceptum. In qua re probanda hic non immorabimur, quia latius inferius cap. 20. num. 6. de ea disseremus.

Maria deducta in domũ Marci.

Auctor.

Mysteria patrata in cænaculo.

(?.)

VITA VIRGINIS A Christi resurrectione vsque ad Pentecostem. Cap. XVII.

1 DOMI filii aduentum dum fidelis præstolaretur mater, nihil de eius verbis hæsitans, quibus suam ad tertiũ post mortẽ diẽ multo ante pollicitus fuerat resurrectionẽ, ecce nocte ea, quæ sabbatum proxime consequitur, ad lucẽ vergente, cælesti splẽdore circũdatus, triũphantis gloriã præseferens, matris 2 primæ omniũ sese obiecit conspectui, hoc tam debito obsequio remunerãs eam, quæ & certa fide, & spe constanti, & accensa charitate ceteros omnes, seu viros seu feminas, lõgo interuallo superabat. Interea postquã & inflãmatis affectibus, & iis verbis, quę nec dici possunt, nec pro dignitate cogitari, & mater filio, & filius matri obtentam multis meritis felicitatem fuissent gratulati; quoniam aliæ piæ feminæ virginis comites, ad sepulcrũ mane summo contẽderant, corpus aromatibus, vt mos erat, cõdituræ, matri valedicẽs, cui sæpe alias se visendũ erat obiecturus, accurrit ilico, & vt dubias de sua resurrectione certiores

redderet, & vt tristes sua præsentia consolaretur. Ergo post visos apud sepulcrum angelos, cum Christus sese inter alias primæ Mariæ ostendisset Magdalenæ, & deinceps reliquis feminis; illæ cōcito gradu, 3 ad Iesu matrem hilares regrediuntur, & magistro parētes ad discipulos, vt & quæ audierant, & quę viderant referentes, summo cum gaudio sibi inuicem resurrectionem Domini gratularētur. Id ipsum fecisse Iacobum, Petrū, & Ioānem, ceterosque vel Apostolos, vel discipulos, quibus noui aliquid, lętiue eo ipse die accidisset, non licet dubitare. Quorum ipsa fidem, à filio factam sibi denuncians manifestationem, confirmabat, & verbis consolatoriis tristitiā, si qua supererat, è mētibus eorum, grauiter repellebat. Postquam autem Christus sub illius diei noctē, & octauo præterea die, in ea ipsa domo, in qua cum matre Iesu conclusi manebant, Apostolis, ac discipulis visendum se, ac contingendum præbuisset; ex eius 4 pręscripto omnes cum ipsa Iesu matre properant in Galilæam, vbi eius conspectu erāt liberius fruituri. Ibi confluēte vndique ex vniuersa Galilæa omni fideliū Ecclesia, quibus à fratribus è Iudęa aduentātibus fuerat denunciatū, ad designatū diem,

& 5 ad montem, quem conſtituerat illis Dominus, Maria videlicet matre Ieſu, Apoſtolis, diſcipulis, ac piis feminis cũ aliis 6 pluſquam quingentis fratribus ſimul, adeſt ecce Dominus glorioſus: quem vidẽtes omnes exhilarati, 7 adorauerunt; & in hoc breue compendium vniuerſum euãgelium redactũ acceperunt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcumq; mãdaui vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad cõſummationẽ ſeculi. Hac mira Chriſti oſtenſione recreati, & talibus promiſsis cõfirmati, Maria quidem cum ſuis comitibus, & Apoſtoli cum diſcipulis Ieroſolymam regrediuntur: vbi in cœnaculo congregatis, cum quadrageſimo à reſurrectione die, ſe demun Chriſtus oſtendiſſet, & multa cum illis fuiſſet collocutus, extra ciuitatẽ eductos in oliueti montem iuſsit cõuenire. Atque ibi 8 matri ſuæ, ceteriſq; valedicens, videntibus omnibus eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Sic poſtquam admirantes Dominum adorauerunt, regreſsi Ieroſolymam in cœnaculo manſerunt cum Maria matre

Iesu, in oratione perseuerantes, diuinū, iuxta Christi promissionem, spiritum expectātes. Interim communibus Mariæ precibus, & fratrum fere centum viginti, Mathias diuina sorte suffectus in Iudę locum est. Cum demum complerentur dies Pentecostes, & iam omnes, quibus pollicitus fuerat Christus suū spiritum, simul cum Maria matre Iesu in ea ipsa domo, consedissent, factus est repente de cælo sonus, tamquā aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum; apparentibus supra singulos linguis igneis: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: cum omnium summa admiratione, & stupore, qui tūc omni ex orbis parte Ierosolymam confluxerant ad festum illud celebrandum. In his eo affluētius varia diuini spiritus sunt Mariæ cōmunicata charismata, quo ceteris apud Deum gratia præstabat magis, & matris Christi dignitate, & totius Ecclesiæ magistræ munere superabat omnes.

Testimonia.

Bernar. 1 OMI. BERNARDVS lib. de passione Domini cap. 2. Et fortasse propterea illa mater, quæ plus habuit pietatis cũ aliis, ad vngendum non venit corpus Christi sepultum, quia frustra putabat eum vngi, quem resurrecturum sciebat. Auctor. *AVCTOR.* Communis est Ecclesiæ sensus Mariam matrem Iesu domi conquieuisse expectãtem filii resurrectionem, nec cum aliis piis feminis ad sepulcrum iuisse, tum quod certa erat de Christi resurrectione, & ex his, quæ ipse prædixerat, & quod ante alias, eum iam viderat; quæ ignorantes mysteria, existimabant adhuc in sepulcro iacere, sicut ceteros defunctos: tũ quod nulla erat ex his, quæ ab euaugelistis enumerantur, feminis. Quamuis ex Græcis patribus nonnulli, iuxta sepulcrum vsque ad resurrectionem remansisse dicãt, quorum sententiam reiecimus superiori capite numero. 13. Alii cum feminis aliis ad vngendum corpus adiisse affirment: Greg. Naz. in his est Gregorius Naz. oratione. 2. in pascha, vbi ad finem sic ait. Si Maria quædam sis, si alia Maria, si Salome, si Ioãna, diluculo lachrymas profunde: vbi Nicetas; Alia autem Maria, cuius hoc loco meminit Gregorius, proprie Nicetas. quidem est mater Domini; vel potius Iacobi minoris, nã mater Domini in prima illa profectione cum sola Magdalena ad monumentũ perrexerat, ac resurrectionis Christi certior facta, quieté agebat. Et clarius, latiusq; in Tragædia, Christus patiens, vbi loquens Deipara, Quin ego, ait, tibi me Maria dabo sociam viæ, nam cor dolore dum graui tota vlceror, vsque adeò solicita manere qui feram? Nunc misera tamdem virgo vbi discesseris? Magdalena. Quod restat abeamus ò amicæ virgines, te comi- Greg. Nyss. te sola gaudeo supra modum. Et Gregorius Nyssenus oratione secũda de resurrectione Christi. Quoniam auté, Tres Mariæ. inquit, multarum Mariarum in euangelio mentio sit, tres numero omnes esse statuere debemus, quas Ioannes

compre-

comprehensim numerauit, cum diceret. Stabant autem iuxta Crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & maria Magdalena. Nam Mariam Iacobi, & Iosæ matrem, apud alios Euangelistas nominatam, Deiparam, & non aliam esse credimus. Atque ita cum Magdalena, & aliis mulieribus ad sepulcrum dicit iuisse. Idem Sedulius lib. 5. Paschalium carminum in fine. Sic etiã Theophylactus Mathæi 27. Mariam matrem Iacobi, & Ioseph, Deiparam dicit: Maria autem Magdalenæ, & altera Maria, hoc est Deipara, quam supra dixerat Iose, & Iacobi matrẽ, ambæ, inquit, assederunt ad sepulturam, ita vt cum furor Iudæorum cessaret, abirent, vt abluerent corpus, ac inungerent. Et alibi sæpe. Sic tamdem Nicephorus lib. 1. histo riæ Ecclesiasticæ cap. 33. Maria, inquit, Magdalena, & alia Maria, (Dei vero genitricem hanc esse sacri nobis prodidere libri) vt reliquis feruidiores, vehementioresque, affectæ dolore vnguenta quædam rite præparata habentes, adueniebant, de Iudæorum consuetudine, Iesum vncturæ. Verum horum sententiam iure optimo refutat Metaphrastes, in oratione de vita, & dormitatione Deiparæ, quod nusquam in Euangeliis, nisi mater Iesu appelletur, non mater Iacobi, aut Ioseph, post arcanum illum ortum. Sic Mathæi 2. Ioannis 2. 19. Mathæi 12. Actorum primo. Tum etiam quia non esset ei prælata Magdalena in enumeratione, quasi feruentior, & honorificentior; nec Apostoli eius dicta, quasi deliramenta accepissent, si fuisset mater Iesu: vt refert Lucas cap. 24. Hoc igitur certum haberi debet, Deiparam domi quieuisse certam de filij resurrectione: alias autẽ mulieres, ideo ad sepulcrum abiisse, quod nondum crederent resurrecturum, quem quasi mortuum vngere decreuissent. Quæ vero hęc domus fuerit diximus in fine proximi capitis.

Maria Iacobi, & Iose eadem quæ Deipara.
Sedulius.
Theophyl.
Nicephorus

Refellitur prædicta sententia.
Metaphras.

2 MATRI PRIMAE. SEDVLIVS libro 5. Paschalium carminum.

Christus resurgens matri primæ omnium apparuit.

Huius se visibus adstans,
Luce palam dominus prius obtulit, vt bona mater,

Grandia diuulgans miracula: quæ fuit olim,
Aduenientis iter, hæc sit redeuntis & index.

Sime. Met. SIMEON Metaphrastes, in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Videntur ergo ei primæ esse datæ boni nuncij resurrectionis: & quo ad eius fieri potuit ab ea conspectus fuisse splendor filij. Sed sic quidem Dei mater, & ipsa clarius adspicit filij resurrectionem, & eius prædicatores de ea magis confirmat, quam eæ, quæ vnguenta obtulerunt, etiam si dum loquerentur de Domini resurrectione, nullam eius mentionem fecerint: cauentes fortasse maternum afferre testimonium, ne videretur suspectum, & propter coniunctionem fides ei minus haberetur. *Anselmus.* ANSELMVS libro de excellentia Beatæ Virginis, capite sexto. At si aliquis quærit, quare Euangelistæ non referant ipsum piissimum Dominum à morte resurgentem, huic suæ dulcissimæ, dilectissimæque matri, vt eius dolores mitigaret, primo ac *Ratio optima.* præcipue apparuisse? Dicimus quod à quodam sapiente de hoc ipso sciscitantes audiuimus, sic tanta est suscitata auctoritas narrationis Euangelicæ, vt nihil in ea dependens, nihil inane, nihil superfluum reperiatur, ita quod si matri Domini, si dominæ mundi, ipsius filius ab inferno resurgens scriberetur, sicut alij cuilibet, apparuisse, eamque de sua resurrectione docuisse: quis non tale scriptum superfluum duceret, Reginam videlicet cæli, & terræ, omnisque creaturæ, coæquare illis, quibus apparuit, viro, aut mulieri? *Rupertus.* RVPERTVS libro septimo de diuinis officiis, capit. 25. Perpendere gestit Christiana deuotio, quantus tor*Gaudium Virginis filium videntis suscitatũ* rens gaudij repente inudans, locumque vulneris replens, animam eius ferro doloris confossam inebriauit, cum rediuiuus filius illi ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annunciauit, dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur

Euan-

Euangelio referenti, quod surgens IESVS primo Mariæ Magdalenæ apparuit? Absit. Sed omnibus beatam Virginem matrem excipimus testibus prærordinatis, quos solos nominare ad Euangelistas pertinuit; vel quos Christi resurrectionem annunciare decuit. Numquid illam nunciare decebat, vt verba eius, tamquam deliramenta viderentur ante Apostolos? Si enim extranearum verba feminarum visa sunt eis, tamquam deliramenta, quomodo non magis matrem amore filij delirare crederent? Verissime ergo matri filius resurgens apparuit, sed illa, vt ab initio cœperat, ita & nunc, conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Quod si idcirco verum non videtur, quia nullus Euangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est, quod numquam post resurrectionem suam visus sit matri, quia quando, vel vbi apparuerit illi, nullus eorum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrem, & matrem honorare præcepit. Absit inquam, vt matrem propter se doloris gaudio transuerberatam, tam dura negligentia, talis filius inhonorauerit. Non si Apostolica Sanctæ Romanæ Ecclesiæ veritas, quæ hanc beatam Ierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. NICEPHORVS libro primo, capite trigesimo secundo. Primum quidem à matre, & reliquis conspectus mulieribus, deinde à dilectis discipulis. *AVCTOR.* Res ipsa compertum facit matri suæ, Christum Dominum se ostendisse, nec est cur distulerit, quin primæ omnium id ei contulerit, quæ prima omnium merebatur. Rupertus autem, Anselmus, & Simeon Metaphrastes satisfaciunt his, quæ in contrarium obiici possunt. Verum nequis existimet in re certa incertos nos coaceruare testes, sciat Nicephorum Calixtum locutum esse de matre IESV eunte cum aliis mulieribus, quam nomine Mariæ Iacobi putat intelligi cum Græcis, quos adduximus. Sanctus Ambrosius autem, quem

Cur nō scriptum filium matri primæ apparuisse.

Romana ecclesia tenet Christū apparuisse matri omnium primæ.

Nicephor.

Auctor.

Rupertus.

Anselmus.

Simeon Metaph.

Nicephorus explicatur.

Ambros.

quem aliqui pro hac sententia referunt ex libro 3. de virginibus, non videtur loqui de Maria matre Iesu, quia super 24. caput Lucæ lib. 8. duas constituit Marias Magdalenas, vnam, quæ credidit, & tetigit pedes Domini, alteram, quæ nutabat in fide, & prohibita est contingere; & de illa dicit lib. 3. de Virginibus, quod Maria prima vidit, & credidit, deinde vidit Maria Magdalena, quamuis adhuc nutaret. Et constat quia eo lôco dicit virgines primas resurgentem Christum meruisse videre, quasi simul eis apparuisset.

Duæ Mariæ Magdalenæ.

Aliæ feminæ renũciãt Mariæ filij resurrectionem.
Mathæus.
Lucas.
Auctor.

3 AD IESV. MATAEVS cap. 28. Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes renunciarunt discipulis eius. LVCAS cap. 24. Et regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & ceteris omnibus. *AVCTOR.* Cum Maria mater Iesu in ea ipsa domo degeret, in qua Apostoli, & discipuli: cum iussu Christi, & Angelorum, veniebant, vt nunciarent discipulis, quod viderant, & audierant, quomodo non certum haberi debet, ad matrem ipsam omnes properasse, & mulieres, & Apostolos, & discipulos, ei referentes quæ viderant, & audierant, & Christi gloriã gratulantes: nisi valde inurbanos, & inhumanos omnes esse velimus in eam, quam summo honore obseruabãt? Præsertim cum Lucas dicat, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & ceteris omnibus, ergo & Mariæ.

Christus iturus abire in Galilæam.
Marcus.
Mathæus.
Marcus.
Rupertus.

4 PRAESCRIPTO. MARCVS cap. 14. 28. Postquam resurrexero præcedam vos in Galilæam. MATHAEVS cap. 28. Et cito eũtes dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. v. 10. Nolite timere, ite nũciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, vbi me videbũt. MARCVS cap. 19. 7. Sed, ite, dicite discipúlis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. RVPERTVS lib. 7. de diuinis officiis cap. 25. Numquid vel tunc quando vndecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem, sicut constituit illis Dominus Iesus, hanc beatam, de qua loquimur, Mariam præte-

præterierunt, & absque illa videntes eum adorauerunt? *AVCTOR*. Hoc Angelorum, & Christi ipsius mandatũ eundi in Galilæam, cõprehendisse præcipue Apostolos, deinde discipulos, tum etiam pias illas feminas, quæ secutæ fuerant Christũ è Galilæa, patet, quia dicit, dicite discipulis; & Marcus cũ ipsis mulieribus videtur loqui: & quia ad mare Tyberiadis etiam præter Apostolos aderant aliqui ex discipulis: & quia cum omnes ad Pascha venissent cum Christo, & eius matre ex Galilæa, omnes ad propria regredi voluisse, est consentaneũ: præsertim ad tam solennem Christi manifestationem. Quod si Ioannes regressus est in Galilæam, ergo matrem secum duxit. Et similiter Magdalena, & aliæ mulieres non eã Ierosolymis reliquissent. Causa autem præcipua, cur Christus toties huius apparitionis in monte Galileæ meminerit, fueritque illam pollicitus, ea videtur esse, quod in Galilæa plures sibi discipulos acquisierat: volebat autem vniuersę Ecclesię, quã collegerat in eo monte congregatæ liberius sese ostendere, ac potestatẽ suam, quamque Apostolis conferebat, declarare, & illud summe amplectendũ promissum tradere, quo promisit adfuturũ illis vsque ad finem seculi. Quapropter ad tam insignem ostensionem, toties per Christũ, & Angelos indictam, omnes fideles fere confluxere. Non ergo potuit deesse Maria quæ præcipuũ erat Ecclesiæ mẽbrum, & magistra futura erat Apostolorum, vt dicemus.

Auctor.

Ioannes matrem secum duxit in Galilæam.

Cur Christus toties fuit pollicitus manifestationem in Galilæa?

Omnes fideles Galilæi ad ostensionem tam solennem confluxere.

5 AD MONTEM. MATHAEVS cap. 28. 16. Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus. *AVCTOR*. Quoniã hic docemur à Christo montem constitutum, cũ tamen non referant quis is fuerit, Euãgelistæ, colligimus & diem fortasse constitutũ, in quo omnes conuenirent, & propterea septem illos ad piscandum rediisse, dum accederet designatus dies, & vndiq; omnes possent conuenire. Sed quis fuerit hic mons dubitatur? Nam quibusdam videri potest fuisse, quem vocant Christi, cuius Brocardus meminit in descriptione terræ sanctæ cap. 4. in quo Christus habuit longum illum sermonem de beatitudinibus Math. 5. vbi

Locũ, & tempus apparitionis designauit Dominus.

Mathæus.

Auctor.

Mons qui fuerit?

Brocardus.

Mons Christi.

& sæ-

& sæpe pernoctauit in oratione: qui situs est ad iactum lapidis maris Galileæ, & tribus milliaribus à Capharnaum. Rupertus lib. 7. de diuinis officiis cap. 22. & 25. Et lib. 14. in Ioan. cap. 22. in ea verba, & Thomas cum eis, putat fuisse ciuitatem Nazareth, & montem, in quo ipsa erat ædificata, vt dicitur Lucæ 4. vnde ex Hieron. Math. 28. colligit hanc apparitionem esse eamdem cũ ea, qua post octo dies, Ioan. 20. apparuit Christus Apostolis congregatis, & Thomæ: quia in domo Nazareth, quæ erat in mõte. Verum eius sententia non conuenit cum Ioanne, iuxta communé expositionem, qua intelligitur locutus de discipulis, cum Thoma in cœnaculo congregatis. Et Hieronym. alium habet sensum. Aliis videtur fuisse monté Thabor, qui situs est ad Orientem, à Nazareth distans duabus leucis, vt ait Brocardus cap. 5. vt vbi præsignificauit gloriam resurrectionis transfiguratus, ibi iam suscitatum se manifestaret. Nihil certi habemus de hac re.

Rupertus. *Mons vrbis Nazareth.* *Ruperti sententia refutatur.* *Hieronym.* *Mons Thabor.*

6 PLVSQVAM QVINGENTIS. PAVLVS 1. ad Corint. 15. 5. Tradidi vobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas, & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est p usquam quingẽtis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. *AVCTOR.* Cum Paulus seruato ordine dicat Christum visum: & constet ipso die resurrectionis visum esse Petro, deinde ipso die, & octauo vndecim, sequitur vt quando visus est in monte visus sit huic discipulorum multitudini; siquidem ad mare Tyberiadis, quinque tantum se ostendit: præsertim cũ ipse Dominus præceperit discipulis conuenire in Galilæa, ad hãc solennem visionem. Discipuli autem erant & hi quingenti, vt ait Euseb. lib. 1. hist. Ecclesiast. cap. 12.

Christus apparuit plusquam quingentis simul Paulus. *Auctor.*

7 ADORAVERVNT. MATHAEVS cap. 28. 16. Vndecim Apostoli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt. EPIPHANIVS hæres. 76. contra Anonæos

Adoratur Christus in mõte ab omni Ecclesia.

contra

contra libellum Actij, contra cap. 32. Adorabunt ipsum omnes Angeli Dei, & adorauit ipsum Maria, vbi gloriose resurrexisset in carne, & omnes ipsius discipuli. AVCTOR. Quamuis Mathæus dixerit vndecim abiisse, non tamen negat abiisse plures alios discipulos: siquidem mādatum Christi per feminas indictum discipulis est, quorū nomine fratres omnes intelliguntur: nam & Ioan. 20. scimus inter piscantes ad mare Tyberiadis fuisse Nathanaelem, & duos alios discipulos. *Mathæus.* *Epiphanius* *Auctor.*

8 MATRI SVAE. LVCAS cap. 1. Actuū Apostolorum v. 12. Tunc reuersi sunt Ierosolymam à mōte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbathi habens iter: & cū introiissent in cœnaculū ascenderunt: vbi manebant Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Mathæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi: hi omnes erāt perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. SIMEON Metaphrastes, oratione de vita & dormitione Deiparæ. Cum nominatim Christi enumerasset discipulos, deinde subiungit, & hi omnes perseuerabant vnanimiter in oratione, & precatione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & cum fratribus eius. Semper enim ipsa quoque cum eis conuersabatur, & à rebus pulcherrimis, & honestissimis numquam omnino desistens AVCTOR. Hoc Lucæ testimonium ideo hic retulimus, vt ex eo vno constet, etiā si taceatur, in omnibus his manifestationibus primam fuisse Mariam matrem Iesu: vnde & reuersa est cum aliis ex monte Olìueti: quod si reuersa, adfuit igitur Ascensioni, & mansit in cœnaculo expectans aduentum Spiritus sancti, atque eius precibus Mathias electus est. *Christus matri, cæterisq; vale dicto ascendit in cælum.* *Lucas.* *Simeon.* *Auctor.* *Maria prima omnium in filij manifestationib.*

DEIPA-

DEIPARA ALIQVOT ANnis post Spiritus sancti aduentum Ierosolymis commorata Ephesum proficiscitur. Cap. XVIII.

1 APostoli ergò cum diuino acti spiritu Christum inciperent denunciare, & illi vndique Ecclesiam cõgregare, feliciter secum actum existimabant omnes, quod Iesu, ad patris dexteram considente, mater eius in terris superstes remaneret, cuius precibus germinans promoueretur Ecclesia, consiliis iuuaretur, ac denique documẽtis erudiretur. 2 Idcirco enim quęcumque dum cum filio ageret, suo in corde condiderat, de eius incunabulis, de mysteriis, de doctrina, ad hoc tempus, conseruauerat, vt quod Spiritus sancti dono, ex ea teneret melius, & penitius intelligeret, tamquam 3 magistra optima Apostolis expromeret, & fratribus aliis vniuersa explicaret. Hinc discipulus Christi 4 Lucas, quæ de eius præcipue infantia, ex ore Deiparæ exprompta concepit, in suam, quam contexuit, retulit historia Euangelicam. Igitur eum, vt vera mater

ter, omnes fideles exciperet, summa perfun debatur voluptate, tantam aspiciens ad Christum accessionem fieri, vel solis Ierosolymis ad vnius Petri verbum trium millium, tum etiam, & Ioannis filij quinque millium discipulorum, & copiosæ multitudinis è vicinis confluentis ciuitatibus. Quibus cum communem degebat vitam, in precibus cum illis vnanimiter perseuerans, & in fractione panis: tum etiam portionem suã, opera Ioannis ad victum, & vestitum, accipiebat ex communibus bonis, quæ Apostoli, pro cuiusque necessitate distribuebant. Sic cum animaduertebat, quanto essent Iudæi animarum profectui impedimento, iam Petrũ & Ioannem custodiæ tradentes, iam omnes simul Apostolos in publicũ carcerẽ coniiciẽtes, & flagellis cæsos dimittentes, nõ modico dolore afficiebatur: qui ad suos sũmo cũ gaudio reuertentes quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu, contumeliã pati, quid sibi cõtigisset Iesu matri referebãt. Sed tunc maxime matrẽ se esse ostẽdebat, precibus instãs, & omnes cõsolans, cũ, Saulo fideles persequente, cõprehẽdebãtur, & lapidibus obruti neci tradebãtur; inter quos primus fuit Stephanus: quã obrẽ omnes præter Apostolos, per varias re-

giones dispersi sunt: donec Saulus Damascũ profectus aduersus discipulos, totius ecclesiæ precibus, & Dei genitricis pręcipue, Christi discipulis adiectus est; vt ipse post tres annos regressus Ierosolymã; iisdẽ ipsis cũ sũma admiratione referebat. Magna vbique pace ecclesia fruebatur, at quinto fere post anno grauẽ Herode mouẽte persecutionẽ in Apostolos, Iacobus quidẽ Ioãnis frater, qui paulo ante 6 ex Hispania redierat, vbi 7 Mariæ cultũ, incolis cõmẽdauerat, ex eius ad columnã monitu, tẽplo illi pro opportunitate erecto, prope Pascha gladio perẽptus est: Petrus autẽ cõprehẽsus, vt post Paschã occideretur. Sed instãte precibus Matre Dñi, cũ cetera ecclesia, ab Angelo mirabiliter ereptus, 8 domũ venit Mariæ matris Ioãnis, cognomẽto Marci, vbi mater, Iesu, Iacobus, Ioãnes, & multi alij erãt cõgregati, & orãtes. Et cũ pro foribus narrasset, quomodo fuisset eductus, iubẽs, vt Iacobo, & fratribus aliis id renũciaretur, aufugit alio. Hac oblata occasione 9 omnes reliqui Apostoli dispersi sunt. Et Petrus quidẽ Romã proficiscitur, & alij in alias regiones: Iacobus solus mãsit Ierosolymis; Ioãnes autẽ tempori cedẽs cũ Deipara Virgine, 10 Ephesum profectus est, vbi aliquãto tẽpore morati, paulopost

Iero-

Ierosolymã ad pristinũ rediere domi cilium.

Testimonia.

1 POSTOLI. AVCTOR. Vno hoc iacto fundaméto, Mariam Dei genitricé Ierosolymis degisse, vbi prima iacta sunt ecclesię fundamenta, optima ratione, & necessaria cõsequentia colligimus, quá nullus vel medico rationis lumine illustratus, negare posśit, B. Virgini primas in omnibus ab Apostolis esse tributas, ad eamq; omnes solitos cõueni re, vel vt eã consulerent, vel vt illi sua referrent, vel vt aliqua ex ea discerét. Quis enim dubitet, cum Lucas dicat Actu. 2. 44. Omnes qui credebãt erant pariter, & habebãt omnia cómunia, possesśiones, & substãtias védebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat: quotidie quoq; perdurãtes vnanimiter in templo, & frangétes circa domos pané, sumebãt cibũ cum exultatione, & simplicitate cordis. Et c. 4. 32. Multitudinis auté credentiũ erat cor vnũ, & anima vna, nec quisquã eorũ, quæ posśidebat, aliquid suũ esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia: quis inquã, ab hac cómuni, & Euangelica vita, eximet illá, quę propterea à filio relicta est in terris, vt magistra esset virtutis Euangelicæ exercendæ? Quis etiam dubitet, cum dicit idem cap. 4. 23. Petrum, & Ioannem à concilio dimisśos, venisse ad suos, & annunciasse eis, quanta ad eos Principes sacerdotum, & seniores dixissent: & similiter cap. 5. 40. Cum omnes Apostoli ibant gaudétes à conspectu concilij, quoniá digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliã pati: & cum c. 9. 27. Paulus narrabat Apostolis, quo modo in via vidisset Dominum, & locutus ei fuisset, & quomodo Damasci fiducialiter egisset, in nomine Domini. Et cũ c. 21. Ingressus Paulus ad Iacobum, & omnibus presbyteris salutatis, narrabat per singula quæ Deus fecisset inter gentes per ministeriũ suum, & similia multa: inter eos, quibus hæc referebantur, primam fuisse B. Virginem, ad quam omnes tamquam ad matrem conueniebãt? Similiter cum quidpiam mali fidelibus accidebat, aut

Auctor.

Apostolorũ in Virginem obseruantiã

Maria virtutis Euangelicæ magistra.

Omnes ad Mariam tãquã ad matrem cõfugiebant.

persequutio excitabatur, vt cum Petrus, & Ioannes in carcerem sunt coniecti, & deinde Apostoli, cũ etiam Paulus illam excitauit persecutionẽ, qua B. Stephanus cum aliis multis neci traditus est; & cum Iacobus occisus est, & Petrus cõprehensus, & fiebat oratio ab Ecclesia pro eo, quis negabit dolore non modico affectam Virginem, cum ceteris fidelibus, primam institisse precibus? His similia multa colligimus ex Actis Apostolicis, quę profecto temere negarentur, & iure optimo in vita Virginis recensentur.

Maria prima in precibus.

2 IDCIRCO. EVSEBIVS Emissenus serm. 2. de natali Domini. O mater sapientissima, o sola talis filij dignissima, quæ omnia verba hæc in corde suo ideo conferebat, nobisque conseruabat, & memorię cõmendabat, vt postea ipsa docente, ipsa narrante, & nunciante, scriberentur, & in vniuerso mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nunciarentur: ab ipsa hæc Apostoli audierunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandauerunt? Quis igitur Euangeliis non credat? Quis eis cõtradicere præsumat? Quæ aut matris, aut filij auctoritate muniuntur? Quędam enim Apostoli, & Euangelistæ à matre Domini audierunt, quemadmodum ista, & cetera, quę de Saluatoris nostri infantia scripta sunt: plurima vero visu, & auditu ab ipso Domino didicerant. Et sermone, in Assumptione B. Marię. Ipsa deniq; sicut Maria, eius Verbũ non solum audiebat, verum etiã in corde suo conferebat, nobisq; ad legendum, & audiendum custodiebat. Sic enim scriptum est, Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. SOPHRONIVS serm. de Assump. B. Mariæ. Nõ quod eximius ille sanctorũ chorus Apostolorũ deseruerit eã, inter quos post resurrectionẽ intrans, & exiens familiarius cõtulit de Christi incarnatione: tãto siquidẽ verius, quãto abinitio plenius per Spiritũ sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis vniuersa. ILLEFONSVS serm. 5. de Assumpt. Iã vero optimam partẽ, quã soror Marthæ Maria in specie, & figura gerebat, Dei genitrix iure vera firmissime retinebat, & cum Apostolis de humanis Christi actibus, & verius, ac specia-

Mariæ mysteria infantiæ Saluatoris cur conseruauerit in corde suo Euse. Emis.

Sophronius.

Illefonsus.

ſpecialius cognoſcebat, verius, ac ſpecialiter conferebat, vt ab ea diſcerent, qualiter arcanum tanti myſterij, & ipſi crederent, & lucidius aliis enarrarent: & cũ opportunum fuerit ſine omni ambiguitate ſcriptis mundo tranſmitterent. Et ſerm. 1. Quæ cum Apoſtolis degens vixit, & quãdiu fuere vnanimiter in oratione permanſit, conferens cũ eiſdem, donec omnia cõplerentur repromiſsionis Chriſti myſteria, & ipſi longe, lateq; cauſa prædicationis diſpergerentur. ZACHARIAS Chriſopolitanus, in Monoteſſaron. Omnia quæ de domino, vel à domino dicta, vel facta cognouit, ſiue intellecta, ſiue nõ intellecta, in memoriam recondebat, vt tempore ſuo vniuerſa prout geſta erant, intelligeret, & quærentibus explicaret. RVPERTVS Abbas in c. 2. Mathæi, Maria conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Tẽpus tacendi, ait Salomon, & tẽpus loquendi. Diſcretionem eiuſmodi Virgo ſapiens, & prudens non ignorauit. Quamdiu filius hominis manere decuit minoratus paulo minus ab Angelis, fere tãdiu fuit Beatę Virgini tempus tacendi, & tamdiu tacuit, & tamdiu in ſilencio fuit, velut hortus concluſus. Vbi autem gloria, & honore coronatus eſt filius hominis reſurgendo, & in cælum aſcendendo, vbi ſedet ad dexteram Patris, ex tunc eidẽ Beatæ Virgini fuit tempus loquendi; & hoc amicis, ideſt, ſanctis Apoſtolis, & talia loquendi, qualia prius portare non potuiſſent: quod ſciens ipſe filius hominis dixerat quodam loco, adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Vbi venit Spiritus veritatis primus quidem & princeps, ipſe illos omnem veritatem docuit: ſed ipſa Beata Virgo teſtimonium ſuę vocis adhibuit, & taliter locuta eſt omnibus fidelibus, vt proinde recte dicat dilectus eius Deus, fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua. Et lib. 5. in Cantic. Nam eatenus omnia, quæ erant de illo dilecto verba conſeruaueram, conferens in corde meo, & ita contegens quaſi ſub palio. Tunc autem deprompſi in aperto, videlicet neceſſaria, multumq; profutura prædicando, vel etiam conſcribẽdo dilecti Euãgelio. BERNARDVS hom. 4. ſuper miſſus eſt.

Zacharias. *Rupertus.* *Bernardus.*

est. Ita tũ ab Angelo Gabriele, tũ à Christo filio in sacris erat edocta, vt rerum Euangelicarũ tempus, & ordinẽ tenens melius, postmodum scriptoribus, ac prædicatoribus Euangelij veritatem reseraret, quæ & plane de omnibus à principio cælitus fuerat instructa mysteriis.

Maria Magistra Apostolorum. *Ambrosius* *Idiota.*

3 MAGISTRA. AMBROSIVS lib. de institutione Virginis cap. 7. Eadem postea Ioanni Euangelistæ est tradita coniugium nescienti, vnde non mirum præceteris locutũ mysteria diuina, cui præsto erat aula cælestiũ sacramentorum. IDIOTA lib. contemplationis de Virgine Maria c. 3. O Beatissima Virgo Maria, species tua consistit in humilitate, pulchritudine sanctorum cogitatum, & doctrinæ veritate, quæ in collo intelligitur, quia doctrix fuisti doctorum, & magistra Apostolorum: vnde & Beatus Lucas, cui inter ceteros Euangelistas descriptio dominicæ incarnationis attribuitur, Euangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur. ANSELMVS lib. de excellentia Virginis cap. 7. Erat præterea, vt hic quidem videtur vtilis, & necessaria fidei nostrę conuersatio sua post Ascensionem Domini, inter Apostolos eius: quia licet ipsi per reuelationem Spiritus sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, & manifestius, ipsa per eum spiritum veritatis illius veritatis profunditatem intelligebat; & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis eiusdẽ Dñi nostri Iesu Christi. RVPERTVS, lib. 1. in Cantica. Horum discernendorum vtiq; magistram te esse oportebat, o Beata Maria, & magistra magistrorum, idest, Apostolorum. Iusta illud, fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. An quia Spiritus sanctus illos docuit, idcirco tuæ vocis magisterio non illis opus fuit? Imo vox tua, vox illius fuit Spiritus sancti; quicquid supplementi opus erat eisdem mortalibus, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant ab eodem spiritu, diuidente singulis, prout vult, ex religioso ore tuo perceperant

Lucas à Maria didicit Euangeliũ. *Anselmus.* *Multa reuelata Apostolis per Mariam.* *Rupertus.* *Magistra magistrorũ Maria.* *Spiritus sanctus supplebit per Mariã quicquid deerat apostolis*

rant, instructo ad loquendum, bene composito ad tacendum prout tempus erat opportunum. BERNARDVS homil.4. super Missus est. Vel ideo potius conceptus Elisabeth Mariæ nunciatus est, vt dum nunc saluatoris, nunc præcursoris edocetur aduētus, rerum tempus, & ordinem tenens, ipsa melius post modum scriptoribus, ac prædicatoribus Euangelij referet veritatem, quę & plane de omnibus à principio cælitus fuerit instructa mysteriis. *Bernardus.*

4 LVCAS. S.LVCAS c.1. Quoniam quidē multi conati sunt ordinare narrationē, quæ in nobis completæ sunt rerū, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerūt sermonis. IDIOTA lib.1. contemplationis de Beata Virgine c. 3. & Beatus Lucas, cui inter ceteros euangelistas descriptio Dominicæ incarnationis attribuitur, Euāgelij seriē à te Virgine Maria didicisse traditur. *AVCTOR.* Si Lucas vnus est ex 72. discipulis, vt vult Epiphan. hæres.20. ad finē, Metaphrast. in vita B.Lucæ, & Nicephor. lib.2. histor. c.43. & 45. Si itē est ille alter è duobus discipulis euntibus Emaus: vt ex quorumdā sententia referunt Theophilact. Metaphrast. & Nicephor. lib.1. c.34. Nō est dubitandū, quin ea quæ scripsit ab ipsa B.Virgine acceperit, sicut & ceteros Apostolos ab ipsa edoctos fuisse mysteria, paulo ante ex Ambros. Bernardo, Ruperto, & Idiota diximus. Quod autē Hierony. lib. de scriptoribus Ecclesiastic. in Luca, indiuiduū Pauli comitē Lucā appellat: & Petrus Damianus serm. de sancto Luca: verū est, quia sicut Marcus discipulus Christi adhęsit Petro, sic Lucas Christi etiā discipulus postea adhæsit Paulo: neq; conuersus fuit à Paulo: vt asserit Nicephorus sibi repugnans lib. illo 2. capit. 43. si enim Christum secutus est cum aliis 70. iam ergo ante Paulum adhęserat Christo. Quod item Petrus Damianus affirmat Lucam, à solo Paulo didicisse Euangelium, non conuenit cum initio Euangelij Lucæ dicentis, se accepisse quæ scribit ab his, qui viderunt: quod si ab his qui viderant accepit: cum ea, quæ ad infantiam pertinent saluatoris, sola

Lucas ex ore Mariæ desumpsit quæ scripsit de infantia saluatoris.

Lucas.

Idiota.

Auctor.

Lucam vidisse Deiparam probatur.

viderit Virgo Dei mater: ex ore eius illa accepisse credendum est: nam & Lucam vidisse Beatissimam Virginem cócedit Nicephorus lib. 15. histor. Eccles. cap. 14.

Vitam communem cũ aliis degebat fidelibus Deipara

5 COMMVNEM. SOPHRONIVS serm. de Assumptione. Ecce Iesu ascendente, cú quibus Virgo vacat in schola virtutum, & meditatur in lege mandatorum Dei, vt & ipsa sit forma disciplinæ Christi, & exemplum perfectionis hominibus. Conuersatur quidem cum testibus sanctæ resurrectionis, & ipsa testis; conuersatur cum Senatoribus cæli intra curiam paradysi sub Spiritus sancti disciplina, & magisterio Diuinæ Maiestatis: inuenitur prima B. Maria, inter primos summi Regis cohæredes, quorum vita non erat iam de terris, in quibus Christus præliabatur, sed de cælis. GREGORIVS Turonens. lib. 2. de gloria Martyrũ. c. 4. Post admirabilem dominicæ Ascensionis gloriam, quæ, contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad complenda cęlestia animauit, sancti Apostoli Domini, & Saluatoris nostri, cum Beata Maria matre eius in vna congregati domo, omnia ponebant in medio, neque quisquã suum aliquid esse dicebat, sed vnusquisque cũcta possidebat in charitate, sicut sacer Apostolicæ actionis narrat stylus. Post hæc dispersi sunt, per regiones diuersas ad prædicandum Verbum Dei.

Sophronius.

Greg. Tur.

Apostolis vna domus cum matre Iesu.

Illefonsus.

ILLEFONSVS serm. 5. de Assumptione Beatæ Mariæ. Petro Apostolorũ Principi, ceterisq; Apostolis, non incognita fuit eius purissima vita, & actio: sancta quoque, & admirabilis, & prædicabilis cõuersatio, quippe quia cũ eis semper fuit, ab ipsorũ conuersionis initio, vsq; ad illũ diem, in quo vnigenitus Dei filius homo, ex ea vera fide genitus, à laboribus huius vitæ illam voluit eripere; & ad gloriam ei à seculis præparatam, super choros Angelorum dignatus est eleuare. Et sermone 6. Si vultis scire quid post Domini Ascensionem egerit, hoc incertum est, quia Virgo sancta corpore, & mẽte permansit, conuersata cũ Apostolis donec ipsi per diuersas regiones prędicaturi sunt missi. BEDA in 19. Ioãnis. In ea societate Beatus Ioãnes perceperat centũ, vbi nemo dicebat aliquid suum,

Beda.

suũ, sed erãt illis omnia cõmunia; sic enim erãt quasi nihil habentes, & omnia possidẽtes: & distribuebatur vnicuiq; prout cuiq; opus erat. Vnde intelligendũ est sic distributum huic discipulo quod opus erat, vt illic etiam Beatæ Mariæ tamquam matris portio poneretur. SIMEON Metaphrastes, oratione de Vita, & dormitione Deiparæ. Semper ipsa quoque cum eis conuersabatur, & à rebus pulcherrimis, & honestissimis omnino desistẽs numquã, vt cap. superiori, num. 8. BERNARDVS sermone in verba Apocalyps. Signum magnum. Denique legis in Actibus Apostolorum, quod redeuntes à monte oliueti vnanimiter perseuerabant in oratione. Qui? si forte Maria affuit, nominatur prima quæ super omnes est, tam filii prerogatiua, quã sue priuilegio sanctitatis. ARNOLDVS tract. de laudibus Marię. Hoc ex actionibus Apostolorum traditum nobis accepimus, quod post passionẽ Christi cum Apostolis vsque ad Pentecostem in orationibus, & ieiuniis vnanimiter conuersata est; postea vero Ioanne in eius obsequiis perseuerante. *AVCTOR.* Cõmunem vitam egisse cum fidelibus aliis B. Deigenitricem satis aperte colligitur ex Actorum. 2. & 4. vt supra retulimus, nu. 1. Brocardus cum ceteris descriptoribus terrę sanctę refert B. Mariã orasse pro Stephano, & Paulo, adnecem illum comitante.

Simeon Metaphr. *Bernard.* *Arnold.* *Auctor.*

6 EX HISPANIA. DEXTER Paciani Barcinonensis Episcopi filius in fragmentis historiæ, quam ad B. Hieronymum scripsit. Iacobus ad Hispanias venit anno à Natiuitate Christi trigesimo sexto: & anno quadragesimo Iacobus reliquit in Hispania Athanasium Cæsaraugustæ, & Petrum Bracharę Episcopos. ANASTASius sexagesimus secundus Antiochenus Patriarcha in libro de Passionibus Martyrum arabice scripto. Decimo septimo mensis Bermudat, id est, Aprilis. Hac die multiplicibus martyriis affectus est Beatus Iacobus frater Ioãnis, filius Zebedæi: idque postquam abiit in occidentem, in ciuitatem Andiat, & fecit apud eos miracula, quæ homines attoniti stupebant: itaque conuertit eos in cogni-

Dexter. *Anastas.*

tionem filii Dei. Tunc reuersus in multis ciuitatibus Palestinæ prædicauit. Putatur autem ciuitas Audiat, quæ à Ptolomæo vocatur Andolus, & vulgo Andosilla; sita inter Cæsaraugustam & Pompeiopolim. *Venant.* VENANTIVS Honorius Fortunatus Pictauiẽsis Episcopus in Poëmate, apud Calixtum.

Salue festa dies Iacobi veneranda tropheo,
Qua cælos subiit proximus ille Deo.
Ad Domini primam vocem Iacobus Zebedæi.
Patrem, rete, ratem posthabuit fidei.
Omnia dimittens diuino seruit amori,
Pro quo non metuit probra, flagella, mori.
Gentiles docet hic, Iudæos increpat illic:
Fructificansq; Deo terminat orbe fidem.

Nam Hispania terminus orbis occidentalis dicitur. *Isidorus.* ISIDORVS Hispalensis Episcopus in libro de ortu, & obitu Patrum cap. 71. Iacobus filius Zebedæi, frater Ioannis, duodecim tribubus, quæ sunt in gẽtium dispersione, atque Hispaniæ, & occidentalium locorũ gentibus euangelium prædicauit, & in occasu mundi lucem prædicationis infudit. Hic ab Herode Tetrarcha gladio cæsus occubuit; sepultus in marmorea arca. Et cap. 81. Hi fuerunt Christi discipuli, prædicatores fidei, & doctores gentium: qui cum omnes vnum sint, singuli tamen eorum, propriis, certisque locis in mundo ad prædicandum sortes proprias acceperunt: Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Iacobus Hispaniam, Ioannes Asiam & cetera. Et in hymno breuiarii Mozarabi.

Magni deinde filii tonitrui,
Adepti fulgent prece matris inclytæ,
Vtrique vitæ culminis insignia regens,
Ioannes dextera solus Asiam,
Et læua frater positus Hispaniam.

ET

Et rursus de eodem.

O vere digne sanctior Apostole,
Caput refulgens Hispaniæ,
Tutorq; nobis, & patronus vernulus.

BEDA in collectaneis, dum agit de diuisione prouinciarum inter Apostolos. Apostoli Christi, prædicatores fidei, & doctores gentium, certis locis in mundo ad prædicandum sortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accipit, Andreas Achaiam, Iacobus Hispaniam. LEO TERTIVS in literis de translatione S. Iacobi in Hispaniam facta tertio Cal. Ianuarii, quæ incipiunt. Noscat fraternitas vestra, in sensu. Cum Iacobus in Hispaniam ingressus euangelii dis seminandi gratia, aliquos discipulos sibi adiunxisset, duobus in Galecia relictis, cum reliquis Ierosolymam reuersus est. Vbi ab Herode gladio perempti corpus à dispulis in Hispaniam translatum innumeris claruit miraculis. Duo vero alii, qui in Galecia remanserunt, Athanasius, & Theodorus, sicut dum viuerent à Magistri sepulcro numquam discessere, ita iuxta illud vita functi dextra læuaque sepulti sunt. RAMIRVS Hispaniæ Rex in diplomate Calagurri concesso mensis Maii die quinta, Era. 884. hoc est, anno salutis. 846. & secundo regni eius, quo ob victoriam de Mauris Iacobi ope ad Clauigium partam, ream ex voto fecit Hispaniam vniuersam pendendi quotannis ex singulis iugeris modium frumenti templo Compostellano. Apostolus mihi dormienti in hunc modum locutus est. Numquid ignorabas quod Dominus noster Iesus Christus alias prouincias aliis fratribus meis Apostolis distribuens, totam Hispaniam meæ tutelæ per sortem deputasset, & meæ commisisset protectioni? CALIXTVS Pontifex huius nominis. 2. in opere de vita, & miraculis S. Iacobi quatuor libris distincto; & in sermo-

Beda.

Leo tertius.

Ramirus rex.

Calixtus 2.

ſermonibus de eodem. Dei verbum intrepidus terminauit: quoniam ab Ieroſolyma vſque ad Galleciam nomen Dominicum diuulgauit, & iterum. Hic non ſolum per Iudæam, & Samariam prædicauit, verumetiam Hiſpaniam, & Galleciam decorauit, illamque gentem olim impiam virtute Chriſti Eccleſiæ cõtraxit. Et latius in ſenſu. Iacobus plures diſcipulos habuit, ſed duodecim ſpeciales, tres in Iudæa, nouẽ in Hiſpania: ex quibus, duobus in ea prouincia relictis, qui euangelium annunciarent, ſeptẽ alios ſecum in Iudæam detulit, qui magiſtri corpus ab Herode occiſi naui in Hiſpaniam retulerunt. Hi poſt magnas difficultates, editaque miracula, ſepulto ſacro corpore, profecti ſunt Romam, vbi à Petro Apoſtolo Epiſcopi facti in varias Hiſpaniæ vrbes ſunt remiſsi. Duo illi, qui in Galecia remanſerant, magiſtri ſepulcro ita viui adhæſerunt, vt vita functi iuxta illum, dextra læuaque ſepulti fuerint.

Otho. OTHO Friſingenſis lib. 3. Rerum ab origne mũdi cap. 15. Nam aliter Iacobus ab Herode decollatus erat, qui tamen prius, vt dicitur, Hiſpanis prædicauerat.

Ioannes Beleth. IOANNES BELETH lib. de diuin. offic. cap. 140. Huius (Iacobi) corpus quieſcit in Compoſtella. Miſſus enim fuit, vt Hiſpanis verbum Dei concionaretur: ſed propter malitiam, & duritiem principum, extra vnum, ad fidem Chriſti, neminem conuertere potuit: quod cum videret vir ſanctus Ieroſolymam rediit. Cuius ab Herode occiſi corpus à diſcipulis naui ſine rectore in Hiſpaniam vectũ eſt.

Compoſt. Archiep. COMPOSTELLANVS Archiepiſcopus coram Innocentio. 3. in Concilio Lateranenſi. Eccleſia Compoſtella tam antiqua, & nobilis condita in honorem Apoſtoli Iacobi, Domini conſanguinei, qui primo in Hiſpania verbum Domini ſeminauit, & infinitos ad fidem Chriſti conuertit, cuius corpus in eadem Eccleſia requieſcit.

Vincen. VINCENTIVS lib. 9. ſpeculi hiſtor. cap. 6. & 7. refert verba Leonis. 3. & Calixti. 2.

Calixt. 3. CALIXTVS 3. in diplomate, quod Cæſarauguſtæ in tabulariis aſſeruatur S. Mariæ de Pilari late refert, ac ſua auctoritate confirmat antiquam huiuſmodi traditionem, vt in numero ſequenti.

cuenti. AVCTOR. Hæc ex copiosissimo scriptorum numero attulisse testimonia sufficiat: nam si omnes, siue nostros, siue externos, qui prædictos secuti de hac re sermoné habuerunt, referre vellemus, lógissimam comprobationem rei, nulla indigentis cósarcinare oporteret. Tantum ne veritas tot, ac tantorum virorum auctoritate stabilita, ratione destituta videatur, curabimus ea, quæ contra illam obiiciuntur, breuibus refellere; atque id quò commodius fiat, tribus quæstionibus seorsum disputabimus. *Auctor.*

QVAESTIO prima est, quo anno Iacobus occisus fuerit? hoc enim constituto, facile constabit sat temporis fuisse Iacobo, in quo ei licuerit venire in Hispaniá. Referemus varias sententias, & veriorem tandem subiiciemus. *Quæst. 1. De tempore necis Iacobi.*

PRIMO Eusebius in chronico, anno Christi trigesimo sexto, qui erat Tyberii. 21. & à morte Christi. 2. adsignat Iacobi necem, & Petri comprehensionem. Sed fortasse Eusebio hoc impositum est, qui lib. 2. historiæ, cap. 8. & 9. sub Claudio cóstituit Iacobi necem, & carcerem Petri, non sub Tyberio. Et scelus constat patratú ab Herode Agrippa Iudeæ rege à Caio primum, deinde à Claudio constituto, non ab Herode rege Galileæ, qui Christú despexit. *1. sentent.*

SECVNDO videri posset occisus Iacobus octauo Claudii anno, Chisti. 49. & à morte eius. 15. quod Herodes Agrippa Iacobum occiderit ad finem regni sui, quem finiisse Tacitus affirmat nono Claudii anno, Coss. C. Pompeio, & Q. Verranio, in lib. Annal. 12. Verum errat Tacitus in asignando obitu Agrippæ, qui, (vt dicemus) tres tantum sub Claudio, non nouem regnauit annos. *2. senten.*

TERTIO, Cæsari Baronio in Annalibus ad annû Christi. 44. videtur Iacobus occisus anno. 11. à Christi morte, & à Natiuitate. 44. Claudii vero. 2. & anno. 46. Claudii autem. 4. statuit percussum ab Angelo Herodem. Cum tres tantum annos sub Claudio regnauerit, vt communis sententia est. *3. sentent.*

QVAR-

4. sentent. QVARTO Genebrardus in chronologia lib. 2. ad annũ Christi. 46. existimat, anno. 10. à Christi morte, qui erat. 3. Claudii & 7. ipsius Herodis, initio fere, occisum Iacobum. Roborat hanc sententiam hæc ratio. Herodes interiit percussus ab angelo anno. 3. Claudii, & ad finem. 7. regni sui. Ita enim dixit Iosephus lib. 19. Antiq. c. 7. in Cæsarea, ait, vitam finiuit cum regnasset per septennium: quatuor enim annos sub Caio Cæsare obtinuit regnum, tribus deinde annis sub Claudio: quæ confirmat Eusebius lib. secundo historię cap. 10. At qui Cæsaream ascendit paulopost occisum Iacobum, & solutum carcere Petrum, vt indicatur illis verbis Actuum. 12. Herodes autẽ cum requisisset Petrũ, & nõ inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci: descendensq; à Iudæa in Cæsareã, ibi cõmoratus est. Quibus verbis satis plane manifestatur eodem anno accidisse martyriũ Iacobi, carcerẽ Petri, Herodis in Cæsareã descensum, & eius interitũ. Id quod notauit Eusebius loco iam dicto, cũ ait, Regis vero facinus in Apostolos perpetratum dilationem non patitur vltionis, sed continuo vindex adest diuinitus dextera; sicut historia in Apostolorum Actibus conscripta nos edocet. Et Chrysostomus homil. 27. de Herode, & Apostolis male habitis tom. 3. statim, inquit, vltio inuasit illũ. Sed huic obstat quod Petrus è carcere solutus multis Asiæ prouinciis peragratis ingressus est Romam anno. 2. Claudii, vt mox ostendemus. Deinde quod Herodes nec mox ascendit Cæsaream, nec statim ac ascendit percussus est, cum Lucas affirmet ibi moras duxisse. Atq; interim famem accidisse, de qua Lucas cap. 11. ad finem; Nam Tyrii, & Sidonii facto concursu per Blastum conati sunt Herodem sibi reconciliare, eo quod alerentur eorum regiones ab illo, Actuum. 12. quamuis enim Eusebius in chronico, Orosius libro. 7. capite. 6. & Beda Actuum. 12. in. 4. annum Claudii hanc famem referant, quia forte ad illum vsque annum perseuerauit, at Dio Cassius lib. 60. anno. 2. Claudii famem refert accidisse. Non ergo paucis diebus Herodes Cæsareæ commoratus

moratus est, sed partem anni. 2. regni sui, & totum tertium.

QVINTO, Onuphrio in chronico, & viris aliis doctis videtur occisus Iacobus anno. 1. Claudii, qui idē erat 1. Herodis è tribus, quos regnauit sub Claudio, & Christi 42. & ab eius morte octauus. Idq; sibi persuadent certa, & constanti opinione affirmante Petrum Romam profectum. 2. Claudii anno, è carcere iam liberum, & sub Claudio ab Herode cōprehensum; ergo id accidit. 1. imperii eius anno, ac proinde tunc Iacobus est interfectus. Deinde quia cōmunior, ac certior opinio est Iacobū occisum die altero paschatis. 25. die Martii, quo Christus conceptus, ac mortuus est: at in nullo alio anno pascha incidit in 24. Martii, præterquā in hoc, vt ex Cyclo Hebræo, & Iuliano, ac aliis constat, & notat Abulensis in. 2. P. Defensorii cap. 16. Ergo octauo anno pleno à die mortis Christi, occisus est & ipse Iacobus; Christus quidē feria sexta necatus est, Iacobus autem die dominica. At ex sequenti ratione fiet compertum hanc opinionem veram non esse. *5 sentent.*

SEXTO demū verior, ac probatior sententia sit Iacobum occisum. 2. Claudii anno incipiente, qui item erat 2. Herodis Aggrippæ, postquā à Claudio est in regno cōfirmatus, & à nato Christo. 43. & nono ab eius morte. Cōstat autem huius veritas sententiæ hac ratione. Iacobus occisus est Ierosolymis ab Herode Agrippa, vt refert historia Apostolica, eodē tēpore, quo Petrus est cōprehensus; sed post hūc annū. 2. Claudii incipiētē, nō est occisus, cū ex cōmuni sententia Eusebii, & Cassiodori in chronico, & Hieronymi lib. de scriptoribus Eccles. in Petro, & aliorum, Petrus è carcere solutus, multis Asiæ prouinciis peragratis, Romā ingressus, Romanam Cathedrā erexerit die. 18. Ianuarii, ad finē anni. 2. Claudii, qui finiendus erat die. 24. Ianuarii sequentis, & 44. anno Christi inchoato. Verum nec ante secundum annum Claudii inceptum occisus est; cū Herodes Agrippa, qui eum occidit in diebus Azimorum, à tempore Caii Romæ absens fuerit; nec Ierosolymam fuerit ingressus ante initium anni. 2. Claudii, *Vera sententia. Iacobus 43. anno Christi necatus. Euseb. Cassiod. Hieronym.*

postquam ab eo in regno est Romæ confirmatus: & fœdus Regis cum populo Rom. in æs incisum in vrbis foro medio. Refert enim Iosepus lib. 19. Antiq. cap. 4. & 5. Claudium ad compescendam seditionem Alexandrinorum, commotam ex cognita eius creatione, scripsisse Ægypti Præsidi, & ad preces Agrippæ, & Herodis regum edictum misisse in Syriam, & Alexandriam, quo iubebat ius suum seruari Iudæis: tum alterum in vniuersum orbẽ Romanum; quod hoc habet exordium. Tyberius, Claudius, Cæsar Augustus, Pontifex Maximus, Tribu. ple. Coss. designatus. 2. edicit, &c. Quibus edictis Alexãdriã, & per totum orbem missis, Claudius Cæsar declarauit, quomodo in Iudæos animatus esset: moxque Agrippam ad curam sui regni misit auctum maioribus honoribus, commendatumque per literas Præsidibus prouinciarum, simul & procuratoribus omnibus. At ille, vt re bene gesta fieri solet, magna celeritate reuersus est, & quamprimum peruenit Ierosolymam votiua sacrificia persoluit, nihil omittens eorum, quæ lege præscripta sunt, nam multos Nazaræos tonderi iussit, & solitum tributum remisit, volens Iudæis gratificari. Sic Iosephus. In quibus vides Claudio secundo Consule adhuc Romæ fuisse Agrippã, & statim dimissum magna cum celeritate peruenisse Ierosolymam, sane ante pascha. Creatus est autem Claudius 2. Consul cum Licinio largo, Calendis Ianuariis ad finem anni primi Imperii sui, complendi die. 24. Ianuarii, quo, occiso Caio, creatus fuerat. Vt adsignant Cassiodorus, Onuphrius, & omnes communiter in fastis. Ex his ergo tamquam certum constituimus Herodem Agrippam Roma egressum mense Ianuario, magna cum celeritate peruenisse Ierosolymã ante pascha anni. 2. Claudii, & Christi. 43. & quia cupiebat gratificari Iudeis, inter multa alia, quæ in eorum gratiam operatus est, occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio: videns autem, quia placeret Iudæis, apposuit, vt apprehenderet & Petrum, Actuum 12. Contigit ergo Iacobi occiso nono anno pleno à morte Christi, vt ob temporis breuitatem nemo potuerit

Ioseph.

Cassiod.

inficiari, quin profectus fuerit in Hispaniam.

QVO vero hanc de tempore necis Iacobi absoluamus quæstioné, rursus quo die acciderit quæritur ab auctoribus? quorum breuiter sententiis relatis; quid verius habendum sit exponemus.

HISTORIA scolastica in Acta cap. 66. & Baronius tomo. 1. Annal. anno. 44. cap. 2. & Cornelius Schyltägius tom. 2. Com. Ecclesi. de Sanctis P. 2. æstiuali, dum agit de S. Iacobo, affirmant ante dies Azimorum occisum Iacobum, Petrum vero in ipsis Azimis comprehensum. Et ratio eorum est, quia cum Herodes necem Petri distulisset post dies Azimorum, quomodo pateretur homo religionis æmulator, in ipso Paschate, aut in diebus Azimorum Iacobum interficere? Qua ratione probassent, nec Petrũ comprehendisse; maxime cum præter primum, & vltimũ, intermedii omnes Azimorum dies essent negociosi, vt notauit Abul. P. 2. Defensorii cap. octauo. *1. senten.*

PETRVS Damianus in epist. 12. cap. 15. indicat in Paschate, seu in Paschali solennitate occisum Iacobum; festum autem necis eius celebrari octauo Cal. Augusti, quod Ecclesia in diebus Paschalibus in celebranda Christi morte occupata sit. HIERONYMVS in illa verba c. 43. Ezechielis, dixit ad me, fili hominis, magis in particulari affirmat Iacobum immolatum altero die Paschatis: nempe. 15. luna, in qua Christus occisus est. Quam in. 8. Cal. Aprilis incidisse, quo die Christus conceptus est, ac mortuus, asserunt Vincentius in speculo hist. lib. 9. cap. 2. Antoninus. 1. P. hist. tit. 6. c. 7. Durandus lib. 7. rationalis diuinorum officiorum c. 17. & Salmeró tomo. 12. in Acta tractatu. 35. Cum autem certum sit iuxta computantium Cyclos anno octauo à nece Christi, & ab eius Natali. 42. lunam decimamquintam incidisse in. 8. Cal. Aprilis, cui diei in Calendario assignatur litera, G. quæ eo anno erat Dominicalis; vt notat Abulen. 2. P. Defensorii cap. 15. & 16. sentiunt profecto hi auctores Iacobum occisum in die Dominica, anni octaui à Christi morte. At cum diuersum supra definierimus, nempe non octauo, sed nono *2. senten.* *Hieronym.*

à Christo crucifixo,& 43.ab eius Natali, Iacobum occisum,altero die Paschatis,hoc est.15.luna Nisan,quæ incidit in Idus Aprilis,& in diem Sabbati; nam,E,assignatur diei.13.Aprilis,& eo anno litera Dominicalis erat,F. non possumus huic sententiæ non suffragari, quæ affirmat in mense Aprili Iacobum occisum. Græci quidem pridie

Anastas. Cal.Maii celebrant; Anastasius, quem initio retulimus, diei decimoseptimo Aprilis adsignat Martyrium Iacobi,qui erat dies Mercurii; nam ipso Sabbato ab Herode occisum tam cupidum religionis,præsertim si eo die Pascha etiam celebratum sit, quod feria sexta celebrari non potuerit ob antiquam traditionem, de qua alias; persuaderi non possum; quare vel sequenti die Dominico, decimaquarta Aprilis,vel alio die ex Azimis Iacobi cędes accidit,sicut & Petri comprehensio, nam propter vtrumq; adiecit Lucas, erant autem dies Azimorum,nisi quod Iacobum prius occidit in diebus Azimorum, & necem Petri distulit post Pascha, vt Iudæis placidiorem se exhiberet.

Iacobi necis dies. Fuit ergo Iacobus occisus mense Aprili in diebus Azimis nono anno post Christi mortem;vt ex parte temporis nihil obstiterit in Hispaniam venire, & ibidem moratum ab anno. 36. Christi, vsque ad.40.vt dixit dexter, initio relatus.

Quæstio 2. Diuisio Apostolorum quando facta? QVAESTIO secunda est,quo tempore facta fuerit solennis illa inter Apostolos distributio prouinciarum, ad quas erant profecturi euangelii disseminandi gratia? Huius enim cognitio impedimentum remouebit, quod aliqui obiiciunt aduentui Iacobi in Hispaniam. Si enim diuisio illa facta est post decessum Iacobi, falso ostendetur sortitione obtigisse illi Hispaniam, in quam eo nomine venisset. Est igitur huiusmodi ratio ex diuisione prædicta desumpta, quæ omnino euertit Iacobi in Hispaniam aduentum. Nam vel illa diuisio facta est ante

1. senten. necem Iacobi, vel prope necem, vel post necem. Si

Melito. ante necem, vel anno secundo ab ascensione Christi,

Beda. & ab ortu eius. 36. vt dixit Melito Sardensis, quem re-

Hieronym. fert Beda in capite octauo Actorum. Et Hieronymus, Ansel-

Anselmus, Claudius Taurinensis, in illa Pauli verba ad *Anselm.*
Galat. 1. 19. Alium Apostolorum vidi neminem, cum *Claud.*
tertio anno à conuersione ascendisset Ierosolymam; quod, inquiunt, ad euangelium prædicandum toto orbe fuissent dispersi. Et hoc anno fieri non potuit, cum certo constet ex Actis Apostolicis per longius tempus, nempe vsque ad annum decimum prædicatum esse ab Apostolis Iudæis, quod confirmat Chrysostomus homilia *Chrysost.*
70. in cap. 22. Mathæi, cum ait. Apostoli prædicauerunt Iudæis, longoque temporis spacio cæsi, & flagellati in Iudæa manentes, ac demum ab ipsis propulsi, in gentes profecti sunt. Vel septennio post mortem Christi, *2. senten.*
& ab ortu eius. 41. quo anno existimat Genebrardus in chronologia pag. 223. & 372. duodecim Apostolos ascendisse Ierosolymam, & distribuisse prouincias. Et hoc etiã prædicta ratione falsum est; tum etiam quia non est vnde probetur huiusmodi Apostolorum duodecim ascensus. Ergo distributio prouinciarum facta est paulo an- *3. senten.*
te annum secundum Claudii, & Christi. 44. qui erat à morte eius. 10. vt videtur Cardinali Baronio. 1. Annalium tomo, siquidem statim Iacobo occiso, Petrus è carcere ab angelo eductus Romam profectus est Ierosolymis, vbi illuc vsq; moratus fuerat; Marcus autem cum suum euangelium scripsisset anno sequenti. 45. ita illud absoluit. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis; ostendens præcedenti anno Apostolos fuisse diuisos. Et hac ratione non potuit Iacobo tempus suppetere ad profectionem in Hispaniam. Multo minus tempus *4. sentent.*
Iacobo suppeteret profectionis in Hispaniam, si sortitio illa prouinciarum facta est anno duodecimo à morte Christi, & 46. ab eius Natali, vt existimauit Beda in decimotertio cap. Actorum, & in Martyrologio die 15. Iulii. Et si dispersio Apostolorum cõtigit anno. 13. sequenti, vt tamquam certum asserebat Apollonius, quem *Apollon.*
referunt Eusebius lib. 5. histor. eccles. c. 18. ad finẽ, & Nicepho. lib. 4. c. 25. quod Apostoli in mandatis habuissent,

ne extra Iudæam egrederentur per duodecim annos. Refert autem verba Christi id præcipientis Clemens Alex. lib.6.stroma.ex libro inscripto, reuelatio, seu prædicatio Petri. Præterea, ait, dixit Petrus Dominũ dixisse Apostolis. Si quis ergo velit ex Israel duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat non audiuimus. Hæc ibi. Quam præcepti traditionem admittunt Beda in c.13. Actorum, Ioãnes Beleth de Diuin. offici.c.139. Vincentius lib.8.speculi hist.c.9. Comestor c.71. in Acta, & Petrus de Natal. in Catalogo Sanctorum, in mense Iulio c.99. & confirmant Paulus, & Barnabas Actorum. 13. 46. qui cum expellerentur Antiochia Pisidiæ, dixerunt Iudæis. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, nempe vt post.12. annos egrederemur ad gentes. Et adhuc multominus tẽporis daremus Iacobo, vt Hispanis euangelizaret, si ad annos. 40. post admissum in Christum piaculum, in quibus Iudæi ab Apostolis moniti noluerunt cõuerti, Sancti Apostoli, ceteriq; discipuli ad prædicandum per singulas orbis prouincias fuere directi, Thomas, Bartholomeus, Andreas, Ioãnes, Petrus, Paulus, & ceteri, vt affirmat Vincentius lib.10. speculi histor. cap.61. Ex quibus omnibus impossibilis ostenditur aduẽtus Iacobi in Hispaniã, cum distributionem non viderit, vel si vidit, adeo importuno tempore, vt nullum suppetierit, quo potuerit venire.

Clemens Alex. *Petri reuelatio.* *Beda.* *Sententi.*

VT quod verius habendum sit de Apostolorum sortitione, ac dispersione per orbem, definiamus, præmittendum est, tria in illa celebranda concurrisse. Nam primum Apostoli omnes cũ viris Apostolicis, in vnũ cõuenere cõciliũ, vt de hac missione ad euangelium disseminandum agerent. Deinde iuxta Christi præceptum, Spiritu sancto afflante singulis prouinciæ designatæ sunt, ad quas essent profecturi; quemadmodũ Petrus, & Ioãnes Actuũ.8.14. à reliquis Apostolis missi sunt in Samariam, & Barnabas

Tria in diuisione concurrisse.

Actuum

Actuum. 11. 22. Antiochiam. Tertiũ, materia illis designata est, de qua essent locuturi, & quam velut tesseram, ac symbolum euangelicorum prædicatorum secum essent laturi, vt eo signo veri Christi Apostoli esse dignoscerētur. Nam tria hæc præstitit in exemplum Christus cum primum misit Apostolos ad prædicandum ouibus, quæ perierunt domus Israel; cum eos Apostolos in primis cōstituit; deinde binos misit, haud dubium, quin binis quibusque designans diuersas ciuitates, ne omnes in vnam confluerent: Tertium, argumentum prædicationis illis tradidit vnicum, quasi symbolum, ac tesseram; euntes, inquiens, prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum. Sic legimus Apostolos missos Math. 10. & 11. Marci. 3. 13. & 6. 7. Lucæ. 9. 1. & 7. 10. & idem scriptum est de missione. 72. discipulorum Lucæ. 10. Hac forma missionis Apostolicæ per Christum præfixa, tribus assertis quid verius de ea sit sentiendum, ostendemus.

Christi exēplum.

PRIMVM assertum. Certum esse omnibus debet Iacobum fratrem Ioannis simul cum aliis Apostolis conuenisse Ierosolymis, ad symbolum colligendum, & ad prouincias distribuendas. Atq; inde vt verum deduci Apostolorũ diuisionem nō fuisse factam post Iacobi mortē. Hanc propositionē probāt hæc sanctorũ Patrum testimonia. CLEMENS Rom. in epist. 1. ad fratrem Domini. Qui Apostoli adhuc in vno positi symbolũ, quod fidelis nunc tenet Ecclesia, vnusquisq; quod sensit dicendo, cōdiderũt. AMBROSIVS serm. 38. Duodecim Apostolorũ symbolo fides sancta cōcepta est, qui velut periti artifices in vnũ conuenientes clauem suo consilio conflauerunt. AVGVSTINVS sermo. 115. de tempore. Quod Græce symbolum dicitur, latinè collatio nominatur: collatio ideo, quia collata in vnum totius catholicæ legis fides symboli colligitur breuitate. Petrus dixit: Credo in Deũ Patrē omnipotentē. Ioannes dicit, creatorem cæli, & terræ. Iacobus dixit, credo & in Iesum Christum filium eius, vnicũ Dominum nostrum. Sic Iacobus

1. dictum Iacobus symbolo conficiē do adfuit.

Clemens Rom.

Ambros.

August.

Alphæi, & reliqui singulas sententias contulerunt. Et serm.181. Sancti Apostoli certam regulam fidei tradiderunt, quam secundum numerum Apostolicum duodecim sententiis comprehensam symbolum vocauerunt. Et rursus. Omnes igitur in vno positi breue suæ prædicationis indicium, conferẽdo in vnũ quod sentiebat vnusquisq;, computabant. RVFFINVS in expositione symboli. Omnes Apostoli in vno positi, & Spiritu sancto repleti breue istud futuræ sibi prædicationis indiciũ, conferẽdo in vnum quod sentiebat vnusquisq; componunt. LEO magnus in epist.13.ad Pulcheriam Augustam. Ipsius catholici symboli breuis, & perfecta confessio duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis. Id ipsum tradunt Venantius Fortunatus in præfatione expositionis symboli: Albinus Flaccus de officio eccles. cap.22. Rabanus de institut. clerico. lib.2.c.56.& alii. Vt de re tam certa non liceat dubitare.

Ruffinus. *Leo.* *Venantius.* *Albinus.* *Rabanus.*

SECVNDVM assertum. Rationi temporis, & historiæ magis conuenit statim post ascensionem Domini, & Spiritus sancti aduentũ Apostolos conuenisse, concilio coacto, ad symboli collationẽ, & prouinciarum distributionem, quas erant euangelica luce collustraturi. Persuadet hanc veritatem primum, quod in eodem Apostolorum concilio facta est symboli collatio, & prouinciarum distributio, vt omnes concedunt: sed statim post Spiritus sancti aduentum, dum adhuc essent in vno positi Apostoli symbolum confecerunt. Sic enim affirmat Clemẽs supra citatus. Christo resurgente, & ascendente in cælum, misso Sancto spiritu, collata Apostolis scientia linguarũ, adhuc in vno positi symbolum condiderunt. Augustinus sermo. illo. 181. Tradunt, inquit, quod post ascensionem Domini, cum per aduentum Spiritus sancti, discipuli eius inflãmati linguis omnium loquerẽtur, ad singulas quasq; nationes, vt Dei verbum prædicarent, ituri, ac discessuri ab inuicem, normam prius sibi futuræ prædicationis statuerunt. Adde Leonem sermo. 1. de Natali Petri. Cum duodecim Apostoli accepta per Spiritum sanctum locu-

Clemens Rom. *August.* *Leo.*

tione linguarum imbuendum euangelio mundum diſtributis ſibi terrarũ partibus ſuſcepiſſent, &c. Quod ipſum ceteri inſinuant. Ergo tunc temporis prouinciæ ſunt Apoſtolis diſtributæ. Deinde, ſtatim poſt aduentum Spiritus ſancti certũ eſt omnes Apoſtolos, viroſq; Apoſtolicos fuiſſe Ieroſolymis: poſtea vel nõ fuiſſe vnquã ſimul, vel difficile probari; ſiquidẽ videmus in Actibus Apoſtolicis, tã Apoſtolos, quã diſcipulos ita diſperſos per regiones Iudæorum, vt ſimul amplius Ieroſolymis non conuenerint, eo tempore, quo Iacobus viuebat. Ergo ante eam diſperſionem, & ſymboli collatio, & prouinciarum facta eſt diſtributio. Tertio quia ſymbolum, vt prædicti patres fatentur, conſtitutum eſt, vt eſſet norma prædicationis Apoſtolorum, ne forte diſcipuli à ſuis abducti magiſtris diuerſum aliquid, eos, qui ad fidem veniebant, docerent, & vt eſſet ſignum, quo diſtinguerentur à pſeudoprophetis. Sed ſtatim poſt aduentũ Spiritus ſancti, antequam ad prædicandum Iudæis egrederentur, magis neceſſarium erat hoc ſignum, & hæc regula fidei, tum contra tot, qui inter Iudæos erant, falſos fratres; & tot contra Chriſtum exorta dogmata: tum maximè vt Apoſtolorum diſcipuli, ſecum afferrent prædictam regulam; quorum plurimi egreſsi in tribulatione, quæ facta eſt ſub Stephano, numquam amplius Ieroſolymam, vel in Iudæam redierunt, vt conſtat de Maximino Aquenſium Epiſcopo, qui cũ Martha, Magdalena, & Lazaro, diſceſsit tũc temporis in Gallias. Et de illis, quos refert Lucas Actuum. 11. 19. & ſimilibus aliis: Cum apud gentes non tam certum eſſet recedendi à regula periculum. Ergo tunc credendum eſt factam ſymboli collationem, & ſimul prouinciarum diſtributionem. Quarto demum. Quia ſtatim poſt aduentum Spiritus ſancti Iacobo fratri Domini deſignata eſt Ieroſolymorum prouincia, cuius eſt à Chriſto Epiſcopus delectus, & ab Apoſtolis conſecratus, auctore Euſebio in chronico, & lib. 2. hiſtor. eccleſ. cap. 1. & 22. & lib. 7. c. 16. ergo ſimul cum eo ceteris Apoſtolis ſuæ ſunt prouinciæ deſignatæ. Sic enim factum refert Egeſippus in. 5. ſuæ hiſtoriæ

Symboli cõponendi ratio.

Iacobus Apoſtolus Ieroſolymæ.

Euſebius.

Egeſippus.

historiæ libro, relatus ab Euseb. lib. illo. 1. cap. 22. Iacobus frater Domini, qui à seruatoris temporibus ad nostrã vsq; ætatem iustus apellatus fuerat, Ecclesiæ administrationem vna cum ceteris Apostolis suscepit. Atqui statim post aduentum Spiritus sancti suscepit Iacobus administrationem Ecclesiæ Ierosolymitanæ: Ergo ceteri Apostoli tunc quoque suscepere suarum administrationem Ecclesiarum. Igitur Iacobo Zebedæi filio sua tũc est designata prouincia. At scimus quæ singulis alijs Apostolis sint distributæ prouinciæ, & nescimus quæ alia Iacobo obtigerit præter Hispaniam; ea ergo tunc illi designata est. Quod autem Beda, & alij Martyrologiorum compilatores diei Iulij. 15. adsignent Apostolorum diuisionem, indicare volunt eo die congregatos ad symbolum colligendum, & prouincias, in quas quisque esset profecturus, distribuendas. Idque ipso anno Ascensionis Christi in cælum accidisse verosimilius est propter supra tradita.

Diuisio facta die Iulij 15.

Tertiũ dictum. Apostoli nõ eodem tempore profecti.

TERTIVM assertum Apostolicæ historiæ summopere conuenit hanc Apostolorum distributionem, & ad prouincias designatas profectionem, non fuisse vno simul tempore ab omnibus Apostolis ad effectum deductã, sed pro opportunitate, & necessitate, quatenus Spiritus sanctus inspirabat, à singulis executioni mandatam: etiam à Iacobo, qui vnus erat è duodecim, de quibus Iustinus M. oratione ad Antoninũ, dicit, Ierosolymis duodecim viri profecti sunt in mundum. Verum seruato ordine à Christo tradito. Qui enim pręcepit Apostolis proficisci in mundum vniuersum ad docendum omnes gentes, Math. 28. 18. & prædicandum omni creaturæ, Marci. 16. 15. iussit vt inciperent ab Ierosolymis, Lucæ. 24. 47. & vt essent ei testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ, Actor. 1. 8. quem ordinem & ipse seruarat; vt quia Iudæorum erãt promissiones, illis primum annũciaretur verbum Dei. Nec propterea interdicebatur gentibus interdũ euangelizare; siquidem Actor. 6. 1. murmur factum est Græcorum fidelium

Iustinus.

aduersus Hebræos, quod despiceretur eorũ viduæ in ministerio. Et cap. 8. 27. Philippus euangelizauit eunucho Candacis Reginæ: & Paulus 3. anno, quo venit Ierosolymam Actor. 9. 29. loquebatur gentibus, & disputabat cũ Græcis. Et Petrus cap. 10. In Cæsarea conuertit Corneliũ cum familia, obstupescentibus fidelibus Hebræis, qui putabant gentibus non patere Euangelium. Et cap. 11. v. 18. conclusum est: ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitã. Et v. 20. Cyprij, ac Cyrenæi fideles ingressi Antiochiam loquebantur ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum: multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum, vt propterea Ecclesia Ierosolymitana miserit Barnabam Antiochiam. Itaque id tantum seruabant Apostoli, quod Paulus in omni sua prædicatione seruauit, vt Iudæo primum; deinde Græco euangelizarent. Sic omnes Apostoli primum prædicauerunt Iudæis in Iudæa; tum ab eis repulsi conuertabantur ad gentes; inter quas, primum ingrediebantur in synagogas Iudæorum, & post gentibus euangelizabant. Nec vno simul tẽpore omnes à Iudæa egressi, vt ex historia ipsa cõstat; nec ita egrediebantur, vt numquã reuerterẽtur Ierosolymam: siquidem Petrum legimus sæpe egressum, vt Antiochiæ sedẽ statueret, deinde vt Romæ, & tamen postea rediit. Et Paulus ter, quater ve Ierosolymam ascendit: quod de ceteris Apostolis credendum est. Iacobus igitur Ioannis frater symbolo accepto, & Hispaniæ Prouincia ad Euangelizandum delegata, primum quidem Iudæis Verbum Dei annunciauit in Iudæa; & duodecim tribubus, quæ erant in gentium dispersione. Vt dicunt Sophronius in Catalogo Hieronymi, Dorotheus in synopsi, & Isidorus lib. de ortu & interitu patrum cap. 71. Hermogenemque, ac Philetum Magos Christo acquisiuit: deinde cum tamquam filius tonitrui, acerrimusque prædicator Iudæis fuisset infensus, siquidem in eorum gratiam tandem est decollatus, repelleretur ab eis, conuersus ad gentes, venit in Hispaniã, suæ protectioni creditam prouinciam, in qua, cum aliquos discipulos sibi adiunxisset, & Cæsaraugustæ ædem sacrã Bea-

Iacobi profectio in Hispaniam.

tissimæ Virgini construxisset, Iudæam reuisit, & Ierosolymam rediit, vt Iudæis incredulis prædicaret, quibus cum sacra sua eloquẽtia esset infensus, in eorum gratiam, Herodis Agrippæ gladio, primus Apostolorum laurea Martyrij donatus est. Nihil est ergo quod obstet, vel ex parte temporis, vel ex parte dispersionis Apostolorũ, aduentui Iacobi in Hispaniam.

Obiectis respondetur. Ad ea quæ initio huius quæstionis proposuimus de tẽpore diuisionis Apostolorũ, quatenus prædictæ veritati aduersantur, dicimus, diuisionem illam non fuisse factam occiso Iacobo, cum ille ei præsens fuerit: multo minus quadragesimo anno à Christi morte, quãdo multi ex Apostolis, vt Petrus, & Paulus iam vita functi fuerant. De præcepto vero illo ab Apollonio relato, credimus ex apocripho libro desumptum, & verius habendum quod Christus tradidit, & Apostoli mandarunt executioni, vti ex Apostolorum historia deduximus. Siquidem ante duodecim annos, vidimus Apostolos non tantum Ierosolymis, sed ex Iudæa ad externas nationes profectos, vt Petrum Romam, & alios in Cyprum, & Cyrenem, & sic Iacobum in Hispaniam: & post annos illos nondum erant aliqui egressi, vt de Ioanne, qui Virgini adfuit quoad vixit, probamus inferius cap. 20. num, 4. Quod si vim aliquam habuisse præceptum illud est concedendum, illa erit, ne omnino intra duodecim annos dessereretur Iudæa, quin in illa prædicarent aliqui ex Apostolis: nam vnum, aut alterum in Iudæa mansisse, & non penitus destitutam, ex ipsa Apostolorum constat historia. Quod vero dixit Marcus anno Claudij 4. & Christi 45. Illi autem prædicauerunt vbique. In vniuersum est intelligendum de prædicatione facta per Iudæam, & regiones alias, ad quas fuerant digressi, & in quibus Iudæi cõmisti gentibus degebant. Tũ etiã propterea quod aliqui, vt Petrus, ad gentes iam discesserant.

Quæstio 3. Num fides in Hispa- QVAESTIO 3. est vtrũ fides Christi fuerit per Iacobum, primum in Hispaniam inũecta? Nam hac ratione volunt nonnulli infirmari hanc antiquam traditionem Ia-

cobi

cobi in Hispania prædicationis: quod nõ ille, sed Petrus, & Paulus, Euangeliũ disseminauerint primi in Hispania.

niam primum inuecta per Iacobum?

De Petro id tradit Innocentius 1. in Epistola. 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum, quæ refertur. 11. d. cap. quis nesciat. Vbi exhortans ad seruanda omnia, quæ sunt à Petro in Romana Ecclesia cõstituta, subiungit. Prę sertim cum sit manifestum in omnẽ Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores, cõstituerunt sacerdotes: aut legant si in iis prouinciis alius Apostolorũ inuenitur, aut legitur docuisse.

Innocent. 1.
Petrus fidẽ inuexit in Hispaniam.

De Paulo communi consensu id tenent Patres, quos longum esset, recensere. Et Gregorius 7. lib. 1. Registri, Epistol. 64. ad Alfonsum, & Sanctium Reges Hispaniæ, sic ait. Cum Beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adisse significet, ac postea septem Episcopos ab vrbe Roma, ad instruendos Hispaniæ populos à Petro, & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria Christianitatem fundauerunt. Sic ille. Cum autem Paulus affirmet ad Rom. 15. 20. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: certo nobis persuadere debemus, Iacobum non prius in Hispania prędicasse. Siquidem propter hæc verba id sibi persuaserunt Ambrosius in ea verba, cum in Hispaniam proficisci cœpero, sic inquiens, venturum se promisit Paulus tempore, quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non erat prædicatus, vt occuparet mentes eorum; & quia pheudoapostolis difficile fuit iter ad illos, ideo tardius si iret, non erat molestius. Et Hieronymus in cap. 5. Amos, dicens. Qui vocatus à Domino effusus est super faciem vniuersæ terræ. Vt prædicaret Euangelium de Ierosolymis vsque illiricum, vt ædificaret, non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum: sed vsque ad Hispanias tenderet: & à mari Rubro, imo ab Oceano, vsque ad Oceanum curreret.

Paulus fidem inuexit in Hispaniam.
Gregor. 7.
Ambrosius
Hieronym.

Verum

Iacobus I. Hispaniæ Apostolus. Verum firma debet manere antiqua totius Hispaniæ traditio, externarũ Ecclesiarum, Romanæ quoque ipsius consensione roborata, quæ in suis Breuiariis hanc veritatem tradiderunt: quam & auctores veteres initio adducti, tamquam certam retulerunt; & qui eos sequuti sunt, Guillielmus Durantus Minacensis Episcopus lib. 7. Rationalis Diuinorum Officior. cap. 17. Lyra in Abdiam, Martinus Polonus in Chronico. Sanctus Vincentius in sermone de S. Iacobo. Tostatus Abulens. Episcepus, in 1. Prologo in Math. quæst. 5. & tom. 3. in Math. cap. 10. q. 33. & tom. 4. in Math. cap. 17. q. 13. Antoninus. 1. par. hist. titul. 6. cap. 7. Ioãnes de Turrecremata Cardinalis, super cap. 20. Mathæi. Philippus Bergomas lib. 8. supplementi Chronicorum anno 43. Nauclerus in 2. volum. Chronicorum, Gener. 2. & alij plurimi siue nostri, siue externi, qui Hispanis Iacobum affirmant Euangelizasse, quos referre, ne tędio simus lectori, prętermittimus; cõtenti illis, quæ obiecta sunt satisfacere.

Ad obiecta respondetur Dicimus ergo, à dicto Innocentij, quemadmodum necessario excipitur Paulus, ita & nos excipimus Iacobum. Cuius prædicationis cum fructus nõ cumulate labori res ponderit, ratio habita non est, vt dicere Paulus potuerit super alienum fundamentum se non ædificasse. Necdum quod cũ latissima locis esset Hispania, potuit in aliis eius partibus prædicare, quas Iacobus sua luce non perfuderat: quemadmodum accidit in Asia, Græcia, aliisque regionibus, vbi ceteri Apostoli Euangelizauerant. Nimirũ autem si Ambrosium, Hieronymum, aliosque priscos patres quid primis temporibus gestum sit latuerit, cum nullus Hispanus historicus ab illis temporibus historiam texuerit. Cum vero per Iacobi discipulos, à Petro in Hispanias remissos, longius, latiusque disseminatum fuerit Euãgelium, fidesque propagata, quam per ipsum Iacebũ, hinc effectum est, vt Petro, non Iacobo, tum etiam Paulo, Ecclesiarum Hispanicarum fundationem adscripserint Pontifices. *Mariæ cultum Iacobus* Hoc igitur ex his omnibus tamquam certum colligimus, cum fide Christi, Beatissimæ Virginis Mariæ cul-

tum

tum, ac deuorionem in Hispaniam inuectam, ad nostram vsque ætatem miris modis perseuerantem. *inuehit Hispanis.*

7 MARIAE CVLTVM. CALIXTVS III. in diplomate, quod asseruatur in tabulariis Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, datum Romæ nono Calend. Octobris, anni 1456. Cum itaque sicut accepimus Ecclesia monasterij per Priorem solita gubernari; eiusdem Beatæ Mariæ de Pilari nuncupata ciuitatis Cæsaraugustanen. Ordinis sancti Augustini, inter ceteras, sub vocabulo dictæ Beatę Mariæ Ecclesias, prima Beatæ Mariæ de Pilari nuncupata fore noscatur: in qua dicta Beata Maria antequam ad cælos assumeretur, cum Iesu Christo filio suo, & Domino nostro, Beato Iacobo maiori in colũna marmorea apparuit; & ob hoc ipsa Ecclesia nomen Beatæ Mariæ de Pilari assumpsit; ac inibi quamplurima, & infinita miracula, diuina prouisione dietim fiunt: necnon Christi fideles cum magna deuotione, & veneratione imaginem eiusdẽ Beatæ Mariæ, & eius filij, in quadam capella ipsius Ecclesiæ, quæ de mandato dictæ Beatæ Mariæ per dictum Beatum Iacobum fabricata, & Camera Angelica Dei genitricis de Pilari nuncupata, & appellata extitit, colunt, & venerantur, ac cũ magna deuotione visitare nõ cessant. IOANNES II. Rex Aragonum in Priuilegio, quo sub suum suscipit patrocinium res omnes Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Pilari, dato Cæsaraugustæ die 26. Octobris, anni 1459. Contemplatione, & fauore ipsius Ecclesię, quę inter alias Hispaniæ, diuinis mysteriis, & miraculis refulget, & de illius institutione, & ædificatione, testante historia, multa miraculosa referũtur, & principaliter illud mirabile, quod in vita ipsius Beatæ, ac gloriosæ Virginis, eiusque iussu, à Beato Iacobo maiore Apostolo constructa, & ædificata extitit, in cuius capite ipsa Beata Virgo Pilare marmoreũ, quod sibi à cælo transmissum habuerat, & supra quod eidem Beato Apostolo apparuit, firmari, & collocari iussit. FERDINANDVS II. Rex Aragonum, cognomẽto Catholicus in Priuilegio, in quo sub sua suscipit protectione Ecclesiam Beatæ Mariæ de Pilari: dato Metinæ

Calixtus 3.

B. Maria apparet Iacobo in columna.

Ioannes 2. Rex.

S. Mariæ de Pilari.

Ferdinandus 2. Rex.

Campensi

Campensis 12. Aprilis, Anni 1504. Sane ex Catholicis occiduis neminem latere existimamus, apud vrbem Cæsaraugustam, quamdam esse mirificæ deuotionis sacram, & antiquissimam ædem, siue Templum celebre, purissimæ, ac intemeratæ Virgini Dei genitrici dicatam, sub vocabulo Beatæ Mariæ de Pilari, innumeris, & assiduis miraculis præfulgentem: vbi ipsa suauissima Virgo adhuc in humanis agens, Hispani populi miserata, nõdum orthodoxę fidei lucem intuentis, se se Diuo Iacobo, & circumstantibus mirum in modum, supra lapideam columnam corporaliter videndam obtulit. Vnde cunctis fere Hispaniæ gentibus, cœca Gentilium credulitate obduratis, lux Saluatoris exorta est. Quo tamen in loco relictis ab eadem immaculata Virgine columna, & desuper candida eius effigie, seu imagine, ab ipso Beato Iacobo, & eum sectantibus sacellum ibidem perexiguum constructum fuisse asseritur. Quod primum Ecclesiæ nomen in Hispania obtinuit. Attamen crescente cum tempore deuotione, piisque largitionibus suffragantibus, domus ipsa, vt tantæ Reginæ palatium decebat, longe quidem amplificata est, & tandem in statũ, quo hodie est adducta. *AVCTOR.* Confirmat hæc traditio eam, quam de aduentu Iacobi in Hispaniam, præcedenti numero retulimus; simulque verior hæc ostenditur, creditur que facilior illius certa ratione; ac quam prisca religione Deiparæ Virgini fuerint Hispani deuoti, fit omnibus manifestum.

S. Maria de Pilari.

Auctor.

Lucas.

8 DOMVM. LVCAS. Actuũ 12. Considerans'q; venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orãtes. Pulsante autem Petro ostium ianuæ, processit puella ad videndum, nomine Rhode, & vt cognouit vocẽ Petri præ gaudio, non aperuit ianuam, sed intro currens nunciauit stare Petrum ante ianuam, & illi dixerunt ad eam, insanis; illa autem affirmabat sic se habere: illi autẽ dicebant, Angelus eius est. Petrus autẽ perseuerabat pulsans. Cum autem aperuissent ostium, viderunt eum, & obstupuerunt:

annuens

annuens autem eis manu, vt tacerent, narrauit quomodo Deus eduxisset eum de carcere, dixitq; , nunciate Iacobò, & fratribus hæc; & egressus abiit in alium locum. AVCTOR. Ex his, quæ supradiximus cap. 15. nu. 24. & ex tot, ac tã peculiaribus circumstantiis, quæ hic à Luca notãtur, satis clare colligitur in hac Mariæ domo habitasse Petrũ, cuius vocẽ tam cito cognouit Rhode, & qui tã cõfidẽter omnia retulit, iussitq; vt referrentur Iacobo, & fratribus, qui intus quiescebãt; quos expectare nõ poterat, celeriter habiturus. Cũ enim illa fuisset prima Ecclesia, in ea profecto morabatur Iacobus Episcopus, Dñi frater; vtriq; cum Ioãne, & Maria matre Iesu; quæ vsq; ad obitũ in ea hospicium habuit: vt probabimus latius cap. 20. num. 6. *Auctor.*

9 OMNES. AVCTOR. Quoniã secũdo anno Claudij Imperatoris, & sexto Herodis: vt notat Euseb. in chronico, & Hierony. lib. de scriptor. Eccles. in Petro, Petrus Ierosolymis Romã profectus est, ad ecclesiãRomanã fundandã: vbi hoc ipso anno scribit priorẽ Epistolã, in cuius fine dicit, salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone, & Marcus filius meus: & Marcus Romæ Petri iussu scripsit Euangeliũ; vt ait Athanas. in synopsi, & Euthym. præfatione in Mathæ. Nã statim anno 3. Claudij missus est Alexandriã ad denũciandũ Euangeliũ: auctore Euseb. in chronico, & ipse Marcus in fine Euãgelij dixit, illi autẽ profecti prędicauerunt, vbiq; domino cooperãte, & sermonẽ cõfirmante sequẽtibus signis, quasi de dispersis Apostolis loquẽs: sequitur eo ipso tẽpore, quo Petrus Romã profectus est, & reliquos Apostolos in regiones alias dispersos abiisse: sed eo modo, & ordine, quo paulo superius n. 6. explicuimus. *Apostoli dispersi, qua occasione. Auctor.*

10 EPHESVM. CONCILIVM Ephesinum in Epistola synodica ad clerum Cõstantinopolitanũ, tom. 2. cap. 26. Quare. & Nestorius, impiæ hæreseos, instaurator, in Ephesiorum ciuitate, quam Ioannes Theologus, & sacra Virgo Deipara Maria, quandoque incoluerunt, constitutus à sanctorum Patrum, & Episcoporum cætu, vltro se ipsum abalienans, maleque conscientiæ reatu impeditus, ad illum sese adiungere non audens, post trinam citationem *Ephesi aliquando vixit B. Maria. Conc. Ephesinum.*

tionem sacræ synodi sententia, diuinoque sanctorum iudicio condemnatus, omnique sacerdotali dignitate exutus est. AVCTOR. Quod vero, ait Epiphanius hæresi 78. (& quidem cum Ioannes, in Asiam instituerit profectionem, & nusquam dicit scriptura, quod abduxit secū Beatam Virginem, sed simpliciter siluit propter miraculi excellentiam.) Non quidem negat, quod Ephesini Concilij Patres asseruerunt; sed tantum asserit, propter excellentiam, id silentio obuolutum ab scripturis, ne occasioné sumerent maligni introducendi mulieres. Quod si Virgo Ephesum adiit, cum Ioanne, ergo & alias vrbes in Asia ingressam fuisse, fatendum est. Nec tamen ex professo, tunc Ioannes, gratia prædicationis est cōmoratus in Asia, aut Ephesi, sed tantum persecutionis fugiendæ causa ab Herode excitatæ: nam post Paulus Ephesi nullum inuenit fidelem, nec qui sciret, esset ne Spiritus sanctus. Quapropter, statim credimus, Ierosolymam cum Deipara rediisse.

Epiphanius

RELI-

RELIQVVM VITÆ VIRginis vſque ad eius obitum.
Cap. XIX.

EX Aſia, á Ioanne, reducta Ieroſolymam Deipara Virgo, omnia de more pietatis exercens officia, eo in Deum exardeſcebat affectu, vt quotidie eius videndi magis, magiſque incéderetur deſiderio, 1 cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sed interim, dum pro Eccleſiæ 2 neceſsitate exitus differtur, 3 reuoluebat animo quæ viderat, audieratque filij ſui myſteria, Angelicam ſalutationem, miram natiuitatem, vitam cæleſtem, doctrinam ſalutaré, necem commiſerandam, & eius gloriam reſurgentis. Quo circa 4 loca ea frequenter inuiſebat, non abſque cæleſti ſuauitate, dulcibuſque lacrymis, in quibus eum vel egiſſe aliquid, vel aliquid fuiſſe perpeſſum, recordabatur. Erga homines autem ea erat incenſa charitate, vt tamquam vera mater, ad quā omnes, vt filij accurrerent, ſeſe imbecillibus, infirmiſque demitteret, afflictos conſolaretur, doceret ignorantes, errantes ad

viam duceret, & ad Euangelicam pietatem, Apostolico fūcta munere, omnes quotquot posset institueret: ipsos itē Apostolos, & Christi discipulos ad Ecclesiæ regimē suis cōsiliis adiuuaret. Nā 6 per ipsam Christū quāplurima illis necessaria manifestasse nō immerito creditur. Vnde cum Virgine 7 sexagesimum quartū annū agente Petrus Roma profectus, Paulus cū Barnaba Antiochia Syriæ, Ioānes, & Iacobus, qui ibi degebāt, cū aliis, ex discipulis, Ierosolymis cōuenissent ad eā quæstionē terminandā, de Iudaicorū rituū vna cum Euāgelio, obseruatione; qua Iudęi cōuersi, tātū negocij facessebāt Apostolis, aliisq; fidelibus: eius potissimū innixi 8 cōsiliis, quæ Christi mētē, melius quā reliqui fuisset assecuta, liberos esse fideles. Eo onere definierūt deniq. vel Apostolorū, discipulorūq; ad sua ministeria redeūtiū relatione, per ora fideliū omniū peruagāte, tā ingēs erat eius visendi exortū 9 desideriū, vt vel in illa Christū veluti præsētē intuerētur, vt Ierosolymā vndiq; multi adire procurauerint: multi, & eā viā fuerint ingressi, & pro voto cōfecerint. In his vnus fuit sapiētissimus 10 Dionysius ex Areopagi senatoribus à Paulo nō multo ante ad Christū Athenis cōuersus: qui mox vt accepit adhuc in vi
uis

uis degere Ierosolymis eã, quæ summũ Christi numẽ huic mũdo ediderat, Pauli magistri opera, ad Ioannẽ profectus est, atq; eo duce Mariã inuisit: cuius cõfestim aspectu, tãta est suauitate perfusus, tantaq; admiratione correptus ex ea, quã in Virgine, plusquã mortalẽ persensit dignitatẽ, vt nisi à magistro Paulo, (nã sic ad eum ipse scripsit) fuisset de veritate informatus, Deam proculdubio existimasset: ac pro Dea habitã adorasset. Tãta erat vniuersę Ecclesię, de B. Virgine opinio, ea de eius virtute cõcepta existimatio: vtpote, quæ vel ipso vultu, Dei matris præ se ferret dignitatẽ, omnesque se intuentes sua cõponeret maiestate, internosque affectus miris modis 11 mitigaret.

Testimonia.

1 CVPIENS. SOPHRONIVS serm. de Assumptione. Amor Christi Mariæ desiderium pariebat, desiderium vero gliscens quasi nouis reparabatur ardoribus, in tantum vt credam, quod nonnumquam omnia etiam, & semetipsam transcenderet, quia omnino amor impatiens, quod amat non potest non videre. Cogitate attentius, & perpendite diligentius quibus afficiebatur beata, & intemerata Virgo Maria doloribus, post Christi ad cælos ascensum, expletis omnibus, quæ de ipso erant ab Angelis prædicata, & per Prophetas multifarie, multisque modis præsignata, diuinis declarata oraculis, virtutibus exhibita, & quæ humanitatis sunt ostensa præsagiis. *Desiderium matris ardens Christũ videndi. Sophronius.*

Quæso si qua sunt, in vobis viscera pietatis, considerate quo cruciabatur amore, quo ve desiderio æstuabat hæc Virgo dum reuolueret animo cuncta, quæ audierat, quæ viderat, quæ cognouerat. Puto quod quicquid cordis est, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ, si totum ad hibeas, non sufficiat vt cogitare valeas, quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris, quantis mouebatur, repleta Spiritu sancto, cælestiũ secretorũ incitamentis: quia & si diligebat Christum, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute: nouis tamen quotidie inflãmabatur præsentia absens, desideriorum affectibus. Tanto siquidẽ validius, quanto diuinis illustrabatur intus visitationibus: quam totam repleuerat Spiritus sancti gratia, quã totã induerat diuinus amor: ita vt in ea nihil esset, mũdanus quod violaret affectus: sed ardor continuus, & ebrietas perfecti amoris: nam & Christus ab omnibus est amandus, ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus, maxime tamen ab ea ardentius, cuius & Dominus erat, & filius. RVPERTVS lib. 5. in Cantica. Quæsiui iugiter meditando, vocaui semper orando; sed sic quærens nõ inueni, sic vocanti non respondit mihi. Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem, sed mihi dulce sentiebam videre carnem meam in ipso viuentem: delectabile habebam, quem genueram videre facie ad faciem, ad dexteram Patris super omnia fulgentem: non sic statim inueni: non quam cito volui super hoc respondit mihi. Infra pag. 43. col. 2. ad medium. Nam quod gemebam, similiter & ipsi gemebant, &c. & pag. sequenti columna 1. ad finem. Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum: si ante me, vt sæpe fit, discipulæ ante magistram, exeuntes de corpore, veneritis ante dilecti mei conspectum, vt annuncietis ei, quia amore langueo, quia præ amore eius, præ magno videndæ faciei eius desiderio: nimirum vitæ huius tædium patior, & animo gemituoso, lacrimosisque oculis, suspiriosas præsentis exilij moras sustineo.

Rupertus.

2 NECESSITATE. ANSELMVS lib. de excellentia.

lentia B. Virginis cap. 7. Erat præterea, vt hic quidem videtur vtilis, & necessaria fidei nostræ conuersatio sua, post Ascensionem Christi Domini, inter Apostolos eius. Quia licet ipsi per reuelationem Spiritus Sancti; edocti in omnem fuissent veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius, ipsa per eum Spiritum veritatis, illius virtutum profunditatem intelligebat: & per hoc multa eis, per hanc reuelabantur, quæ in se nõ solum simplici sciencia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat, de mysteriis eiusdem Domini nostri Iesu Christi. RVPERTVS, lib. 5. in Cantica: Post quam ascendit in cælum, sicut viri, ita & feminæ, iam communiter viuere, incipiebant, non solum Iudæorum, verumetiã Græcorum, cum dato Spiritu sancto, prædicaretur Euangelium: propter huiusmodi maxime fiebat vox dilecti pulsantis, & dicentis: Aperi mihi soror mea, videlicet, ne vel infirmiori sexui deesset salutaris doctrina, ministeriumque, & norma vitæ, vel morum disciplina. Et infra. Surrexi igitur, vt aperirem dilecto meo: operam dedi, vt cum Apostolis Christi, vtique dilecti mei, dictis, & factis proficerem currenti Euangelio: nã hoc est quod dico manus meę stillaueruut mirrham primam, & digiti mei pleni mirrha probatissima: oportebat namque, vt maxime relictis credentium, atq; Apostolicã vitam imitantiũ, viduis, manifestum darem exemplum omnis mortificationi vitiorum, normamq; in propatulo mox venturis, nouumq; eatenus inauditum exemplum, eo suscepturis virginitatis propositum.

Virginis exitus dilatus propter Ecclesiæ necessitatem.

Anselmus.

Apostoli multa per virginẽ edocebantur.

Rupertus.

Maria omnis exẽplar virtutis.

3 REVOLVEBAT. SOPHRONIVS serm. de Assumptione. Quæso si qua sunt in vobis viscera pietatis: considerate, quo cruciabatur amore, quoue desiderio ęstuabat hæc Virgo, dum reuolueret animo cuncta, quę viderat, quæ cognouerat? RVPERTVS lib. 5. in Cantica. Flebam quippe, & præsingultibus vehemẽter erũpentibus nõ poterã verba nisi concussa, & voces nisi intercisas euoluere. Nũquid, enim poteram, absq; fletu de illo verba facere? Verum fletus ipse consolatio mihi erat, delectatio

Meditabatur Virgo vitam filij sui.

Sophronius.

Rupertus.

quædã mihi erat, sicut & cuiq; vestrũ lacrymę suæ dulces sunt fluentes in eiusdem recordatione dilecti, iusta illud. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, die ac nocte: quanto magis mihi; dum diceretur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? filius tuus? siue dum dicerem ego, me dimisit in hoc exilio Deus meus, filius meus, de me taliter incarnatus, vel natus, propter me, & me vidente, taliter agonizatus, talia passus. Quale mihi erat commemorare, siue narrare verba eius, verba morientis, siue continuo morituri dilecti, maxime commendantis præceptũ charitatis, mandatũ dilectionis: ab illa cœna sacro sancta, quando tradebatur, vsque ad hæc verba nouissima: Mulier ecce filius tuus: ad discipulum autem, ecce mater tua. Ibi ignis, ibi gladius, ignis amoris, gladius doloris: & anima mea victima erat holocausti: hanc enim & ignis incendit, & gladius pertransiuit. Vnde sicut adeps sacrificij liquescit ab igne, & sicut fluit sanguis de gladij vulnere, sic anima mea liquefacta est, nõ ibi semel tantũ, vbi moriebatur ipse, verum quoties me aperiente pessulum ostij mei, locutus est in me. Toties quippe sensi profundo corde, vulnerata mente istud, quod nunc dico, quia declinauerat, atque transierat, ipsa commemoratione horum sensum mihi renouante, vt magis, ac magis sentirem eum hic iam non esse, visibiliter non comparere.

In meditatione vitæ filij exardescebat.

Loca sancta visitabat Deipara. Paula, & Eustochiũ. Sophronius

4 LOCA EA. PAVLA, & Eustochium in Epistola ad Marcellam. Ergo ne erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Saluatoris intrare, in sepulcro Domini flere cum sorore, flere cum matre? SOPHRONIVS sermone de Assumptione B. Virginis Mariæ. Quamuis iam in spiritu esset, tamen dum in carne vixit, carnalibus mouebatur sensibus, & ideo quam sæpe locorum recreabatur visitationibus? Et quem genuerat mentis complectebatur amplexibus? fortassis ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus Christus dicitur, interdum habitasse eam credimus, quatenus piis pasceretur internus amor obtutibus: sic namque locus medius est, hinc inde constitutus,

ſtitutus, vt adire poſſet Aſcenſionis eius veſtigia, & locum ſepulturæ, ac reſurrectionis, ac omnia, in quibus paſſus eſt, loca inuiſere: non quod iam viuentem quæreret cum mortuis, ſed vt ſuis conſolaretur aſpectibus. ILLEFONSVS ſerm. 5. de Aſſumpt. Mariæ. Si ſcire volumus quid Dei genitrix, poſt reſurrectionẽ Domini, antequam ipſe cælos aſcenderet, agebat, ſine dubio loca Dominicæ natiuitatis, paſsionis, ſepulturæ, & reſurrectionis frequenter circumiens, inuiſere cupiebat: in eiſdem etiã locis lacrymas fundebat, & ſanctiſsimi oris ſui oſcula dulciſsima imprimebat. Deinde ad notum ſibi refugium, Apoſtolicum videlicet contuberniũ, poſt intuitum Dominicorum locorum cum gaudio remeabat. *Illefonſus.*

5 OMNES. RVPERTVS libro quinto, in Cantica. Quærebant me vtique omnes pia ſolicitudine, & ille præcipue, cui à dilecto fueram commiſſa, dicente: ecce mater tua, & recepit me in ſua: quærebant iſti multum ſperantes de me, quod ineſſet mihi aliquid dignum ſua inquiſitione; quippe qui nouerant, quod in me, vel de me fuiſſet factum, qualis mater, qualem genuiſſem filium: non nihil in me custodiſſe arbitrabantur de theſauris altiſsimi, quos ſuperueniens in me Spiritus ſanctus theſaurizat in conceptione tanti filij. *AVCTOR.* Hæc, & ſimilia pietatis officia à Virgine præſtita, quæ ab aliis feminis exercita gaudet Apoſtolus in ſuis Epiſtolis, quæ ſecum collaborauerunt in Euãgelio, non eſt quod dubitemus. Propterea enim Euangeliſtam eam vocat merito Illefonſus ſerm. 2. de Aſſumptione, & alij magiſtram. *Euãgelizat omnibus.* *Rupertus.* *Auctor.* *Euangeliſta Maria.*

6 PER IPSAM. ANSELMVS lib. de excellentia Virginis. c. 7. Erat præterea, vt hic quidem videtur, vtilis fidei noſtræ conuerſatio ſua, poſt Aſcenſionem Domini, inter Apoſtolos eius, & cetera, vt ſupra num. 2. BERNARDVS ſermo. 4. ſuper miſſus eſt. Profecto decebat, vt Verbum mox diuulgandum, vbique prius ſciret Virgo per Angelum, quam audiret ab homine; ne mater videlicet Dei, à conſiliis filij videretur amota, ſi *Apoſtolis multa per Virginẽ manifeſtata.* *Anſelmus.* *Bernardus.*

eorum, quæ in terris tam prope gererentur, remansisset ignara.

Definitio Concilij Ierosoly facta consilio B. Virginis.

7 SEXAGESIMVM QVARTVM. PAVLVS Epistol. ad Galatas. c. 1. 15. Cum placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiã suã, continuo nõ acquieui carni, & sanguini; neque veni Ierosolymã ad antecessores meos Apostolos, sed abij, in Arabiam, & iterũ reuersus sum Damascũ. Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum: & mansi apud eum diebus quindecim. cap. 2. 1. Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam, cum Barnaba, assumpto & Tito: ascendi autem secundũ reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico. LVCAS in lib. Actuum Apostoloaũ. c. 15. 2. facta seditione non minima, statuerunt vt ascenderent Paulus, & Barnabas, in Ierusalẽ, super hac quæstione. Cum autem venissent Ierosolymam suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus: cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus.

Paulus. Lucas.

AVCTOR. Ex probatiori chronographia, vt latius alio in loco diximus, hoc Apostolorum Concilium Ierosolymis celebratum est, Anno 14. à Pauli conuersione, vt ipse dixit. Conuersus autem est mense Ianuario, anni Christi trigesimi quinti. Erat ergo annus Christi quinquagesimus, qui idem erat Claudij nonus, quo, auctore Paulo Orosio, libro septimo, cap. sexto. Beda lib. de sex ætatibus, Adone in Chronico, Iudæi, & cum ipsis Petrus, edicto Claudij, cuius Lucas meminit capit. 18. Roma pulsi sunt; & ita venit Ierosolymã, vbi prefuit concilio totius ecclesiæ, Apostolorũ, Iacobi, & Pauli, & Barnabæ. Titi, & seniorum. Cum ergo Virgo, quando Christus ingressus est annum trigesimum 25. Decembris, anni quinti decimi Tyberij Cęsaris, ipsa per tres menses, & septemdecim dies, ab octauo Septembris die, ingressa esset annum quadragesimum quartum, sequitur, anno. 50. Christi, etiam inchoasse, annum sexagesimum quartum, nam sequenti cap. probabimus vltra septuagesimum vixisse.

Auctor. Concilium Ierosolymitanum celebratũ quo anno.

8 CONSILIIS. LVCAS Actuum Apoſtolorũ, c.15.4.Cum veniſſent Ieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia,& ab Apoſtolis,& ſenioribus. Ver.12. tacuit autem omnis multitudo; & audiebant Barnabam, & Paulum. V. 22. Tunc placuit Apoſtolis,& ſenioribus, cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis,& mittere Antiochiam, Iudam, & Sylam. RVPERTVS, lib.5.in Cantica. Pulſandũ igitur erat ad oſtium veritatis, & conſulendum oraculũ Spiritus ſancti ſcilicet ſacrarium pectoris tui, vt viua voce, omnem neceſſario tenendam demonſtrares regulam fidei, cum teſtimonio ſcripturarum, quas memoriter tenebas, prophetiſſa magna,& capax omnium prophetiarũ. Et lib.1.horum diſcernendorum, vtique magiſtram te eſſe oportebat, ò Beata Maria, & Magiſtra Magiſtrorum, ideſt, apoſtolorum, iuxta illud, fons hortorum, puteus aquarum, viuentium, quæ fluunt in potu de libano. An quia Spiritus ſanctus, illos docuit, id circo tuæ vocis Magiſterio non illis opus fuit? imo vox tua, vox illis fuit Spiritus ſancti: quicquid ſupplementi, opus erat, eiſdẽ mortalibus, vel teſtimonij ad confirmandos ſingulorum ſenſus, quos acceperant ab eodem ſpiritu diuidente ſingulis prout vult, ex religioſo ore tuo, perceperunt, inſtructo ad loquendum, bene compoſito ad tacendum, prout tempus erat opportunum. An quia loco ſupra memorato, de Actibus Apoſtolorum, vbi facta ſeditione propter ceremonias iudaicas, conuenerunt Apoſtoli,& ſeniores videre de hoc verbo, nullam tui mentionem, ſcriptura fecit, idcirco putandum eſt, quod conuentus ille omiſerit, & ſanctum de tuo pectore,& de tuo ore, ſpiritum non conſuluerit? imo,& illic,& in ceteris agẽdis, tu princeps omnem ſoluiſti quæſtionem, ita tamen, vt non clamares, neq; contenderes, neq; audiretur vox tua foris, quia ſicut ante nos dictum eſt, tu ſola virgo, quæ vniuerſam hereticam prauitatem interemiſti. *AVCTOR.* Cum concilium illud coram Eccleſia habitum ſit, cuius portio præclarior erat B.Maria, certe & eius conſiliis Apoſtoli, vſi ſunt, ad id, quod volebant diſiniendum.

Lucas. *Rupertus.* *Auctor.*

Ignatius. 9 DESIDERIVM. IGNATIVS, epistola prima ad Ioannem. Sunt hic multæ de mulieribus nostris, Mariam Iesu videre cupientes, & quotidie à nobis ad vos discurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent, quæ Dominum Iesum aluerunt, & quædam eius secreta, percunctentur Mariam Iesu. Et hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum huius, (si fas est fari) cælestis prodigii, & sacratissimi spectaculi. Tu autẽ diligẽti disponas modo super desiderio nostro, & valeas, Amen. Et in secunda epistola ad eumdẽ. Mihi, si licitum est, ad te ad Ierosolymæ partes volo ascẽdere, & videre fideles sanctos, qui ibi sunt: præcipue Mariam Iesu, quam dicunt vniuersis admirandam, & cunctis desiderandam: quem enim non delectet videre eam, & alloqui, quæ Deum verum de se peperit, si nostræ sit fidei, & religionis amicus? Rupertus. RVPERTVS lib. 5. in Cantica. Quærebant me vtiq; omnes pia solicitudine, quærebant isti multum sperantes de me, quod inesset mihi aliquid dignum sua inquisitione, & cetera, vt supra numero quinto. Auctor. *AVCTOR.* Hæ duæ epistolæ Ignatii ad B. Ioannem, licet dubiæ sint vt inferius, c. 23. tractabo, eo à me sunt allatæ, quod sint antiquæ, & ab antiquo viro confictæ, à quo suam saltem consecutæ sunt auctoritatem.

Dionys. 10 DIONYSIVS. DIONYSIVS epistola ad Paulum. Non credidi confiteor coram Deo, princeps mi maxime, extra Deum summum, & optimum, esse, haberi etiam, nec posse ab hominibus percipi, quę ego oculis, nõ tantum mentis, sed corporis vidi, perspexi, atque propriis oculis intuitus sum, Deiformem, atque super omnes cęlicos spiritus, sanctissimam matrem Christi Iesu Domini nostri, quam mihi benignitas Dei, Apostolicique culminis auctoritas, & virginis almæ indeficiens clementia videre concessit: fateor iterum, atque iterum, coram omnipotentia Dei, & clementia Saluatoris, & gloria maiestatis Virginis matris eius, quoniam cum à Ioanne vertice, & euangelii, & prophetarum, qui in corpore habitans quasi sol

ſol fulget in cælo, ductus fui ad Deiformem præſentiam altiſsimæ virginis, & tantus me immenſus diuinus ſplendor circumfulſit exterius, & plenius irradiauit interius; tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, neq; ſpiritus poſſet, totius, ac tantæ æternæ felicitatis inſignia ſuſtinere. Defecit cor meum, defecit & ſpiritus tantæ gloria maieſtatis oppreſſus. Teſtor, qui aderat in virgine, Deum, ſi tua diuina concepta mente non me docuiſſent, hanc ego verum Deum eſſe credidiſſem; quoniam nulla videri maior eſſe poſſet gloria beatorum, quam felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc vero feliciſsimus deguſtaui. Gratias ago ſummo, atque optimo Deo meo, diuinę virgini, & eminentiſsimo Apoſtolo Ioanni, & tibi Eccleſiæ vertici, atque principi triumphanti, qui mihi talia clariſsime, atq; clementiſsime preſtitiſtis. Vale.

11 MITIGARET. AMBROSIVS lib. de inſtitutione virginis cap. 7. Sed ipſa ſe offerebat periculis: cuius tanta gratia, vt non ſolum in ſe virginitatis gratiam reſeruaret, ſed etiam his, quos viſeret, integritatis inſigne conferret. Viſitauit Ioannem Baptiſtam: neque immerito manſit integer corpore, quem in tribus menſibus, oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis vnguento Domini mater exercuit: eademque poſtea Ioanni Euangeliſtæ eſt tradita coniugium neſcienti. *AVCTOR.* Nimirum ſi demus matri, quod habuit filius, cuius oculi, vultuſque diuinum quiddam ſpirabat; & ad ſe facile omnium oculos, conuertebat, componebatque. *Ambroſ.* *Auctor.*

MARIAE

MARIÆ VIRGINIS *felicissimus obitus. Cap. XX.*

1 AD prouectam ætatem, peruenerat virgo Deipara, & Christi filii gloriosum viderat vbique terrarum, summa cum voluptate, nomen denunciatum; & optata ab omnibus, exceptum veneratione; seq; 2 apostolica institutione beatá, vt ipsa prædixerat, ab omnibus generationibus prædicatam: cumque assiduo suum hinc ad filium eflagitaret decessum, 3 nuncium accipit cælestem, à quo de obitu suo certior reddita est. Quod tam lætum nuncium, & ipsa ilico denunciat Ioanni, cuius curæ fuerat olim à Christo commendata, quique ei fuerat in omnibus 4 obsecutus, vt filius; quò omnia ad decessum pararet necessaria. Ioánes pro officio, Mariæ obitum notum fecit his, qui Ierosolymis tunc aderant fideles, cognatis, & propinquis, tam viris, quam feminis: per quos ad proximas, & remotas vrbes delata res est. Atque omnes pro ratione temporis, ad diem conueniunt in monte sancto 6 Sion, in ea domo, in qua tot, tantaq; à Christo, & diuino spiritu fuerant patrata myste-

mysteria, quæ ad id vsq; tempus virgini perpetuum fuerat domicilium. Adducuntur lumina pro cuiusque pietate plurima, vnguenta de more, hymnique in decessu parantur decantandi. Adsunt ilico, (mirum dictu) diuino quodam modo, & ratione mirabili 7 Apostoli omnes, qui etiam tunc superstites erant, per orbem dispersi, Petrus, Ioannes, Iacobus, cũ ceteris: viri que Apostolici, Ierotheus, Timotheus, Dionysius Areopagita, cum viris aliis insignibus sanctitate, qui huic spectaculo admirando summis precibus, ne abessent, efflagitauerant. Horum illa 8 cõspectu valde recreata, summas Christo filio pro tam singulari beneficio gratias agit. Cũctisque admirantibus venerandam Deiparæ canitiem, & vterum, quo Deus nouem mensibus conclusus fuerat, sui decessus exponit rationẽ, & quomodo à cælestibus spiritibus expetita, mox sit migratura. 9 Instabat decessus tempus, & in lecto recumbens humili, oculos in omnes, qui cum lucernis iam accensis aderant, conuertens, vultu hilari, ad se vt accedant benedicendi iubet. Sempiterna igitur cuique precatur bona; suaque singulos impertit benedictione. Cumque illis hęc, & alia dixisset verba, quæ in decessu cha-

risſimis dici ſolent; 10 flebant ipſi tantæ matris abſentiam, neque vllo poterant lacrimas modo cohibere, quos illa mater 11 conſolãs, vos, ait, valete ò filii: meum autem hinc deceſſum, ne quæſo luctu, ſed lætitia potius proſequamini, quandoquidem vobis eſt perſuaſum, ad cæleſtem me tranſire felicitatem. Cumque dilecto Ioanni mandaſſet 12 vt duabus, quæ ibi aderant, virginibus, quibuſcum iam diu vixerat familiariter, duas tunicas, quibus ad contegendum corpus, per vitam vſa fuerat, diſtribueret, 13 filium è cælo deſcendentem conſpicit, innumera 14 cæleſtium circumdatum multitudine, & exultanti ſpiritu, 15 benedico tibi, inquit, largitori omnis benedictionis, & cauſę luminis, qui meum vterum inhabitaſti, credo mihi affutura certo, quæ dixiſti. Hæc locuta ſe reclinat in lectum, & manibus in altum ſublatis, in honeſtam figuram ſuum corpus compoſuit; & os venerandum aperiens, tota gaudio perfuſa, & voluptate, quod filium intueretur, ad cæleſtem ſe inuitantem felicitatem, rurſus dixit; fiat mihi Domine ſecundum verbum tuum. Atque ita perinde atque 16 obdormiẽs, ſine dolore vllo, 17 nocte illa, quæ diem 18 quintum

deci-

decimum præcedit Augusti, anni quinquagesimi octaui, ex quo Christum pepererat, in charis illius manibus deponit spiritum, cum 19 septuagesimum secumdum ætatis annum pene confecisset. Et ille quidem 20 à Christo Iesu, cum cælestium copia spirituum ad supernam patriam deducitur, & super eorum omnium 21 choros, ad eiusdē filii dexteram collocatur.

Testimonia.

1 AD PROVECTAM. SIMEON Metaphra. oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Cum vero, & mortis eā participē fieri necesse foret, cur enim hoc passura nō esset, quāuis Dei filius ex ea genitus reuera esset homo? cū inquam ætate prouecta, ad multam senectutē peruenisset, & peregrinationis tempus præsens esset, per angelū se migraturam esse à filio edocta est. MICHAEL Glycas lib. 3. Annaliū. At expers illa maculæ, Dñi nr̄i Iesu Chr̄i mater, prouectā ætatē attigisse perhibetur, vt diuinus ille vir Andreas Cretēsis antistes, auctor est, quapropter fieri nō potuit, vt virginis illius perpetuæ obdormitio euangelicæ historię insereretur, vti quæ longo deinceps tēpore, ceu diximus acciderit. AVCTOR. Cum, vt inferius colligemus, virginis Mariæ dormitioni, interfuerint Iacobus frater Dñi Episcopus Ierosolymitanus, & Dionysius Areopagita: & ex historiis nouerimus Dionysiū à Paulo cōuersum Athenis Claudii imperatoris anno. 10. vt designat Eusebius in chronico, & colligitur ex Pauli peregrinatione: qui erat Christi annus. 51. & virgini. 66. Iacobum autē interfectū Ierosolymis, anno Neronis septimo, aucto re Eusebio in chronico. Hiero. li. de scrip. eccl. in Iacobo, &

Simeon Metaph.

Michael Glycas.

Auctor.

Euseb.

Hieron.

Isidorus. & Isidoro, in eius vita, lib. de patribus veteris, & noui testamenti; & erat Christo annus. 62. Virgini autem fuisset annus. 76. sequitur Deiparam, mortem obiisse, ætate prouecta, quæ intercedit à 66. anno eius, vsque ad 76. neque in alia ætate, vlt a, aut citra eam decessisse.

Apostoli. 2 APOSTOLICA. APOSTOLI in symbolo, apud Augustinum serm. 111. de tempore. Andreas dixit; qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria

Andreas. virgine. ANDREAS Apostolus in epistola à presbyteris, & Diaconis Achaiæ scripta, ad ecclesias. Et quo modo de immaculata terra, factus fuerit homo primus; qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat, necessarium fuit vt de immaculata virgine natus Christus, perfectus homo, qui est Dei filius, qui primum hominem fecerat; vitam æternam, quam omnes perdiderant, repararet; ac de ligno crucis lignum cõcupiscentię excluderet.

Iacobus. IACOBVS Apostolus in liturgia. Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ matris Dei, & semper virginis Mariæ, ac omnium sanctorum, & iustorum, vt precibus, atque intercessionibus eorum, omnes misericordiã consequamur.

Bartholomæus. BARTHOLOMAEVS Apostolus, ad Polimium regem, apud Abdiam lib. 8. historiæ apostolicæ. Scire te volo, quia filius Dei dignatus est per vterum virginis nasci cum homine, ita vt homo in virginis vulua conceptus, secum inter ipsa secreta virginis haberet Deum, qui fecit cælum, & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Hic simul cum homine natus, partu virginis cœpit habere initium nascendi cum homine, cuius initium ante secula à Deo patre est. Hæc autem virgo cũ execraretur omnem virum; & ipsa seruandæ virginitatis votum, prima Deo omnipotenti vouit. Primam autẽ ideo dixi, quia ex quo homo factus est ab initio seculi, nulla hoc votum obtulit: hæc ergo prima inter feminas hoc instituit corde suo, vt diceret, Dñe offero tibi virginitatem meam, cum à nullo homine, nec verbo didicisset, neque exemplo, ad imitationem videlicet inuitata, constituisset,

vt

vt virgo pro amore Dei specialiter permaneret. Huic subito in suo cubiculo clausæ splendens sicut sol Gabriel angelus apparuit: quæ cum timore perculsa, hoc visu expauisset, ait ad illam angelus, noli timere Maria, quia concipies. Et illa timore deposito, constanter ait, quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco: cui angelus respondit, propter hoc, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi, ideoq; quod ex te nascetur sanctũ, filius Dei vocabitur. Et infra. Par enim fuit, vt qui filium virginis vicerat, à filio virginis vinceretur. Primus homo Adam de terra factus est, terra autem illa, de qua factus est, virgo fuit; quia neq; sanguine humano polluta fuerat, neque ad sepulturã alicuius mortui à quoquã erat aperta: par ergo erat, vt dixi, vt qui filiũ virginis vicerat à filio virginis vinceretur. IDIOTA lib. contemplationum B. Mariæ, c. 5. In prædicatione Apostolorum, in omnem terram exiuit sonus tui sanctissimi nominis, & mauifestum toti mundo factum est. *AVCTOR.* Sic diuini Apostoli; viuentem adhuc virginem venerabãtur, sic vna cum filio prædicabãt matrem: quod omnes fecisse dubitari non debet, quia quoties Deum carnem assumpsisse, ac natum fuisse denunciabant, virginem eius matrem simul necessario fuisse demoustrabant.

Idiota.

Auctor.

3 NVNCIVM. SIMEON Metaphrastes in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Cum vero & mortis eã participem fieri necesse foret, (cur enim, hoc passura non esset, quamuis Dei filius ex ea genitus reuera esset homo?) cum inquam ætate prouecta, ad multam senectutem peruenisset, & peregrinationis tempus esset præsens, per angelum se migraturam esse, à filio edocta est, sicut antea quo tempore in eius ventrem ingressurus erat, nuciatum illi fuerat. Cum igitur excessus sui mysterium didicisset, eam rem lætitiæ tantæ, quanta verbis explicari non potest materiam iudicans, (quid enim illi suauius euenire poterat, quam cum filio esse, & vna regnare) statim iussit plurima domum lumina, afferri, idq; factum est. GEORGIVS Cedrenus in compendio historię. Ea quindecim

Simeon Metaph.

Cedre.

ante diebus suum exitum cognouit. Triduoq; ante archã-
Niceephor. gelus ad eam venit præmium portans. NICEPHORVS
lib. 2. hist. eccles. c. 21. Eo tẽpore, cum Claudius quintum
imperaret annum, & immaculatam Dei verbi matrẽ, mor-
tem obire oporteret (quandoquidem, & filius eius, verum
se hominem esse probans, atq; confirmans, ad grandiorẽ
exoletæ senectutis ætatem non peruenit) vnde sexagesi-
mum illa agens annum, nuncium à filio per angelum, de-
migratione, & aduentu ad se eius, ita vt antea, cum ipse ad
eam venturus erat, accipit. Itaque migratione sua ad hunc
modum cognita, immensa repletur lætitia, quid enim dul
cius ei, quam vt cum filio, & rege suo esse, contingeret? lu-
Auctor. men ad eam infertur. *AVCTOR.* Quod tempus sui
obitus prænouerit Deigenitrix, per angelum à filio mis-
sam, cum multis aliis sanctis commune fuerit, non est
cur in dubium reuocetur: credendum enim est conces-
sum virgini quod alicui alii concessum fuisse affirmaue-
rimus, quod & pro sequentibus semel dictum sit.

Ioannes sem per ministrauit virgini. 4 OBSECVTVS. IOANNES in historia euã
gelica cap. 19. 27. Deinde dicit discipulo, ecce mater tua;
& ex illa hora acepit eam discipulus in sua. AMBRO-
Ioannes. SIVS lib. de institutione virginis cap. 7. Subscribitur
Ambros. Ioannes in testamento Christi, legatur matri pudoris de-
fensio, testimonium integritatis, legatur & discipulo ma-
tris custodia, pietatis gratia commendatur, & ex illo sus-
cepit eam discipulus in sua. Sed cum quo virgo habitare
debebat, quam cũ eo, quẽ filii heredẽ, integritatis sciret
Epiphan. esse custodẽ? EPIPHANIVS Episcopus heresi. 78. Dicit
autẽ euangeliũ, & ab illa die accepit ipsam ad seipsum. Si
vero habuisset virũ si habuisset demũ si habuisset filios in
Sophronius. sua secessisset, & nõ ad alienũ. SOPHRONIVS sermone
de Assumptione. Quam sane beatam virginẽ, etsi omnes
venerati sunt discipuli, eique famulabantur officio dile-
ctionis, Ioannes tamen amplius, ac specialius vsque ad
finem vitæ, qui sibi commissam accepit in suam, quasi ma
trem filius, cui benignus magister de cruce, inquit, ecce
filius tuus, ad discipulum autem, ecce mater tua, vt virgo
virgini

virgini cohereret, & deseruiret officiosissime cura adoptionis. ILLEFONSVS serm. 1. de Assumptione. Quæ cum Apostolis degens vixit, & quandiu fuere, vnanimiter in oratione permansit, donec ipsi longe, lateque causa prædicationis dispergerētur. Deinceps vero, quam feliciter sub præsidio angelorum, & Ioannis diligentia fuit. Et serm. 5. si quis vero adhuc studio pietatis, vel piæ curiositatis affectu, indagare voluerit quid post ascēsionē Domini egerit, quam sancte, & iuste vixerit, & cū quibus habitauerit, soli Deo cognitum esse videtur, & Gabrieli Archangelo, cui eius tota causa cōmissa esse prædicatur à Domino, & angelis sibi conlætantibus, secumq; loquentibus; Ioanni etiam dilecto Domini discipulo, qui ab ipsa cruce eam suscepit in sua solicitudine, & cura, videlicet, vt virgo virgini deseruiret, & Domini nostri rependeret seruitutis, & dilectionis obsequium; qui eum præ ceteris, sua dilectione fecerat dignū. Et serm. 6. si autē vultis scire, quid post Dni ascensionē egerit, hoc vnum certū est, quia virgo sancta corpore, & mente permansit, conuersata cum apostolis, donec ipsi per diuersas regiones prædicaturi sunt missi: & licet omnes apostoli eā venerarentur, eiq; officio dilectionis famularentur, plus tamen, & specialius Ioannes, vsq; ad finē vitæ dilexit, & coluit, quiq; sibi cōmissam virginē virgini accepit in suā, & sic ei quasi fili⁹ matri adstitit, & obsequutus est, recordās illud, quod à benigno magistro in cruce audierat, mulier ecce filius tuus. DAMASCENVS oratione de Assumptione Deiparę. In hac, cū ille Theologus accepisset Deiparā, subministrabat ei ea, quibus opus habebat. BEDA lib. Retractatio. In Acta Apostolorū c. 8. Absit autē vt credamus beatū Ioānē apostolū, cui Dñs in cruce matrē suā, virginē virgini cōmēdauit, post vnū annū recessisse, & eā reliquisse solā, ac tāto tēpore deiectā, vt etiā corp⁹ suū defunctę timeret ab hostib⁹ cōburēdū. Et hom. in euāgeliū. Dixit Iesus Petro, sequere me. Deniq; moriturus in cruce, matrē suā ei cōmēdat, vt virginē virgo seruaret, & ipso post mortē, ac resurrectionē cælos ascēdēte, nō deesset eius genitrici

Illefonsus.

Damasce.

Beda.

Simeon Metaphr. illius, cuius casta vita castis eius tueretur obsequiis. SIMEON Metaph. orat. de vit. & dormit. Deiparæ. Postquã autẽ in tẽpore Pentecostes Apostoli impleti diuina gratia Paracleti, ad euangelii doctrinã, alius alio mittebantur, & iam prædicatio fidei annunciabatur, virginem, vt pote dilecto, & virgini commendatam, (quæ erat in Siõ eius domus) eã habebat illic degenté, cui tamquã matri Dei honor ab omnibus exhibebatur. *Nicephor.* NICEPHORVS lib. 2. hist. eccles. c. 42. Sedenim monumẽta produnt diuinissimum hunc euangelistã, post Iesu in cælum ascẽsum, cum matre Dei, in ea, quã ad Sion fuisse scripsimus, domo sua, vixisse, vsq; ad illius ad Dñm migrationem. *Auctor.* *AVCTOR.*

Ratio prima dubitandi. Dubiũ non leue sese offert, verum ne sit numquã virginẽ à Ioãne relictã, vsq; ad eius decessum, vt patres relati affirmãt? Nã huic cõtradicit, quod orta persequutione contra discipulos Dñi, anno ipsius. 35. quo Stephanus lapidibus obrutus est, cum Philippus abiisset in Samariã, vt denũciaret verbũ Dei, Actuũ. 8. 14. & audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserũt ad eos Petrũ, & Ioãné, qui cũ venissent, orauerũt pro ipsis, vt acciperent Spiritũ sanctũ: & sic Ioannes abfuit Ierosolymis. *Ratio secunda.* Deinde Paulus ad Galat. 1. 18. post annos tres, inquit, veni Ierosolymã videre Petrũ, & mansi apud eum diebus quindecim; aliũ autẽ apostolorũ vidi neminẽ, nisi Iacobũ fratrẽ Dñi. Ex quo loco Hieronym. & Anselm. colligunt ideo nõ vidisse alios Apostolos, non quod contẽptui duceret, sed quod illi ad euangeliũ prędicandũ toto fuerãt orbe dispersi; vnde ait Anselmus, quia Ioãnes ibi deerat, credimus matrẽ Dñi iã in cælũ tunc assumptã fuisse. Nec refert quod Actuũ. 9. 26. vbi idẽ Pauli Ierosolymã refertur aduẽtus, dicitur, Barnabas autẽ adprehẽsum illũ duxit ad Apostolos, & narrauit illis, quomodo in via vidisset Dñm: quia neq; Barnabas numeratur Apostolis, sed discipulis; & apostolos vocat recte Petrũ, qui ibi erat, & paulopost discessit: & Iacobum fratrem Dñi, qui ideo semper Ierosolymis morabat̃, quod esset cõstitutus Episcopus illius ecclesiæ. Ergo & hoc anno, qui erat Chri. 38.

& Paulo

& Paulo à conuersione tertius, aberat cum aliis Apostolis Ioannes. Præterea Epiphanius hæresi. 78. quando hoc factum erat, inquit, & assumpsit ipsam Ioãnes ad seipsum, non amplius permansit apud ipsum: & quidem, cum Ioãnes in Asiam instituerit profectionem, nusquã dicit scriptura, quod abduxerit secum sanctam virginem, sed simpliciter siluit propter miraculi excellentiam. Ex Epiphanii ergo sententia Ioannes, adhuc viuente virgine, in Asiam profectus est. Et tunc fortasse conuertit Ignatiũ. Abfuit ergo frequenter Ierosolymis; & nõ modico tẽpore, relinquens virginem; nisi velimus cum eo semper egressam, quod est creditu difficile. *Ratio tertia Epiphanius.*

Dicendum ergo propterea primo. Ioannem aliquoties quidem egressum fuisse Ierosolymis, ad vicinas ciuitates Iudeæ, & Samariæ, iuxta præceptum Christi. Actuũ. 1. 18. & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria. Et ita cum Petro iuit in Samariam, sed statim reuersus est Ierosolymã. Similiter anno post tertio aberat, cum primo Paulus ascendit Ierosolymam. Posset etiã dici post annos. 14. quando habitum est ab Apostolis concilium, ad quod ascendit secundo Paulus, non ibi fuisse, quod Petri & Iacobi tantum fiat mentio c. 15. sed si aberat per modicum tempus aberat, idq; à virgine habita facultate; quæ æque ferret, imo suaderet Ioanni, id vt faceret: cum præsertim Ierosolymis maneret Iacobus frater Domini, qui, vt existimo, in eadem cum virgine, habitabat domo: quæ prima fuit, materq; ecclesiarũ, cuius ipse erat Episcopus, qui virginis curam haberet, eamq; custodiret. *Dictum primum.*

Dicendum est secundo: Ioannẽ non profectum in Asiã ad prædicãdũ ante virginis obitũ, sed post. Itaq; licet forte illi obtigerit Asia ad euangelizandũ, ad quã profectum esse asserunt Origenes li. 3. in Genes. Eusebius. lib. 3. hist. c. 1. Greg. Nazian. ad Arian. Chrysost. hom. in. 12. Apost. & hom. 1. in Ioann. Tertull. lib. 4. contra Marcio. Verum id post Petrum, & Paulum fuisse constat. 1. ex Epiphanio, hæresi. 51. dicente, illic enim (in Asia) sanctus Ioãnes post ætatem senectã iubetur à Spiritu sancto prædicare, & re- *Dictum secundum.* *Orig.* *Euseb.* *Nazian.* *Chrysost.* *Tertull.* *Epiphan.*

flectere errãtes, in via. Et infra. Quapropter cogit Sanctus spiritus Ioannẽ recusantẽ euangeliũ annũciare ob metũ, tum, & humilitatem, in senecta ipsius, post. 90. annos vitæ ipsius, post reuersionem ipsius, à Pathmo, quæ facta est sub Claudio Cæsare, postquam multos annos in Asia trãsegisset, euangelium exponere contra Cerinthũ, & Ebionẽ. Secũdo quia viuente virgine per Asiã prædicauerunt Petrus & Paulus. De Petro cõstat ex eius. 1. epist. c. 1. electis aduenis dispersionis Põti, Galatiæ, Cappadotiæ, Asiæ, & Bithiniæ: & ita asserit Hierony. lib. de script. eccles. in Petro. De Paulo etiã cõstat, qui Ephesum precipuã Asiæ vrbẽ ingressus, Actuuũ. 19. duodecim tantũ viros inuenit nondũ baptizatos. Dicit autẽ ad Rom. 15. sic autẽ prædicaui euãgeliũ, non vbi nominatus est Christus, ne super alienũ fundamentũ ædificarẽ, sed sicut scriptũ est, quib⁹ nõ est anũciatũ de eo. Et tamẽ anno. 56. Chuisti, vno ante virginis obitũ scripsit ad Romanos, & proximos superiores annos Ephesi egerat, & Timotheũ præfecerat: nondũ ergo Ioãnes ibi prædicauerat. Tertio quia quæcũq; à Ioãne gesta referũtur in Asia, post apostolorũ Petri & Pauli necẽ, facta narrãtur; nã primũ anno. 74. Christi, anno. 18. post decessum virginis, cõtigit quod refert Epiph. hæres. 30. post excidiũ Ierosolymitanũ, in balneo dixisse contra Ebionẽ. Ductus est vinctus Romã ex Asia, à Domitiano anno eius. 9. & Chri. 92. & in oleũ missus, auctore Tertul. lib. de præscrip. c. 36. Hiero. li. 1. contra Iouin. in insulam Pathmũ relegatur anno Domitiani. 14. & Chri. 97. & vidit Apocalypsim iuxta Eusebiũ in chronico. Nã ad finẽ Domitiani Apocalypsim scripsisse ait Iren. li. 5. aduersus hæres. c. vlt. Occiso Domitiano. 1. anno Neruæ, & Christi 100. ex exilio Ephesum rediit, vbi hospitiolũ, & amicos amãtissimos sui habebat secũdũ Eusebiũ, eo anno vbi dispẽsat Ecclesias, & Iuuenẽ custodiendũ dat Episcopo, vt refert ex Clemẽte Eusebius, lib. 3. hist. c. 15. & 17. Ephesi editur euangeliũ per Caiũ hospitem; de quo Paulus, salutat vos Caius hospes meus, iuxta Irenæ. lib. 3. c. 1. Euseb. lib. 5. hist. c. 8. Athana. in synopsi, & Epiphan. hæresi. 51. & peruenit vsque ad Traiani tẽpora, vt ait Irenæus, quem

Hieron. *Tertul.* *Hieron.* *Euseb.* *Irenæus.* *Euseb.* *Clemens* *Eusebius.* *Irenæus.* *Eusebius.* *Athanas.* *Epiphan.*

refert Eusebius in chronico, anno. 3. Traiani, Christi. 103. & 68. à passione: quo obiisse ait Hierony. in catalogo de scripto. ecclesiaſ. in Ioãne, & Nicephorus li. 2. c. 42. Recte igitur ex his colligitur Ioãnẽ Asianas ecclesias nõ fundasse. Id quod de Ephesina certũ esse asserit Irenæ. lib. 4. c. 4. sed post necẽ Apostolorũ illã regionẽ curandã, & administrãdã suscepisse, propter Hereticos Cerinthũ, & Ebionẽ, qui fideles Asianos peruertebãt. Quod autẽ non prius discesserit, causam esse absq; dubio putamus, virginis curã, & custodiã, quã vsq; ad finẽ vitę eius, cõseruauit. Vnde Epiphan. heres. 58. quia incertus fuit de virginis obitu, dixit de ipsa nihil scriptum, & Ioannẽ nõ amplius apud se eam habuisse; neque secum tulisse, cum profectus est in Asiam: quia videlicet iam Deus eam ad se vocauerat. *Epiphan.*

5 ADERANT. DAMASCENVS oratione de Assumptione Virginis. Aderat vero eorũ quoq;, qui erãt in Ierusalẽ, quicũq; erat cætus à Deo electus. SIMEON Metaphrastes oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Cum igitur excessus sui mysteriũ didicisset, statim iussit plurima domũ lumina afferri, id quod factũ est, tota vero domus mũdata est: lectus itẽ, & thalamus ornabatur; & cõuocabãtur quotquot erãt cognati, & vicini, vt cũ ea, lætitiæ fierẽt participes. Deinde parata erãt omnia ad excessum: significat itaq; his, qui conuenerant id, quod ei filius per angelũ nũciauerat: ostẽdit autẽ brauiũ, quod similiter ab eo datũ fuerat: id vero erat ramus palmæ, vt linguæ asuefactæ vera loqui, de eo dixerant, signũ victoriæ mortis, & vitæ imago immortalis: sicut etiã Hebræorũ pueri id eius faciebãt filio, inspirati diuinitus; illi enim appropinquãti ad passionẽ, hi ramos palmarũ offerebant, eum futurũ victorem mortis, ante significantes. NICEPHORVS lib. 2. histor. c. 21. Itaque migratione sua adhunc modum cognita, lumẽ ad eã infertur, domus purgatur, genere propinqui, vt par erat, accersuntur, riteque, & ordine, quæ ad transitionẽ eã pertinẽt præparantur: nũciũ etiã illa, quem acceperat his, qui cũ ea erãt, exponit; & præterea victoriæ mortis trophęũ, erat autẽ palmę ram⁹, mõstrat. *AVCTOR.*

Decessui virginis qui ex fidelibus adfuerint. *Damascen.* *Simeon Metaphr.* *Ramus palmæ oblatus ab Angelo Mariæ.* *Nicephor.* *Ramus palmæ victorię signum.* *Auctor.*

Satis est verisimile, omnibus fidelibus Ierosolymis degẽtibus à Ioanne primũ, deinde ab aliis, diuulgatũ Deiparæ obitũ; ac per hos ad proprinquos, & amicos, in alias vrbes delatum, quod res esset omnibus optatissima, eius adesse decessui, quæ vitæ auctorem mundo ediderat.

Domus virginis in Siõ. Andreas Creten. 6 SION. ANDREAS Cretẽsis, orat. 1. de dormitione Deiparæ. Tubis ergo canamus in Sion. Rogauerit autẽ merito quispiã eorũ, qui diligẽter cõsiderant; qua nã de causa Siõ fecisti mentionẽ? sed nõ ab instituto est hoc alienũ, ei ego dixerim, si memini sanctissimæ Sion. In ea enim peractũ est hoc magnũ Deiparæ mysteriũ: in ea sacrorũ castissimi corporis genuũ inflexiones, tãquã claræ voce testãtur tabulæ, quæ sunt humi cõstratæ; toto enim tẽpore incolatus, in ea est versata, & illic naturæ seruiens legibus, vitę finẽ accepit. Hic quoq; latuit principẽ tenebrarũ, quomodo in pariẽdo ea effugit, quæ accidũt matribus, illa sanctissima, & à Deo vocata, quæ gloria & gratia cælũ, & terrã impleuit magnitudine diuinæ suæ translationis. *Damasc.* DAMASCENVS in oratione in Assumptione B. virginis. Videor mihi videre hãc sanctis sanctiorem, & sacris sacratiorẽ, & piis magis piã, dulcẽ mannæ vrnã, aut vt verius dicã, fontẽ, super aliquẽ lectũ recumbentem, in diuina, & inclyta ciuitate Dauidis, in qua lex quidẽ fuit impleta prophetarũ, pronũciata autẽ fuit lex spiritus: in qua typicũ pascha peregit Christus legislator; & verũ pascha, qui Deus est, veteris, & noui testamẽti tradidit: in qua cœnã mysticã suis discipulis agnus Dei, qui mundi tollit peccatũ, celebrauit: & eis seipsum tãquã vitulum saginatum sacrificauit, & veræ vineæ botrum calcauit; in qua Christus aspicitur ab Apostolis surgens à mortuis, & fidẽ facit Thomę, & per eũ finibus terrę, quod sit Deꝰ, & Dñs, duas in se ferẽs naturas, etiã postquã surrexit à mortuis. Hæc est arx ecclesiarũ: hæc est habitaculũ apostolorũ, in hac sãctissimi spiritus in variis sonis, & linguis, & in specie ignis effusus fuit aduẽtus apostolis: in hac, cũ ille Theologus accepisset Deiparã, subministrabat ei ea, quibus opus habebat: hæc est mater ecclesiarum, quæ sunt per vniuersum

sum

ſum orbem terræ: in hac vitam egit Dei mater, poſtquam filius ſurrexit à mortuis. In ea ergo Beata Virgo iacebat ſuper aliquem feliciſsimum lectum. BEDA venerabilis, lib. de locis ſanctis, cap. 3. In ſuperiori montis Sion planitie Monachorũ cellulæ frequentes Eccleſiam magnam circumdant, illic (vt perhibent) ab Apoſtolis fundatam, eo quod ibi Spiritum ſanctum acceperint, ibique ſancta Maria obierit: in qua, etiam locus cœnæ Domini venerabilis oſtẽditur; ſed & columna marmorea in medio ſtat Eccleſiæ, cui adhærens Dominus flagellatus eſt. SIMEON Metaphraſt. oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Poſtquam autem in tempore Pentecoſtes Apoſtoli impleti diuina gratia Paracleti, ad Euangelij doctrinam alius alio mittebantur, & iam prædicatio fidei annunciabatur: Virginem, vtpote dilecto diſcipulo, & Virgini commendatam, quæ erat in Sion eius domus, eã habebat illic degentem: cui tamquam Matri Dei honor ab omnibus exhibebatur. GEORGIVS Cedrenus. Bonis ſuis Cayphæ venditis Sionẽ emerunt. Is eſt locus, vbi myſticum Paſcha Chriſtus celebrauit, & foribus clauſis ingreſſus eſt. Ibique Chriſto in cælum aſſumpto Maria vſq; ad finem vitæ egit. NICEPHORVS lib. 2. hiſtor. Eccleſiaſtic. cap. 3. Poſt crucis autem ſupplicium, in domo Ioannis annos impleuit vndecim: in ea ipſa Ioannis domo, primum Paſchæ myſticum conuiuium, Dominus cum diſcipulis inſtituit: inde hymno dicto, in montẽ oliuarũ exierunt ad villam Gethſemani: ibidem propter metum Iudæorum diſcipuli claudebãtur: ibidem etiam foribus clauſis, cum reſurrexiſſet ab ipſis eſt viſus; cum in faciem quoque eorum inſpirauit, & Spiritum eis ſanctũ dedit: ibi octauo poſt die Thomæ fides eſt confirmata: eo Spiritus ſanctus ſpecie linguarum, ipſa Pentecoſte aduenit: ibidem Iacobum iuſtum, primum Ieroſolymorũ Epiſcopum Apoſtoli ſuffragiis ſuis deſignarunt, & Stephanũ cum reliquis ſex Diaconis legerunt. Hanc porro domum Ioannes fertur comparaſſe poſt mortem patris ſui Zebedæi, quiquidem propriæ nauis rector fuiſſe perhibetur, celebris

Beda. *Metaphraſ.* *Georgius Cedrenus.* *Nicephorus* *Zebedæus vir celebris*

lebris inter Galileæ incolas vir. Discedens autem in Galilæa filiis ambobus, Iacobo, & Ioanni, hereditatẽ reliquit. Ioannes igitur partem suam, quæ ex hereditate ei cesserat, Cayphæ eius anni Pontifici vendiderat: quapropter per venditionis eius adictionem notus quoque ei erat, sicuti ipse in Euangelio suo dicit. Alienata autem ad eum modum, quæ ei obuenerat in Galilæa possessione, aliam domum Ierosolymis ad sanctam (ita enim dicta erat) Sion, sibi cõparauit, in qua deinde purissima mater Christi, ad extremum vsque diem suã vitam peregit. Et cap. 21. Et iá tempus instabat, cum in Sion super humiliori lecto reponitur, & aderat Ioannes, qui eã domi suæ fouerat. Et cap. 42. Sed enim historiarum monumenta produnt, diuinissimum hunc Euangelistam, post Iesu in cælum ascensum, cum matre Dei in ea, quá ad Sion fuisse scripsimus, domo sua vixisse, vsque ad illius ad Deum migrationem.

Auctor.

Cuiusnam Ioannis fuerit domus, in qua Virgo decessit?

AVCTOR. Difficultas non leuis se se offert de domo, in qua Virgo decessit, cuius nam fuerit: Ioannis ne Euangelistę, an Ioannis cognomento Marci? Nam vtrique fuisse suam domũ Ierosolymis, disertis verbis affirmat Nazianzenus, seu Apollinaris potius, in Tragædia de Christo patiente: dum Virginem sic loquentem inducit.

Nazianzenus. Apollinaris

Vtrique Ioãni domus Ierosolymis.

Eamus hinc, citis silentes gressibus
AEdes petendo, feminæ, in quibus manẽt,
Vt hospites, cum matre Marci Maria;
Quo & conuolauit, vt reor, sacer chorus,
Ibique dulcem præstolabimur diem:
Potius ve eamus, in noui gnati domum,
Quem filius mihi arrogauit vnicus.

Idem Euangelistæ, & Virginis domicilium.

Euodius. Damascen. Simeon. Cedrenus.

Euodij igitur sententia fuit: vt refert Nicephorus, lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3. Ioannis Euangelistæ fuisse domum, in qua & vixit, & decessit Deipara Virgo: quem secuti sunt Ioannes Damascenus, Simeon Metaphrastres, Georgius Cedrenus in Annalibus, & Nicephorus locis dictis: qui eam dixit comparauisse Ioannem diuẽditis bonis, quæ in Galilæa habuerat. Nec hi alia ratione probant, quam quod sic historiarum monumenta prodant.

Verùm ipsos fuisse deceptos nomine Ioannis, quē existimarunt fuisse Euangelistā, cum fuisset Marcus cognomento Ioannes Marię filius, materteræ Barnabæ, ratio probat firma innixa auctoritate. Etenim cuiuscumque fuerit domus duplex esse non potuit, sed vna tantum, sita in mõte Sion, & ciuitate Dauid. Hoc manifestū est ex omnibus prædictis auctoribus, qui ingenue fatētur, in ea domo fuisse cœnaculū, vbi Christus cū suis cęnauit discipulis, lauit eorū pedes; vnde hymno dicto exiit in hortū: vbi cōgregati sunt discipuli propter metū Iudęorū: illisq; clausis ianuis Christus resurgēs sese ostēdit: vbi post ascēsionē mā serūt cū Maria matre Iesu: descēditq; Spiritus sanctus: vbi electus Mathias Apostolus, Iacobus autē Episcopus Ierosolymitanus: vbi deniq; vitā degit Maria cū Ioāne, vitāq; finiuit: domusq; facta est prima ecclesiarū. Hæc omnia in ea domo, quā Ioānis Euāgelistæ putāt, dicūt accidisse prædicti auctores. Sic Niceph. alio à dictis loco li. 1. hist. c. 28. his verbis affirmat. Sub hęc, cęna paratur in domo, vt aiūt Ioānis Euāgelistæ, quā ille possessione sua, in Galilęa Cayphæ, eius tēpore Iudeæ Pōtifici vēdita in locis circū Siō montē sitis cōparauerat. Eadē de domo illa nulla mētione dñi illius facta: refert Hierony. Epist. 27. ad Eustochium, cui ait. Inde egrediēs, ascēdit Siō: ostēdebatur illi colūna Ecclesiæ porticū sustinens, infecta cruore Dñi, ad quā vinctus ducitur, & flagellatur: monstrabatur locus, vbi super centū viginti credentiū animas, Spiritus sanctus descēdisset: vt Ioelis vaticiniū cōpleretur. Et Epist. 193. ad Paulinū, de Ioele loquens: & post euersionē prioris populi, ait, effusum iri Spiritū sanctū super seruos Dei, & ancillas, id est, super centū viginti fideliū nomina, qui effundendus erat in cœnaculo Siō. Quod ipsum dixerat Beda superius relatus; & Cyrillus Ierosolymitan. catechesi 16. cum ait, Spiritum sanctum, qui locutus est per Prophetas, & in die Pentecostes descēdit super Apostolos in specie ignearum linguarum; hic, Ierosolymis, in superiori Apostolorum Ecclesia. Cui concors est Nicephorus historię libro octauo, capite 30. cū ait. Ceterum in vrbem sanctam reuersa

Refellitur.

Domus Ioānes cognomento Marci.

Vna tantū domus, in qua tot mysteria sunt exhibita.

Nicephorus

Hieronym.

Beda.

Cyril. Ierosolymit.

Nicephor.

Helena,

Helena, longe, lateque construxit templum, in cuius portico domum circumclusit, in qua foribus clausis, propter metum Iudæorum discipuli fuerant congregati: in qua etiam sacra cœna peracta sacraque pedum lotio, necnon Spiritus sancti in cœnaculo aduētus: in qua primus quoq; hierarcha, & Episcopus Iacobus renunciatus est: In eo tēplo marmorea quoque fuit columna, ad quam cum flagellis cęderetur, alligatus est seruator: in cuius pro parte sinistra diui Prophetæ Dauidis sepulcrum, magnifice, & in sublimi collocatum. Sion ipsa ad australem vrbis est sita partem; superiorem eius sortita regionem; pasibusque mille à Christi resurrectionis loco distat. Id ipsum ex Cedreno supra retulimus. Iam satis ex his omnibus constat vnicam domum esse censendam, in qua prædicta omnia contigerunt, & quam supradicti auctores volunt fuisse Ioannis Euangelistæ. Quod si verū fuisset, non tacuissent quidem Cyrillus, neque Hieronymus, Beda, & Andreas Cretensis. Sed contra sentit Laexander, seu Alexander, Monachus, quem supra retulimus cap. 16. num. 5. Qui in vita sancti Barnabæ, domū, in qua prædicta omnia facta sunt Mariæ fuisse matris Ioannis cognomonto Marci, constanter asseuerat. Quod si verum est, vt verum probauimus, non distinctam domum Ioannes habuit Ierosolymis, vt dicebat Apollinaris, sed vna fuit, vt sæpe animaduertimus: quam auctores relati superius Ioannis Theologi esse volebant: nos vero dicimus fuisse Ioannis cognomento Marci: & ex nomine illos fuisse deceptos. Hoc vero eiusmodi ratio probat. Nam vel Ioannes Theologus, domum illam habuit, vel emit antequam Christus cœnaret in illa, vel post aduentum Spiritus sancti: non prius, quia illā non ignoraret, neque haberet alium dominum. Acqui nesciebat domum, vt constat Lucæ 22. vbi quærentibus Ioanne, & Petro: vbi vis paremus Pascha? Dixit eis Iesus: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo quidam, amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat: & dicetis patri familias domus, dicit tibi Magister, vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis

Domus Ioānis cognomēto Marci.

Alexander

Ratio efficax, qua probatur Sion non fuisse Ioan. Euangelist.

pulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate: euntes autem inuenerunt sicut dixit illis: ex quibus patet ignotam fuisse Ioanni domum: nam si illius erat, cum id quidem non ignorasset Dominus, quid opus Christo fuisset, signa proponere, cui facile fuisset dicere, Ioãnes para in tua domo. Rursus etiam dominum habebat patrem familias, quem Marcus vocat, dominum domus, qui reuera ex discipulis erat, cum ei dicatur, magister dicit. Ante cœnam igitur domus illa, non fuit Ioannis. Nec post aduentum Spiritus sancti: tum quia nullus dixit; tum quia pauper erat Ioannes cum reliquis Apostolis: tum quia domus erat adhuc prædictæ Mariæ, vt probabimus: Ioannis ergo Theologi, domus illa esse non potuit: in qua non aliter, quam ceteri Apostoli, mansit ipse cum Maria: vt dicitur Actuum 1. tamquam in aliena domo.

Ioãnis Euãgelistæ domus ignota.

Quod vero domus fuerit Mariæ matris Ioannis cognomento Marci, hac etiam ratione deduci potest. Domus illa fuit commune hospitium Apostolorum, & feminarum sanctarum, vbi manebant, & in quam conueniebant discipuli: sic Mathæ. 28. dicit. Exierunt cito de monumento currentes, renunciare discipulis eius. Lucas, cap. 24. & egressę renunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & ceteris omnibus. Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & ceteræ quæ cũ illis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Ioannes cap. 20. Abierũt ergo iterum, discipuli ad semetipsos. Lucas cap. 24. Regressi sunt Ierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cũ illis erant: Dum autem hæc loquerentur stetit Iesus in medio eorum. Ioan. 20. Cum sero esset die illo, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio; & post dies octo iterum erant discipuli eius intro, & Thomas cum eis: venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio. Actuum 1. 12. Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, & cum introissent in cœnaculũ ascenderunt, vbi manebant Petrus, & Ioannes, & ceteri: hi omnes erant perse-

Domus Mariæ matris Marci.

uerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Quod ex supra allatis auctoribus nemo negat. At ex Actuum cap. 12. 12. satis colligitur hoc commune hospitium Apostolorum, & fratrum, fuisse domum Mariæ matris Ioannis cognomento Marci. Eductus enim ab Angelo è carcere Petrus, considiransque, ait Lucas, venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes: pulsante autem Petro ostium ianuæ, processit puella ad videndum, nomine Rhode, & vt cognouit vocem Petri, prægaudio non aperuit ianuã, sed intro currens nunciauit stare Petrum ante ianuam. At illi dixerunt ad eam insanis: illa autem affirmabat sic se habere, illi autem dicebant, Angelus eius est. Petrus autem perseuerabat pulsans. Cũ autem aperuissent ostiũ, viderunt eum, & stupuerunt. Annuens autem eis manu, vt tacerent, narrauit quomodo dominus eduxisset eũ de carcere. Dixitque, nunciate Iacobo, & fratribus hæc. Et egressus abiit in aliũ locum. Petrus ergo in hanc venit domum, vt satis sibi notam, in qua erãt multi fratres orãtes, adeo vt à puella ex voce fuerit cognitus: & deinde eis, qui obuiã illi exiere iussit, vt nũciarent Iacobo, ceterisq; fratribus, qui intus erant, quæ referebat. Habitabat ergo ibi Iacobus Ierosolymitanus Episcopus, qui illã domum in Ecclesiã consecrauit, dictã Apostolorũ. Hoc igitur tamquam certius habeamus, in domo huius Ioãnis, cognomẽto Marci, supradicta omnia contigisse: & Virginem Deiparam, & vixisse, & decessisse. Creditur enim prædictam Mariam cum filio Marco, quoniam fidelis erat, domum suam obtulisse Apostolis, tunc cum omnes fideles constituebant bona sua ad pedes Apostolorũ; ab ipsisque designatam cõmune hospitium Apostolorum; Virginisq; domicilium: constitutamque primam omnium Ecclesiarum.

Commune Apostolorũ hospitiũ domus Marci.

7 APOSTOLI. DIONYSIVS Areopagita, lib. de diuinis nominibus ad Timoth. c. 3. ad finẽ. Quãdoquidem apud ipsos quoq; nostros à Deo afflatos sacrorũ Principes, quãdo nos quoq;, vt ipse nosti, & multi ex nostris sacris

Apostoli ad sunt decessui Virginis Dionysius.

cris fratribus, ad videndũ corpus, quod vitæ principium dedit, & Deũ suscepit, cõuenimus (aderat autẽ Dei quoq; frater Iacobus, & Petrus, qui erat Theologorũ suprema, & antiquissima summitas) visumq; est, .vt post illud spectaculum, omnes sacrorũ Principes hymnum canerent, & laudarent, prout poterat vnusquisq; , infinitã bonitatẽ Diuinarum virium. Post Theologos, ille, vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorum, vt qui plane excederet, & à se omnino abduceretur, & in ea, quam hymnis celebrabat, afficeretur societate, & cõmunicatione: & ab omnibus à quibus audiebatur, & videbatur, & cognoscebatur, & nõ cognoscebatur, iudicaretur esse à Deo afflatus, & diuinus scriptor hymnorũ. Et quid tibi amplius dixerim de his, quæ illic de Deo, diuine dicta sunt: etenim, nisi sum mei quoq; oblitus, scio multos à te audiisse quasdam partes illorum, Deo afflantium hymnorũ, tanto tibi studio est, non negligenter diuina persequi. IVVENALIS Archiepisc. Ierosolymitanus, in histor. Euthimiaca relatus, lib. 3. cap. 40. In sancta quidem, & diuinitus inspirata, scriptura de decessu sanctæ Deiparæ Mariæ nihil traditur: ex antiqua autem, & verissima accepimus traditione, quod tempore eius gloriosæ dormitionis, vniuersi quidẽ sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium obibant, momento temporis sublime sublati, conuenerunt Ierosolymis. Tunc autem aderant cum Apostolis, sanctissimus Timotheus Apostolus, & primus Episcopus Ephesiorũ: & Dionysius Areopagita: sicut hic ipse magnus testatur Dionysius in his quę de B. Ierotheo, qui ipse quoq; tunc aderat, cõscripsit, ad dictum Apostolum Timotheum, sic dicẽs, vt supra ex Dionysio Areopagita. ANDREAS Cretensis, Archiepiscop. Ierosolymitanus oratione 2. de dormitione Deiparæ. Iam ergo illa innumerabilis eorum, qui Deum honorant classis, sicut prius diximus, frequens erat cõgregata: & vniuersus supermundanarum potestatũ, qui intelligẽtia percipitur, pulchre instructus cætus, à nullo conspectus, desuper aduolans, ad spectaculum confluebat admirabile. Hinc certe factum est, vt diuinorum

Iuuenalis.

Andreas Cretensis.

sapien-

ſapientum præcipui à Diuino Spiritu arrepti, ex inſigni lætitia diuini tunc oblectantis ſplendoris, id quod ſupererat illuminationis, in extaſim traducentes, illos hymnos diuinitus inſpiratos, illam, inquam, quæ eſt in hymnis tropologiam; vt poterat vnuſquiſque attingerẽt, alius alium excipiens. MICHAEL Syngelus Presbyter Ieroſolymitanus, in vita Dionyſij. Quod vero curſum Apoſtolicũ perfecerit, & admirãdis editis miraculis diuinitus glorioſus apparuerit, multa quidem, & alia fidem facient: & in primis nubes illa, quæ ab Occidentis partibus, abreptum ſublimem, ipſum abſtulit, per aerem ambulantem, & elatum abduxit: vti etiã ſummos Dei inſpectores, & Theologos Apoſtolos, alium aliunde repente, è finibus terræ, in celeberrimam communem omnium Chriſtianorũ matrem Ieruſalem aſportauit: & in excelſa Diuinorum myſteriorum arce Sion Eccleſiarum matre, ceteris Chriſti diſcipulis copulauit, cum Dei matris innocentiſsimæ, corpori iuſta perſoluerentur. Quod ob editum filij Dei partum, qui ex ipſa natus eſt, & ortum carnis ineffabiliter, accepit, cum eaque familiariter vixit, magnis honoribus auctum, à cæleſtibus Angelorum ordinibus, plurima cum pompa elatum eſt. Et ipſius delubrum mirandum in modum extructum ſanctiſsimis, diuiniſque Apoſtolorum capitibus, & manibus ex Sion in Gethſemani tranſlatum: linguis Diuino Spiritu percitis, igneis ac diuiniſsimis laudatum, & gloria cumulatum eſt. At Diuini ipſius præconis verba audienda ſunt. Siquidem apud præſides noſtros numine afflatos, & cetera vt ſupra ex Dionyſio. Quãobrem nullus dilectiſsimi orationi fidem habere detrectet. Quomodo enim qui quoquo verſum erant diſperſi, atque alius alio hoſpitium dirigere, & munus Apoſtolicũ exequi, mandatum habuerant, ſic breuiſsimo tẽpore, iuncti ſimul conueniſſent, niſi vehiculo Diuino, nubi ſimili, quiſque dignus habitus eſſet? & quidem omnibus, qui in initio ſalutaris prædicationis, in vera fide ambulantes, ab ipſa Diuina luce illuminati ſunt, genera linguarum, ſanitatum dona, diuerſarum virtutum operationes, abunde à

Syngelus.

Spiritu

Spiritu cælestium donorum largitore, & boni totius fonte, nedum magno illi Dionysio Apostolorum coæuo sunt impertita. GREGORIVS Turonensis lib. primo de gloria Martyrum, capit. 4. Denique impleto à Beata Maria huius vitæ cursu, cum iam vocaretur à seculo, congregati sunt omnes Apostoli, de singulis regionibus, ad domum eius: cumque audissent, quia esset ad summenda de mundo, vigilabant cum ea simul. ILLEFONSVS sermone nono de Assumptione Beatæ Matiæ. O quam venerandum, & præceteris honorandum diem, in quo Deigenitrix Virgo Maria de mundo migrauit ad Christum! O tabernaculum gloriæ, templum cæleste, cui Apostoli sacrum reddunt obsequium, ad cuius Angeli canunt triumphum, quam Christus amplexatur! EVTHYMIACA historia, libro tertio, capit. 40. apud Damascenum, sermone de dormitione Deiparæ, & Nicecephorum, libro decimo quinto, cap. decimo quarto. Hi ergo, scilicet Pulcheria, & Marcianus, cum illic (Constantinopoli) ædificassent domum venerabilem, maxime celebrandæ, & sanctissimæ Deiparæ, & semper Virgini Mariæ, & eam omnibus exornassent ornamentis, quærebant eius sanctissimum corpus, quod Deum susceperat: & cum accersissent Iuuenalem Ierosolymitanum Archiepiscopum, & Palestinæ Episcopos, qui in regia vrbe versabantur, propter synodum, quæ tunc facta est Chalcedone, dicunt eis: audimus esse Ierosolymis primam, & egregiam sanctissimæ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ Ecclesiam in prædio, quod vocatur Gethsemane; vbi eius quod vitam portauit, corpus fuit in loculo depositum: volumus ergo eius huc adduci reliquias ad custodiam huius regię ciuitatis. Excipiens autem respondit Iuuenalis. In sancta quidem, & cetera, vt supra. DAMASCENVS oratione de dormitione Deiparæ. Viuens enim ciuitas Domini Dei exercituum, sublime attollitur, & reges ex templo Domini gloriosæ, & illustris Sion ad supernam Ierusa-

Greg. Turo.

Illefonsus.

Euthymius

Damascen.

lem, quæ est libera, & sua mater, munus offerunt preciosissimũ: qui sunt cõstituti principes ab vniuersa terra, Apostoli inquam, Dei matrem semper Virginem. Et infra. Eos quidem, qui dispersi erant per vniuersum orbẽ terræ; eos inquam iussus diuinus, nempe nubes, tamquam quoddã recte vrgebat ex finibus terræ, veluti quasdam aquilas, cogens, & congregans. Aderant ergo hi, qui verbum, & ipsi viderant, & ei seruierant: eius quoque matri, vt debebant ministraturi, & tamquam præclaram, & preciosam hereditatem, ab ea hausturi benedictionem. Cui enim dubium est eam esse fontem benedictionis, & omnium bonorum scaturiginem? Simul autem aderant, eorum quoq; asseclę, & successores, & ministerij, & benedictionis simul futuri participes: quorũ enim labor communis, cõueniens erat, vt fructus quoq; essent cõmunes. Aderant vero eorũ quoque, qui erant in Ierusalẽ, quicumq; erat cætus à Deo electus. Et infra. Et quomodo Rex Salomõ, propter arcæ requiem in templo Domini, quod ipse construxit, omnes seniores Ierusalem vocauit ad concionem in Sion: sic tũc propter requiem arcæ intelligentis, non testamenti Domini, sed ipsius hypostasis Dei verbi, ipse nouus Salomõ, qui est Princeps pacis, & vniuersi optimus architectus, mentium cælestium super mũdanos ordines, & noui testamenti proceres, Apostolos inquam, cum vniuerso populo sanctorum, qui erat Ierosolymis, hodie congregauit. Quod autem hæc ita se habeant, in Euthymiacæ quoque historiæ lib. 3. cap. 40. his verbis scriptum est, vt supra. SIMEON Metaphrastes, oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Per nubem autem suos congregat discipulos, vt venerandum eius corpus mandarent sepulturę. Ne autẽ videatur esse inane quod dictum est de cõgregatione Apostolorũ, quæ facta est in dormitione Virginis, satius fuerit ea sũmatim addere, quæ à Dionysio Areopagita dicuntur in 3. lib. vt supra. Et oratione de peregrinationibus Petri, & Pauli. Cum autem non diu mansisset apud Romanos, & sancto baptismo multos regenerasset, & Ecclesiam construxisset, & Linum Episcopum ordinasset

Simeon Metaphrast.

nasset

nasset, venit Taracinam, in qua eum Epaphroditum ordinasset Episcopum, venit Sirmium ciuitatem Hispaniæ: quo in loco cum Epænctum constituisset Episcopum; deuenit Carthaginem ciuitatem Africæ, in qua cum Crescentem ordinasset Episcopum, venit in AEgyptum: & cum Thebis, quæ septem habebat portas, Ruffum, Alexandriæ autem Marcum Euangelistam, eorũ qui se, in disciplinã tradiderãt Espiscopatui præfecisset, rursus venit Ierosolymam ex reuelatione, propter Deiparæ Mariæ migrationem. Et in vita Dionysij Areopagitæ. Cum vero ad tantã peruenisset gratiam, vt quando Deiparæ, quod Deũ suscepit, corporis emigrauit spiritus, simul adesset cũ Apostolis, qui per spiritum, & nubem ad hanc sacram accesserant sepulturam, non amplius existimauit oportere, vna ciuitate nempe Athenis, circũscribere tales opes gratiæ.

GRAECI in Cantico. Virgo Deipara, quando ex hoc mũdo ad illum cõmigrasti, quẽ ineffabili modo genuisti, aderat tibi Iacobus frater Domini, primus Ierosolymorũ Põtifex; cũ Petrus summus ille, & cum primis venerandus Theologorũ antesignanus, sed & sacer ille diuinorũ Apostolorũ chorus, vt diuinũ, atq; excellens œconomiæ Christi mysterium, Angelicis, planeq; diuinis cõcentibus, & laudũ præconiis cõcelebrarent: vtq; corpori tuo, quod & Deũ susceperat, & vitæ principium extiterat, non absque magna lætitia, & singulari hymnorum concentu parentarẽt. *Græci.*

AVCTOR. Quod de Apostolorum Ierosolymam aduentu, & virorum Apostolicorum, diximus, referturq; in libello de transitu Virginis, Melitonis nomine inscripto, Beda lib. Retractat. in Acta Apostolica, nõ videtur admittere. Et difficile quidẽ creditur Apostolos Ierosolymã cõuenisse nubiũ ductos vehiculo. Et Dionysij testimonium, quod hanc rẽ magis cõfirmat, aliud significasse multi asseruerũt, neq; de Maria fuisse locutũ. Et quidẽ sunt quibus videatur potuisse Apostolos via ordinaria, cõuenire absq; miraculo, si opportune per reuelationẽ de ea re, fuissent admoniti; quẽadmodũ Paulus ad Galat. 2. 2. ascẽdisse Ierosolymã se dicit secundũ reuelationẽ, ad cõferen- *Auctor. Aduentus Apostolorũ qualis. Via ordinaria venisse Apostolos.*

dum cum Petro, & Iacobo Euangelium. Quia multi corũ non longe aberant, quin per ſpacium 12. 15. aut 20. dierum poſſent venire. Nam Iacobus quidem frater Ioannis iam exceſſerat, Philippus anno Claudij 12. Chriſti 54. au ctore Euſebio in chronico, crucifixus eſt Hieropoli, Petrus erat in AEgypto, vt dixit Metaphraſtes: Paulus agebat Epheſi cum ſuis diſcipulis: Andreas apud Achaiam: Thomas apud AEthyopes, Indos, & Parthos: Bartholomæus apud maiorem Armeniam, niſi obierat iam, vt quibuſdam videtur: Mathæus apud AEthyopas: Simon Zelotes apud Meſopotamiam: Iudas Thadæus euangelizauit Meſopotamiis, Arabibus, & Idumęis: Mathias in Iudęa verſabatur: Ioannes, & Iacobus minor Ieroſolymis morabantur.

Ratio communis defenditur.

Nihilominus dicimus non poſſe iure aliquo negari hiſtoriam tantorum virorum auctoritate firmatam, de congregatione Apoſtolorum: qui cum modum etiam tradant, concedi etiã neceſſe eſt.

Multa fecit Deus admiranda ſanctorum gratia.

Multa enim ſanctorũ virorũ gratia Deus fecit admiranda, quæ facile naturali modo fieri poſſent, & tamen nihilominus ita fecit in gratiam ſuorum ſanctorum. Poſſet quidem Philippum Deus, quẽadmodum iuſsit ire in viam, quę ducit Gazam propter Eunuchum, facere etiam vt rediret in Azotum, Actor. 8. Et tamen Spiritus Domini rapuit Philippum, & inuentus eſt in Azoto. Similiter Daniel. 13. Poſſet Deus Babylone prouidere Danieli, & tamen voluit Habacuc celerrime per aerem duci, qui ei cibum ferret: quid ergo mirum ſi gratia ſuæ matris dilectiſsimę, aut potius gratia ipſorum Apoſtolorum, qui id adeo exoptabãt, Deus conceſſerit, vt Apoſtoli, ne ſuis miniſteriis tot diebus deeſſent, diuinitus ſint exportati, & reducti.

Non omnes viri Apoſtolici miraculo ducti ſint.

Neq; eſt quod dicamus omnes viros Apoſtolicos hac ratione veniſſe: nã credendũ eſt id ante aliquos dies per literas, aut nũcios à fidelibus Ieroſolymitanis miſſos cognouiſſe: pręſertim ſi prope erant, & ita veniſſe: neq; Beda hoc in libro illo refutat, quãuis id referat: ſed illud potius, quod dixit 2. anno, poſt Aſcẽſionẽ diſperſos Apoſtolos per orbẽ terrarum, quod repugnat Lucæ: Actor. 8. Et quod dicit Paulum nuper cõuerſum adfuiſſe

obitui Virginis; & Ioannem tunc Ephesο aduenisse, quæ merito repudiat. Quamuis autem Dionysij verba Anastasius Bibliothecarius, in præfatione ad Carolum, interpretetur de carne Christi diuinitatem continente; falso id quidem, cum multos post annos conuersus fuerit Dionysius ad fidem: & Paulus Christo degente nobiscum, non fuerit similiter conuersus. Neque ergo Paulus, neque Dionysius, potuere iam conuersi contueri Christum in terris agentem. Hilduinus vero in Areopag. non de corpore Dei genitricis, sed de sepulcro Domini corporis: & Mathæus Galenus, in sua ad Areopagitam præfatione, de ædibus Ioannis Euangelistæ explicant, in quibus Beata Virgo degit: absque ratione. Quæ enim ratio cogit, vt Apostoli conuenerint ad videndum sepulcrum Domini, quod sæpe viderant, vel ædes Ioannis, quæ vel nullæ erant, vt supra diximus, vel si fuissent, sæpe in eis sunt morati? Necessario ergo debet intelligi de conuentu Apostolorum ad contuendum, & sepulturæ mandandum Virginis Deiparæ corpus, vt tot, tamque insignes patres intellexerunt, Iuuenalis Ierosolymitanus Patriarcha, cum ceteris Episcopis Palestinis, Ioannes Damascenus, Andreas Cretēsis, Euthymiaca historia, Maximus Abbas super Dionysium, Simeon Metaphrastes, Machael Glycas, Epiphanius Presbyrer, Michael Syngelus, & ex Latinis quicumque Dionysium cōmentantur. Sufficiat ergo vnicum hoc, si alia non essent, ad historiā hanc confirmandam, testimonium Dionysij in hunc sensum à tot interpretibus acceptum, vt quod de congregatis Apostolis ad Virginem contuendam, & sepeliendam, est dictum, verum fateamur.

Dionysij verba quomodo accipienda.

Iuuenalis. Damascen. Andreas. Euthymius Maximus. Simeon. Glycas. Epiphanius Singelus.

8 CONSPECTV. SIMEON Metaphrastes, in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Postquam vero vidit eos Deipara: cognouit autem causam, propter quam omnes statim accersiti fuerant, & vnius cuiusq; audiit petitiones, eos quidem, vt par erat, impertiit benedictionibus. NICEPHORVS lib. 2. histor. c. 21. Hæc cum immaculata prorsus Virgo sciret vnicuique, quæ optaret

Apostolorū conspectu læta Virgo. Metaphras.

Niceph.

Auctor. ret, precatur, benedictione omnes dignatur. AVCTOR. Ne dubites valde recreatam Virginem Apostolorum accessu, gratias filio egisse, ac sui decessus rationem illis explicuisse.

In decessu quid fecerit Virgo. Damascen. 9 INSTABAT. DAMASCENVS oratione de dormitione Deiparæ. Videor mihi videre sanctis sanctiorem, & sacris sacratiorem, & piis magis piam, dulcem mannæ vrnam, aut, vt verius dicam, fontem, super aliquem lectum decumbentem in indiuidua, & inclyta ciuitate Dauidis: in ea ergo Beata Virgo iacebat super aliquem felicissimum lectum. Aderant ergo hi, qui verbum, & ipsi viderant, & ei seruierant: eius quoque matri, vt debebant ministraturi, & tamquam pulchram, & pretiosam hereditatem, ab ea hausturi benedictionem. Cui enim dubium, eam esse fontem benedictionis, & omnium bonorum scaturiginem? Simul autem aderant eorum quoque asseclæ, & successores, & ministerij, & benedictionis simul futuri participes. Postquam autem omnes desiderio simul, & debito satisfecerunt, & ex multis floribus, variisque hymnis, contextam sacram contexuere coronam, benedictionem, tamquam aliquem à Deo datum thesaurum accepere, quæ in exitu postrema dicuntur verba dicentes. SIMEON Metaphrastes, in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Cum iam adesset tempus excessus, illa quidem veræ vitæ mater, in Sion iacebat in grauato. Per nubem autem congregat suos filius discipulos, vt venerandum eius corpus mandarent sepulturæ. Postquam vero vidit eos Deipara, cognouit autem causam, propter quam omnes statim accersiti fuerant, & vniuscuiusque audiit petitionem, eos quidem vt par erat, impertiit benedictionibus. NICEPHORVS lib. 1. histor. Ecclesiastic. cap. 21. Et iam tempus instabat, cum in Sion super humiliori lecto reponitur: & tonitrus, atque nymbi sonitu cõfestim ex finibus omnibus suos filius congregat discipulos. Hæc cum immaculata prorsus Virgo sciret, vnicuique, quæ optaret precatur, benedictione omnes dignatur

Apostolis benedicit Maria decedẽs. Simeon Metaphrast. Nicephor.

tur

tur, & extremis illos vocibus compellat. Deinde Petrum ad se venire iubet, mox reliquos etiã Apostolos vocat, ardentes habẽtes faces: & mirifice exultans, labiaque aperiens gratias filio agit.

Aderant Apostoli cũ facibus.

10 FLEBANT. DAMASCENVS oratione de dormitione Deiparæ. Ei omnes aderant, resplendente face spiritus, & præclaris illustrante splendoribus illos, qui reuerentia, & metu, & immobili desiderio, sinceros mentis oculos in eam defigebant: nullus enim ordo ex his, qui in cælo sunt, qui non vnanimiter adfuerit: nec quisquam inuentus est, qui eo quod in supernis versaretur, & cum inferioribus comparandus non esset, descendere, & omnia quæ diximus munera obire recusauerit. Hic fuerunt verba inspirata, & dicta diuinitus. Plaudebat vniuersus chorus Sanctorum, dicens. Agedum, huc ad nos veni, ò diuine, & qui vitam adfers thesaure: veni ad nos desiderantes, quæ finem nostro posuisti desiderio. Sed non paucioribus verbis eam vicissim, retrahebat multitudo sanctorum, qui adhuc erant in corpore, dicens: Mane nobiscum, quæ es nostra consolatio: quæ es nobis vnicum in terra solatium: ne nos relinquas orphanos, quæ es mater misericordiæ: venientes in periculum, habeamus te laborum requiem, & sudorum refrigerationem: tibi, si velis manere, in tua est potestate, & si velis recedere, nihil est impedimenti: si recedis, quæ es Dei tabernaculum, nos quoque recedemus, qui vocati sumus tuus populus, propter tuum filium. Te solam in terra relictam, habemus recreationem: tecum viuente simul viuere, & cum moriente mori est beatum: quid autem dicimus moriente? Nam tua quidem est vita mors, & vita est melior: & hanc vitam superasti incomparabiliter: nobis autem quemadmodum erit vita vitalis, si te non habeamus, cum qua versemur. Hæc mihi videntur Apostoli cum tota Ecclesiæ congregatione dicere B. Virgini. SIMEON Metaphrastes, oratione de vita, & dormitione Deiparæ,

Fletus Apostolorum ob Virginis decessum.

Damascen.

Metaphras.

Qui aderant vero, videntes signa decessus, ex oculis multas fundebant lacrimas, quis enim tali priuari muliere tulisset sine dolore? NICEPHORVS lib. 2. histor. cap. 2. Sub hæc vis lacrimarum ingens ex oculis omnium profluit, orbitatem suam migratione illius complorantium.

Nicephor.

Consolatur Apostolos Maria. *Simeon Metaphrast.*

11 CONSOLANS. SIMEON Metaphrastes vbi supra. Cũ vero omnibus dixisset verba, quæ in decessu dici solent. Vos, inquit, valete filij: meũ autem hinc decessum ne luctu, sed lętitia potius prosequimini, quãdoquidẽ vobis est persuasum, nos transire ad gaudiũ. Et videte vt corpus meum mandetis sepulturæ in hac figura, in qua ego me composuero: hæc est enim, inquit, mea voluntas. NICEPHORVS vbi supra. Et extremis illos vocibus compellat, valedicens: migrationemque suam non luctu eos, sed gaudio prosequi iubet: & quæ ad exequias, sepulturamque eius pertinerent, suauiter, & læte exponit.

Nicephor.

Duabus virginibus suas vestes distribui iubet. *Simeon Metaphrast.*

12 VT DVABVS. SIMEON Metaphrastes dicta oratione. Virgo ergo ad Ioannem aspiciens Virginem, cum pauca cum Deo esset locuta deinde, duas, inquit, tunicas, quas toto vitæ tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus. Hæc illa quidem dixit. Et infra: deinde adiiciens mulier. Etenim hæc, inquit, Deipara vitam finiens, duabus mulieribus virginibus, duas suas vestes donauit loco benedictionis, ex quibus vna fuit ex mei generis maioribus, quæ id accepit quod donatum fuerat, & in arca deposuit: & omnino iussit his, qui erant sui generis, vt esset Virgo vnaquæq; quæ eam acciperet. NICEPHORVS lib. 2. histor. cap. 21. Tum Virgini discipulo, & itidem aliis ipsa Virgo præcipit, vt duas eius tunicas vicinis viduis, quæ præter ceteras propensiore erga eam amore, atq; pietate fuissent, donet. Et lib. 15. c. 24. Leone imperante, veneranda immaculatæ matris vestis, Cõstãtinopolim hoc modo perlata est. Hãc, sicuti diximus mater Dei ad filium migrans, mulieri Hebrǽ virgini reliquit

Nicephor.

quit, quæ etiam ad illud ipsum tempus incorrupta permã sit, & multa miracula edidit. Postquam autem Candidus, & Galbius germani fratres, patritia dignitate prediti, Ierosolyma profecti, omnia ibi loca perlustrarunt, & exosculati sunt; atque inde etiam in Galileæ partes venerunt, & thesaurum tunc apud Iudeam quamdam seruatum repererunt, consilium eius auferendi ceperunt, & Ierosolymorum vrbe peragrata, & sancto quoque loco salutato, ex Palestina discessuri, arcam eadem longitudine, & latitudine, qua illa erat, in qua diuina Dei matris vestis reposita erat, fieri curarunt; solito ornamento coopertam, per fraudem in loco suo deposuerunt: alteram autem illam cum sacrosancta veste receperunt, & cum ea quam celerrime Constantinopolim recurrerunt in suburbana regione, cui Blacherne nomen erat, occultare diuinum thesaurum volentes. Quandoquidem vero rem tẽtare, quæ fieri nequiret visi sunt, ingratis etiam, eam ad Imperatorem retulere; atque ille incredibili elatus voluptate, rotundo in eo loco, vbi asseruabatur, constructo templo, cum magna veneratione sacram arcam in eo collocauit, vbi nunc quoque veneranda illa vestis seruatur integra; veluti inuictum, perpetuumque vrbis præsidium; quæ varios repellit morbos, & miraculis, quæ in ea fiunt, naturam, & vim temporis superat. *AVCTOR.* Hanc historiam latissime refert Simeon eo loco. Sed vbi Nicephorus priori loco legit, viduis, & ex Simeone Metaphraste, & ex posteriori eius loco, virginibus, est corrigendum. *Auctor.*

13 FILIVM. SOPHRONIVS lib. de Assumptione Mariæ. Creditur quod Saluator omnium ipse, quãtũ datur intelligi, per se totus festiuus ocurrit, & cũ gaudio eam secum in throno collocauit. Alias autem quomodo impleuisse creditur quod in lege ipse precepit, honora patrem tuum, & matrem tuam. GREGORIVS Turonensis lib. 1. de gloria martyrum c. 4. Et ecce Dominus Iesus aduenit cum angelis suis, & accipiẽs animã eius tradidit Michaeli angelo, & recessit. ILLEFONSVS sermone. 3. de Assumptione. Hodie audiuit illam vocem, *Filius occurrit è cælo matri decedent. Sophron. Gregor. Turon. Illefonsus.*

blandientis sese maiestatis, qua dicitur: veni electa mea, & ponam te super thronum meum, quia cócupiuit rex speciem tuam: ad quam sane vocem credimus, quod gaudés, & exultans soluta est beata illa anima, ac perrexit ad dominum, vbi facta est ipsa thronus, quæ fuerat in carne téplum diuinitatis. DAMASCENVS sermo. in Assumptione B. Virginis. Aduenit rex, vt mihi quidem videtur, ad suam parentem, diuinisque, & ab interitu alienis manibus, suscepit eius puram, & nulli culpæ affinem animam. SIMEON Metaphra. oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Deinde è cælo quidem descendit eius filius, illius diuinam assumpturus animam. NICEPHORVS lib. 2. histor. cap. 21. Deinde cælitus filius eius, cum innumerabili angelorum exercitu descédit, animam illius sanctam prorsus, & diuinam assumpturus.

Damasc. *Simeon.* *Niceph.*

Sophron. 14 CAELESTIVM. SOPHRONIVS sermone dicto. Ad cuius profecto exequias, quantum fas est credere, famulabantur angeli, & vniuersæ cælorum congratulabantur curiæ: neque mirum, quia honor maternus eius est, qui natus est ex ea: quem omnis cælorum ordo veneratur, & adorat, super se eleuatum cum Patre, in sede maiestatis Domini. Legimus enim quam sæpe ad funera, & ad sepulturam quorumlibet sanctorum, angelos conuenisse, & ad exequias eorum obsequia præstitisse, necnon & animas electorum vsque ad cælos cum hymnis, & laudibus detulisse, vbi & vtriusque sexus chori cómemorantur frequenter auditi, laudesque cecinisse interea: & quod perspicatius est, multo nonnumquam lumine eosdem resplenduisse, insuper & adhuc viuentes in carne, ibidem, diuini odoris fragrantiam diutius persensisse. Quod si ad recreandam spem, & corroborandam fidem, interdum assistentium, Saluator Christus, ob merita suorum amplius comprobanda, talia, & tanta dignatus est exhibere per suos cæli ministros circa defunctos: quanto magis credendum est, hodierna die militiam cælorum, cum suis agminibus, festiue obuiam

venisse

venisse genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum, olim sibi etiam ante mundi constitutionem paratum, cum laudibns, & canticis spiritualibus perduxisse? nulli dubium, omnem illam cælestem Ierusalem tunc exultasse ineffabili lætitia, tunc iocundatam esse inæstimabili charitate, tuncque cum omni gratulatione iubilasse, quoniam festiuitas hæc, quæ nobis hodie reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua, neque immerito. ILLEFONSVS *Illefonsus.* sermone primo de Assumptione. Vidi Ierusalem descendentem de cælo, à Deo ornatam auro mundo, & lapidibus preciosis intextam. Quo profecto hodie decorata, ideo descendit, vt reginam mundi, beatam scilicet Mariam, secum eueheret ad sublimia, & collocaret in throno regni. Et inferius. Quod si Dauid vna cum omni populo, dignum duxit, arcam veteris testamenti, cum tanto honore prosequi, vt scriptura testatur, multo religiosius est, hanc dignis laudibus commendari. Ait namque sermo diuinus, quod ascendit Dauid, & omnis populus cum eo, vt ferrent arcam Dei, super quam inuocatum est nomen Dei exercituum, sedentis super cherubim. Ac deinde. Dauid, inquit, & omnis populus ludebant, coram Domino, omni virtute, in canticis, citharis, & psalteriis, timpanis, & sistris, cum cimbalis, & tubis. Rogo si in figura officiosissime, tanta confertur gloria, quid hodie ante Beatam Virginem, quando illa in cælestem Ierusalem euchitur? quantus exercitus sanctorum præcucurrit cum hymnis, & canticis? Quæ nimirum virgo, ac si arca hodie de captiuitate huius seculi, angelorum exequiis glorificata, reducitur non in Ierusalem, quam decoxit, vel euastauit Chaldæorum exercitus, sed in illam veram, & cælestem, quam fundauit Deus, & non homo, collocatur. ARNOLDVS Abbas *Arnoldus.* tract. de laudibus virginis. Postea vero Ioanne in eius obsequiis perseuerante, non diu vocatione delata migrauit ad filium, & angelis occurrentibus, & deportantibus inclytam illam animam, assumpta est in cælum.

Damasc. 15 BENEDICO. DAMASCENVS oratione de Assumptione Deiparæ. Et ea quidem dixit, vt est consentaneum, in manus tuas fili commendo spiritum meũ: suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam omni reprehensione; meum corpus tibi trado, & non terræ: custodi saluum quod tibi placuit habitare, & cum natus esses conseruasti virginem: tu me ad te transfer, vt vbi tu es fœtus meorum viscerum, ego quoque tecum degã: ad te enim propero, qui ad me venisti citra vllam spacii distantiam: tu meis filiis maxime desiderabilibus, quos tibi placuit vocare fratres, esto mei discessus solatium; benedictioni eorum adiice benedictionem per mearum manuũ extensionem. Deinde, cum manus sustulisset, vt erat consentaneum, eis benedixit, qui erant congregati.

Apostolis benedicit.

Simeon Metaph. SIMEON Metaphrastes oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Accersit autem Petrum, deinde alios, & cum lucernas ipsi accendissent, illa in spiritu exultãs, diductis labris, benedico tibi, inquit, datori omnis benedictionis, causæ luminis: qui meum ventrem inhabitasti: benedico tuæ charitati, qua nos dilexisti Domine; & magnifico verba tua, quæ nobis data sunt in veritate. Et credo mihi affutura quæ dixisti. Cum sic dixisset, se reclinat in lecto, & manibus in altum sublatis, cum nulli reprehensioni affine suum corpus, in honestam, & decoram figuram composuisset, & os venerandum aperuisset (etenim videbat iam Dominum ad ipsam veniẽtem, cum multitudine angelorum) tota impletur gaudio, & voluptate, & cum rursus dixisset; fiat mihi Domine secundum verbum tuum, emittit tamquam in somno spiritum.

Nicephor. NICEPHORVS lib. 2. histor. c. 21. Deinde Petrum ad se venire iubet, mox etiam reliquos Apostolos vocat, ardentes habẽtes faces; & mirifice exultans, labiaque aperiens, gratias filio agit: atque in lectum rursus reposita, manus reuerenter, & grauiter, ita vt illam decebat, eleuat & venerandum prorsus, soleque ipso purius corpus, pulchre componens, atque confirmans (videbat enim illud, angelorum gloria circũcirca, tamquam satellitio stipatum) cum voluptate,

& mi-

& miraculo, fiat mihi rursus, secundum verbum tuum, inquit.

16 OBDORMIENS. ILLEFONSVS serm. 9. de Assumptione. O quam venerandum, & præ ceteris honorandum diem, in quo Deigenitrix virgo Maria de mundo migrauit ad Christum, quæ dolori non subiacuit post partum, non labori post transitum. IOANNES Damascenus oratione de virginis dormitione. Cum hæc autem fecisset, & audisset à filio. Veni benedicta mater mea in requiem meã: audi surge propinqua mea, pulchra inter mulieres, hæc inquam cum audisset sancta, deponit spiritum in manibus filii. Et superius. Priusquam doloré sensisset peperit, absque dolore fuit eius quoque è vita excessus; mors peccatorum est mala, in qua autem mortis stimulus, nempe peccatum, est morte affectus, quid eam dicemus aliud quam vitæ principium perennis, & melioris. SIMEON Metaphr. oratione dicta. Et cum rursus dixisset, fiat mihi Domine secundum verbum tuum, emisit tamquam in somno spiritum, & eum in amicis deponit filii manibus. NICEPHORVS lib. 2. historiæ c. 21. Fiat mihi rursus secundum verbum tuum, inquit: atq; ita, in charis illius manibus, perinde atque obdormiens, beatam deponit animam, & lib. 1. c. 35. quam quidem multorum opinionem, tamquam importunam, minusq; verã, ipse corrigens, non dixi ei, inquit Iesus, quod moriturus non sit: moriturus est enim, eo quo Deigenitrix modo. AVCTOR. Beatissimam virginẽ non morbi alicuius vi, sed suaui quodam somno, ex hac vita migrasse, præter id asserentium auctoritatem; & illis verbis indicantium, quibus dicunt, Mariam se in lecto reposuisse, quasi sanã, & incolumem, satis ea suadet ratio. Quod iure optimo filium matri id concessisse credẽdum est, quod seruis aliis concessisse refertur. Colligitur autẽ ex Deuter. 32. & 34. iussu Domini, Mosem in monte, in terra Moab, decessisse, absque morbo vllo: & Ioannem se tumulo inclusisse referunt Ambrosius sermone de sanctis martyribus, Gregorius Turonensis libro de gloria plurimorum martyrũ, cap.

Obitus Mariæ absque dolore.
Illefonsus.
Damasce.
Simeon Metaph.
Nicephor.
Auctor.
Ambros.
Greg. Turo.

Isidorus. cap.30. Isidorus lib. de patribus noui testamenti, Simeon
Simeon. Metaphrastres in vita eius, Nicephorus li.1.c.35. & lib. 2.
Niceph. c.42. in eoq; sanum obdormisse. Hilarium etiam Pictaniensem Episcopum filiam Abram, ad sponsum Christū, quem illa summo opere expetebat, fusis precibus solis, remisisse; itemq; vxorem, in eius historia legimus; quid ergo mirum si id de matre virgine referamus?

Greg. Turo. 17 NOCTE. GREGORIVS Turonensis lib. 1. de gloria martyrum c.4. Congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum eius, cumque audissent, quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul; & ecce Dominus Iesu aduenit cū angelis suis: & accipiens animam eius, tradidit Michaeli angelo; & recessit, diluculo autem leuauerunt Apostoli cum lectulo
Illefonsus. corpus eius. ILLEFONSVS serm. 4. de virginis Assumptione. O Beatissima, & gloriosa celebratio noctis huius, in qua virgo venerabilis Maria cum laudibus cælestis militiæ, poli aulam cum ineffabili triumpho excipitur, ex cuius carne Dominus Iesus verbum caro efficitur, quam ad immortalitatis gloriam trasmutatam, ac super angelos eleuatam, nullus fidelium ambigit.

Greg. Turo. 18 QVINTVM DECIMVM. GREGORIVS Turo. lib. 1. de gloria martyrum c.9. Huius festiuitas sacra me-
Beda. diante mense Augusto celebratur. BEDA in Martyrologio. Decimo octauo Calendas Septembris, Assumptio
Ado. sanctę Deigenitricis, & perpetuę virginis Mariæ. ADO Treuerensis Episcopus in martyrologio. Decimo octauo Calendas Septēbris, dormitio sanctæ Deigenitricis Ma-
Calendariū Græcorum. riæ. CALENDARIVM Græcorū. Die decimoquinto Augusti dormitio Dn̄ę nr̄ę Deigenitricis, & semper virgi
Calendariū Syrum. nis Mariæ. CALENDARIVM Syrorū. Decimoquinto Augusti festū genitricis Dei. CALENDARIVM Ro-
Calē. Rom. manū. Decimooctauo Calēdas Septēbris. Assumptio san-
Auctor. ctissimæ Deigenitricis virginis Mariæ. AVCTOR. Vniuersa ecclesia, in hoc consentit, Deigenitricē decimo quinto die Augusti, qui est decimus octauus ante Calendas Septembris obdormisse. Verum Epiphanius dū agit

contra

contra Collyridianos, hæresi. 79. negãtes Mariam obiisse, quod putarent fuisse naturæ diuinæ, sicq; mortis expertẽ; & cõtra Antidicomarianitas, hæresi. 78. Mariæ virginitatẽ impugnantes, de eius morte dubitat: & post aliqua, sic ait. Non autem omnino definio hoc, & non dico quod immortalis mansit, neq; affirmo an mortua sit: fortasse dici posset, sicut Enoch, & Elias trãslati sunt, sic ipsam absque obitu à terrenis ad cælestia assumptã, cũ & conueniat illi visio mulieris, cui datæ sunt alæ, vt fugeret in desertũ: in qua tamen opinione fuit Timotheus presbyter Ierosolymitanus, oratione de Simeone. Sed Epiphanius id quidẽ nõ reperiri in scripturis tantũ dixit, ex quibus siquid colligi posset id esset, quod legitur in Apocalypsi. Alii etiã, quod referũt Ambros. & Beda, Luc. 2. & Isidor. li. de vita & obitu sanctoru c. 68. Simeonis illo dicto persuasi, tuã ipsius animam pertrãsibit glaudius, putauerunt martyrio peremptam decessisse. Verum certa est in ecclesia, communisque sententia obiisse quidem, vt hominem, nõ tamen gladio interemptam, sed eo modo, quo diximus. *Ambros.* *Beda.* *Isidorus.*

19 SEPTVAGESIMVM SECVNDVM. SIMEON Metaph. orat. de vita, & dormit. Deiparæ. Cũ ætate prouecta ad multã senectutẽ peruenisset, per angelum se migraturam à filio edocta est. GEORGIVS Cedrenus in cõpendio historiæ, in Tiberio. Tradit sanctã animã Dño, ac filio, & Deo suo, annos nata septuaginta duos. Quidã tradũt quinquaginta octo. Vixit ergo viginti quatuor annos post Christi ad cælum ascensum. MICHAEL Glycas, lib. 3. Annal. At expers illa macula Dñi nostri Iesu Christi mater prouectã ętatem attigisse perhibetur, vt diuinus ille vir Andreas Cretensis auctor est. EPIPHANIVS presbyter Constantinopolitanus in vita virginis. AEtas virginis ad. 72. annos processit, auctore etiam Andrea Cretensi patriarcha Ierosolymitano, qui ad summam ætatem, ait, venisse virginem; at summa ætas non est ætas quinquaginta nouem annorum. INNOMINATVS, apud Anselmum, opusculo de forma, & moribus Beatæ Mariæ. Maria cum assumpta erat *Simeon Metaph.* *Cedren.* *Michael Glycas.* *Epiphan.* *Innominatus.*

in

in cælum fuit.72.annorum, qui sic computati sunt: septẽ educata cum parentibus, & septem annos cum dimidio, ministrabat in templo Domini, in domo Ioseph sex menses, in quartodecimo anno annunciatur ei gaudium totius seculi, & in.15.anno peperit Christum, & cum eo.33. annos in præsenti vita: post ascensionem Domini, fuit ipsa in domo Ioannis euangelistæ.24. annos, qui simul computati sunt.72. *AVCTOR.* Magna est, vetusque de virginis ætate cõtẽtio. Nam in primis Illefonsus sermo. 6.de Assumptione Mariæ, nec diu ait hanc sanctam sacratissimam virginem post Domini ascensionem in terris potuisse remanere, quam desiderabant angeli, cælum etiã ipsum de eius ascensione quærebatur. Anselmus etiam ad Galat.1.in ea verba, (alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini) affirmat iam tunc assumptam fuisse beatam virginem, siquidem tunc Ierosolymis non erat Ioannes: erat autem ille annus tertius à Pauli conuersione, cum dicat ipse ibidem, deinde post annos tres, veni Ierosolymam videre Petrum; eratq; hic annus.37. Christi, & ab eius morte quartus; & virginis.51. Hippolytus Thebanus apud Epiphanium presbyterum Constantinopolitanum, sermo. græco de Deipara; post ascensum Domini vixisse ait nouem annos, quos sic computat. Tertio anno inquit, oblata est in templo, in quo annis vndecim, & sex mensibus fuit; sex item mensibus in domo Ioseph, decimoquinto anno peperit, annis.33. vixit cum filio; qui sunt omnes.48. post ascensum Domini vixit annis nouem, auctore vt dixi Hippolyto, qui sunt omnes.57. Euodius apud Nicephorum lib.2. hist. ecclesiast. cap.3. dat virgini post Domini ascensum annos vndecim, hac ratione; nam trimula cum esset in templo est præsentata, & ibi in sanctis sanctorum traduxit annos vndecim, deinde vero sacerdotum manibus Iosepho ad custodiendum est tradita; apud quem cum menses peregisset quatuor, ab angelo Gabriele lætum illud accepit nuncium: peperit autem mundi ipsius lucem annos agens quindecim, vigesimo quinto die mẽsis Decembris; deinceps

Auctor. *Anselm.* *Hippoly.* *Euodius.*

inceps annos peregit triginta tres, quos etiam filius eius in terris exegit; post crucis autẽ supplicium in domo Ioã-nis, annos impleuit vndecim; vt ætatis eius anni simul collecti sint quinquaginta & nouem. Nicephorus lib. 2. histo. c. 21. cum Claudius, ait, quintum imperaret annum, & immaculatam Dei verbi matrem mortẽ obire oporteret sexagesimum illa agens annum, nuncium à filio per angelũ de migratione, & aduentu ad se eius, accepit. Sic ergo si quintum annum Claudii respiciamus, anno Christi. 46. à morte eius. 12. & ætatis eius. 60. virgo obiit. Eusebius in chronico, anno Christi. 48. Olymp. 206. anno. 2. sic ait. Maria virgo, Dei mater ad filium in cælum assumitur, vt quidam sibi fuisse reuelatum scribunt. Sic obiit. 14. anno post Christi ascensum, & vitæ virginis. 62. Epiphanius vero, & Cedrenus, & Innominatus, initio relati cum 72. annos Deiparæ tribuant, anno Christi. 58. Neronis 3. & 24. post Christi ascensum obiisse dicturi sunt necessario. Differentia tantum est, quod qui dicunt Christum ascendisse. 33. anno vitæ suæ incepto à. 25. Decembris, quo impleuit. 32. annos, vsque ad Maium, quo ascendit, dicturi sunt decessisse Deiparam mense Augusto, completo iam. 25. anno à præcedente Maio, ex quo Christus ascendit. At qui dicunt Christum crucifixum anno. 34. incepto, & ascendisse Maio eiusdem anni, dicturi sunt etiam decessisse Mariam anno. 24. completo ab ascensu Christi, completus enim erat Maio precedente mẽsem Augustum, quo virgo ad cælos euolauit. 24. annus Christi, qui erat etiam. 24. Pontificatus Petri, à morte, vel ab ascensu Christi. In opusculo vero illo ad finem operũ Anselmi adfixo non recte colligitur, vixisse. 82. annos. Nã ex singulorum annorum computatione, non. 82. sed. 72. colliguntur.

Nicephor.

Euseb.

Epiphan. Cedrenus. Innominatus.

Habemus igitur ex his sex opinandi modos de ætate virginis. Nam primo, iuxta Anselmum, non peruenit ad 54. Secundo, ex Hippolyto vixit. 57. Tertio, ex Euodio. 59. Quarto, Nicephorus. 60. illi tribuit, iusta. 5. annum imperii Claudii. Quinto, Eusebius dat. 62. Sexto,

Epiphanius, & Cedrenus tribuunt. 72.

Hoc vt explicemus magis, sciendum est, Paulum ter Ierosolymam ascendisse à tempore suæ conuersionis. Est conuersus die. 25. Ianuarii anni Christi. 35. per mensem vnum inchoati; deinde post annos tres venit Ierosolymam ad Gal. 1. 18. & post annos quatuordecim iterum ascendit Ierosolymam ad Galat. 2. 1. ad agendum de obseruatione rituum Iudæorum in concilio: tandem anno secundo Neronis, vigesimosecundo à conuersione, & 57. Christi venit Ierosolymam ad solennitatem Pẽtecostes. Act. 20. anno, inquam secundo Neronis, auctore Eusebio in chronico, Hieronymo de scriptoribus Eccles. & Cassiodoro in chronico, nam post septem ab aduentu dies coniicitur in vincula, Actorum. 21. & duodecimo die, ex quo ascendit Ierosolymam in cæsarea erat coram Felice Præside, Actor. 23. deinde coram Festo, & Rege Aggrippa; & quia Cæsarem apellauit, mittitur Romam, Actuum. 27. 1. cæpit autem nauigare æstiuo tempore, eo ipso anno. 2. Neronis. Septem annis ante hunc aduẽtum Pauli Ierosolymam, qui contigit secundo Neronis anno, conuertit Athenis Dionysium Areopagitam, anno Claudii. 10. vt assignat Eusebius in chronico, & colligitur ex Luca: nam Athenis venit Corinthum, vbi mansit Paulus annum, & sex menses Actuum. 18. 11. inde quibusdam regionibus pertransitis, ingressus Ephesum, mãsit ibi tres annos, Actu. 20. 31. inde factis quibusdam excursionibus, optans ire Ierosolymam, nam. 1. Corint. 16. dixit, permanebo autem Ephesi vsq; ad Pentecostẽ, rediit Corinthũ, vnde scripsit ad Romanos se profecturum Ierosolymam, vt inde Romam iret. Et post dies azimorum nauigans opportune venit ad celebrandum diem Pentecostes Ierosolymis, vt desiderabat, Actuum. 20. Ex qua computatione colligi potest septimo anno ante hunc Pauli aduentum; conuersum Athenis Dionysium, qui erat Christi. 51. & virginis. 65. Cum ergo iam ex superioribus habeamus, Dionysium cum Apostolis adfuisse obitui virginis; & id non potuerit contingere antequam conuer-

teretur à Paulo; sequitur quinque priores opiniones, quarum extrema asserit. 48. anno Christi obiisse virginem, & sexagesimo secundo vitæ suæ, non posse vlla ratione defendi. Quinto ergo, aut sexto anno postquam conuersus est, & à Ierotheo instructus, & à Paulo Episcopus Athenis ordinatus, ne dicamus Neophytum adfuisse, Ierosolymam ascẽdit, & vidit Deiparam emigrantem. Sic ergo si. 72. annos virgini tribuimus, obiit anno. 58. Christi, & tertio Neronis, & vigesimo quarto, à trigesimoquarto, quo crucifixus est Christus, & ascendit in cælum: & cum virgo obierit. 15. die Augusti, non potuit adesse eius migrationi Paulus. Obiit ergo Deipara virgo. 72. anno pene confecto; quia deerant dies. 23. qui medii sunt à die Augusti. 15. vsque ad octauum Septembris, quo nata est, vt integri. 72. anni complerentur.

20 A CHRISTO. SOPHRONIVS de Assumptione Deiparæ. Creditur quod Saluator omniũ ipse, quantum datur intelligi, per se totus festiuus occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit. Et cetera vt supra n. 13. & 14. ILLEFONSVS serm. 9. de Assumptione. O Beata Maria, gaudens ingredere paradysum: quæ de terris ad cælestem vitam lata es ab angelis, & inter choros virginum, sicut sol fulgens, suscepisti principatum super archangelos in cælo. AVCTOR. Supra n. 13. & 14. habes ex Sophronio rationem optimã, quare non sit dubitandum, virgini migranti obuiam filium prodiisse cum vniuersa curia cælesti, atque in cælum reportasse. Sophron. Illefonsus. Auctor.

21 CHOROS. SOPHRONIVS sermone de Assumptione. Hæc est dies omni seculo veneranda, in qua meruit exaltari super choros angelorum, & peruenire vltra, quam nostræ humanitatis est natura, vbi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur: cum eleuatur in dexteram patris, vbi Christus pro nobis introiit Pontifex factus in æternum ad cæli palatium. Hæc est, inquam dies, in qua vsq; ad throni celsitudinem intemerata mater, & virgo processit, atq; in regni Sophron.

 solio

ſolio ſublimata poſt Chriſtum, glorioſa reſedit. Sic itaq; vbiq; confidentur ſancta Dei canit eccleſia, quod de nullo aliorum ſanctorum fas eſt credere, vt vltra angelorum, vel archangelorum merita tranſcenderit. Hoc quippe priuilegium, non naturæ, ſed gratiæ eſt beatę virginis. AVGVSTINVS ſerm. 35. de ſanctis. Tu in cæleſtibus regnis pręlata es cunctis virginum choris: tu agnum quocumq; perrexerit ſequeris; tu virgineos choros, & ab incẽtiuæ carnis illecebris alienos, per albentia lilia, roſaſque vernantes, ad fontes perennis vitæ potandos inuitas: tu in illa beatorum feliciſsima regia, primi ordinis dignitatem adepta, plantis roſcidis oberrans, inter paradyſi amęnitatem, gramineosq; crocos, tenero poplite pergis, feliciique palma violas immarceſsibiles carpis: tu concinis ſine fine choris coniuncta ſummis, angelis, archangeliſque ſociata, indefeſſa voce, ſanctus, clamare non ceſſas; tu in cubiculo regis beatitudine gemmis, ac margaritis ornata aſsiſtis: tibi thronus regius ab angelis collocatur in aula æterni regis; teque ipſe rex regum, vt matrem veram, & decoram ſponſam, præ omnibus diligens amoris amplexu ſibi aſſociat. Nec mirum ſi dignetur tibi aggaudere Deus regnans, quem tu paruulum ex te hominem natum, toties oſculata es in terris. Has ergo tuas felicitates poſsidens, conuertere ad noſtrarum miſeriarum ſalutem. ILLEFONSVS ſermone primo de Aſſumptione Mariæ. Quam beatiſsima, & laudabilis diei huius celebratio recte colitur, in qua virgo mirabilis cum laudibus cæleſtis militiæ intra polorum aulam vna cum ingenti triumpho excipitur: ex cuius nimirum carne Dominus Ieſus verbum caro efficitur; qui cunctis in ſe credentibus ianuas paradyſi aperire dignatus eſt; qui matrem ſuam in throno regni collocauit, & in immortalitatis gloriam eam tranſpoſuit, ac ſuper choros angelorum, ſuperſolenniter erexit. Et infra. Sine fine cum angelis hodie coronatur in regno, quod olim ei præparatum eſt vna cum ſanctis, à conſtitutione mũdi, hodie collocatur in throno à dextris Dei, ſicut canitur in pſalmis.

Auguſt.

Illefonſ.

pſalmis. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et ſermo. 2. Et ſi impertit præmia iuſtus iudex Chriſtus Dominis, ſecundum apoſtolum, vnicuiq; iuxta opera ſua, huic tamen ſacratiſsimæ virgini genitrici ſuæ, ſicut imcõparabile eſt quod geſsit, & ineffabile donum, quod percepit, ita & ineſtimabile, atq; incomprehenſibile præmium, & gloria, non dico inter ceteras ſacras virgines, verum etiam vltra omnes ſanctos, quam promeruit. Peruenit namq; ad cæli palatium beata, & glorioſa, vbi Chriſtus ſponſus eccleſiæ, intra thalamum collocauit eam in dextera maieſtatis. Ibi ſiquidem eam aſſumpſit præcellentiſsimam inter primos, vbi iuſta Dauid vocem, ſtat regina in dextris Dei in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et ſermone. 3. Veneranda eſt hæc ſolennitas, cum omni deuotionis obſequio, & venerandum quod canitur etiam, ſuper choros exaltata angelorum. Et ſerm. 6. Hac die meruit exaltari ſuper choros angelorum, quoniam, vt credimus, in dextera Patris ſubleuata, in cælis, regni ſolio, poſt Chriſtum glorioſa reſedit, quæ merito Domini templum, Spiritus ſancti ſacrarium, & appellatur, & creditur. DAMASCENVS oratione de dormitione Deiparę. Et animam quidem per angelos in ſancta ſanctorum, quæ ſunt exemplaria vera, & cæleſtia, introducit, ſub ipſas alas quadruplicis formę animalium, & ſuo ſtitit throno in interiori tabernaculo, in quod præcurſor ipſe Chriſtus ingreſſus eſt corporaliter. ANSELMVS lib. de excellentia virginis cap. 8. Stipatus mille millibus, imo innumerabilibus angelorum agminibus, Deus ipſe, piiſsimæ matri ſuæ de hoc mundo migrãti occurrit; eamq; ſuper omnes cælos exaltatam cunctæ ſecum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ collocauit: & ipſe Ieſus, & Dominus omnium filius benedictus huius caſtiſsimæ virginis, & Dominæ rerum, ei ſicut ſuæ vnicæ matri totus feſtiuus occurrere volebat; & aliquis de familia ſua ſe tanti gaudii immenſitati ſubtraheret? BERNARDVS ſerm. 1. de Aſſumptione virginis. Quis cogitare ſufficiat quá glorioſa hodie mũdi

Dam. ſe.

Anſelm.

Bernard.

regina processerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cælestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam diuinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit filium? quantũ enim gratiæ in terris adepta est prę ceteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ singularis. Quod si oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligẽtibus se, quod præparauit gignenti se, & quod omnibus est certum, diligenti præ omnibus, quis loquatur?

SACRO-

SACROSANCTI CORporis Mariæ funus, & eius ad cælos translatio. Cap. XXI.

VBI spiritum Deo tradidit sanctissima Deipara, suaui per aëra 1 angelorum psalmodia resonãte, partim animam in cęlum comitãtium, partim corpus circumdantium, eiusque exequias mirifice celebrantium, Apostoli, & ceteri, qui aderãt viri Apostolici, stupore correpti, summa cum reuerentia, & lacrimis exultationis, diuinissimum illud tabernaculum circumdantes, 2 hymnisq; ad hoc compositis prosequentes, 3 amplectebantur, osculabantur, omnibus denique membris os admouebant, ex contactu sanctificationem quærentes, & vtilitatem: nec vana erat spes, siquidem ex frequenti multitudine, qui quouis morbo laborabant, accedentes sani redibant: videbant cæci: surdi audiebant: dęmones fugabantur: postremo omne morborum genus facile dissoluebatur. Lauatur de more corpus, quod ipsam purificabat aquam, ac mũdo inuolutum syndone rursus in lecto reponitur. Accenduntur lampades,

funduntur vnguenta ; quæ exhalante è corpore odore suauiora redduntur, flores sparguntur. Angelis suis hymnis prosequētibus corpus, Apostoli, & à Deo inspirati pontifices, Deo grata cantica concinebant. 4 Diluculo igitur 5 arca Domini sublata è monte Sion, vecta humeris Apostolorum, & manibus, per mediam ducitur ciuitatem, in sacratissimum prædium Gethsemanes, rege regum id tegente suæ diuiniaatis splendore, angelis præeuntibus, stipantibus, & etiam consequentibus, totaque Ecclesię congregatione pręcurrente, & sacras voces emittēte. Inter hęc quiddā 6 graue accidit ex liuore profectū Iudęorum. Nam in montis descensu insanior quidam de genere sacerdotū, ausu insaniori in feretrū irruit, & cū ambabus manibus furiose grabatum apprehendisset, in terram illum deiicere nitebatur. Sed statim secuta vindicta diuinitus est, nam abscisę manus è feretro pendent: vnde protinus pœnitentia ductus veniam precatur cum lacrimis. Petrus sisti feretrum iubet, & cum mutilata brachia manibus ex eo pendentibus adiungerentur, confestim ex māco manibus sanus, & incolumis euasit. Hinc 7 progressi ad sacratissimum perueniunt

Geth-

Gethſemane, vbi rurſus amplexus, rurſus oſcula, rurſus encomia, hymni ſacri, genuum inflexiones, & lacrimæ. Atque ita ſanctiſsimum corpus præclariſsimo imponitur 8 monumento. Ibi cum diuini Apoſtoli, ceterique inſignes pietate viri, 9 per tres dies, honoris gratia, perſtitiſſent, continua cęleſtium hymnodia mirifice recreati ſunt, donec tertio poſt die, cum ex eis vnus tardius veniſſet ad exequias, diuino ita prouidente conſilio, vt nota fieret corporis translatio admirabilis; quo dolor ei adimeretur propter abſentiã, & eius deſiderio ſatisfieret, iuſſum eſt ſepulcrũ aperiri: eo aperto, nequaquam theſaurus in eo recõditus inuẽtus eſt: ſepulcralia ſola linteamina recte cõpoſita repererunt. Quæ amplexi, & exoſculati, inexplicabili odore, & gratia repleti egredientes, ſepulcrũ quidẽ ad priſtinum conformant modum: id tantũ pro certo habentes, per Angelorũ manus beatiſſima anima viuificatum ad cæleſtia tabernacula à filio fuiſſe corpus 10 translatum, vbi ſuper diuinorum Spirituum choros æterna potiretur felicitate. Ac ſic quidem ſepulcrum diuina gratia plenum, perſequẽtes manſit ętates, vacuum tamen corpore in eo repoſito.

Testimonia.

Angelorũ concentus Virginis funus celebrãtium. 1 ANGELORVM. SOPHRONIVS serm. de Assumptio. Ad cuius profecto exequias, quantũ fas est credere, famulabantur Angeli, & vniuersæ cælorum gratulabantur curiæ. IVVENALIS Patriarcha Ierosolymit. apud *Sophronius Iuuenalis.* Euthymiacam historiam. lib. 3. cap. 40. Et cum apud eam essent Apostoli, eis visio extitit Angelica, & audita fuit diuina hymnodia præstantiorum potestatum, & sic cum diuina gloria, & supercælesti, in manus Dei sanctam tradi *Illefonsus.* dit animam ratione quadã ineffabili. ILLEFONSVS serm. 3. de Assumptione. Quod si ad partum Virginis talia Angeli cantarunt, credimus, quod hodie dignas concelebrarunt exequias, & suscipiunt cum gloria matrem sui *Damascen.* creatoris gaudentes. IOANNES Damascenus, oratione de dormitione Deiparæ. Quid deinde fit? elementorum, vt mihi quidem videtur, factus est motus, & alteratio, vocesque, & strepitus: laudesq; dignas canebant Angeli præcurrentes, deducentes, consequentes: partim quidẽ sanctissimam, & nulli culpæ affinem animã comitantes, & simul ascendentes, donec regali throno stitissent reginã: partim autem diuinum, & sacrum corpus circũdantes, & canticis, quæ Angelis digna erant, Dei matri celebrantes. *Græci.* GRAECI in Cantico. Quin & supernæ sacratissimæ, ac longeuæ Angelorum virtutes, rei miraculo, velut attonitæ, atque inter sese mutuo conferentes, aiebant, attollite portas vestras, & eam suscipite, quæ cæli, & terræ opificem peperit. Præterea hymnis, ac laudibus venerandũ illud, & sacrum corpus, quod inaspectabilem Deum, ac dominum gestauit, digne vos, & officiose concelebrate.

Hymnis prosequitur obitum Virginis Apostoli. 2 HIMNISQVE. DIONYSIVS Areopagita lib. de diuinis nominibus cap. 3. Nam etiam apud ipsos à Deo afflatos sacrorum antistites, quando nos quoque, sicut ipse nosti, & multi ex sanctis nostris fratribus ad spectaculum corporis, quod vitæ principium dedit, & Deum susce-

suscepit, conuenimus. Aderat autem, & domini frater Iacobus, & Petrus suprema, & antiquissima Theologorum summitas. Et postquam eam vidissemus, visum fuit, vt omnes Sacerdotes hymnos canerent, & laudaret, pro vt poterat, vnusquisque, infinitam bonitatem diuinarum virium. Post Theologos ille, vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorum, vt qui plane excederet, & à se ipso abduceretur: & in ea, quam hymnis celebrabat afficeretur societate, & communione, & ab omnibus iudicaretur esse à Deo afflatus, & Diuinus scriptor hymnorum. ANDREAS Cretensis, Archiepiscopus Ierosolymitanus, oratione 2. de dormitione Deiparæ. Iam ergo illa innumerabilis eorum, qui Deum honorant classis, frequens erat congregata, & vniuersus supermundanarum potestatum, qui intelligentia percipitur, pulchre instructus cætus à nullo conspectus, desuper aduolans ad spectaculũ confluebat admirabile. Aderant quoq; sanctorum, quas Deus, vt arbitror, inspirauerat, animæ, choros ducentes circa lectum, quas liber canticorum vocat adolescentulas ex mystica contemplatione. Oportebat enim cum regina naturæ, vna adesse diuinas eorum, qui vixerant, animas in exitu præcedentes: & eam deducere, & ea canere cantica, quæ cani solent exeuntibus. Erat ergo in medio propositum illud tricubitale, & luminosum corpus Deiparæ, quod Dei verbi totam capiebat plenitudinem. Quod quidem dum videbatur in lecto, vnguenti sanctificationis suaui odore perfundebat totam creatam naturam. Quæ mens, & quænam lingua eorum, quæ illic fuere conspecta, rationes inuestigauerit? Hinc certe factum est, vt diuinorum sapientum præcipui à Diuino Spiritu arrepti, ex insigni lætitia diuini tunc oblectantis splendoris, id quod supererat illuminationis in extasim traducentes, illos hymnos diuinitus inspiratos, illam, inquam, quæ est in hymnis tropologiam, vt poterat vnusquisque, attingerent, alius aliũ excipiens. Erant autem ea, non qualia ipsi inducimur, vt mente agitemus, aut vt quis forte descripserit, sed vt eos ad

Andreas.

dicendum informabat spiritus, & audire iubebat: ita & ipse hymnus, & quæ in hymnis celebrabantur ab his, qui hymnos dicebant, dicebantur, & exaudiebantur. Quæ ab inferiore quidem, & nostra harmonia, & consonantia erãt infinito interuallo seiuncta: parum autem, aut nihil aberant à sono Angelorum, qui in cęlis festũ celebrant. Hymnis autem, & quæ hymno celebrabantur, etiam si nostram effugiant comprehensionem, quantum tamen possumus assequi, vt rem vtcumque exprimam, sint eiusmodi. Hic est finis testamentorum, quæ nobis fecit Deus: hæc est declaratio occultorum, & profundorum diuinæ incomprehensibilitatis: hic est scopus, qui excogitatus fuit ante secula: hæc est summa diuinorum oraculorum: de te resonarunt omnes spiritus interpretes. Moyses primum cum vidisset rubum te prædixit: de te Dei pater Dauid: te Canticorum sanctus liber præscribẽs mysticè, præsignificauit: te præuidens diuino Spiritu afflatus exclamauit Isaias, Ecce Virgo in vtero concipiet: de te magnus prædixit Ezechiel; ecce porta in Oriente: te quoque Prophetans vir ille desideriotum magnũ vocauit montem. ILLEFONSVS serm. 1. de Assumptione. Ante cuius thorũ quæso rursus, ad exequias, non threnos doloris, non lamenta fletus, sed carmina Deo dulcia modulatã vocibus: quoniam hodie iam læta peruenit ad regis thalamũ. IOANNES Damascenus, oratione de dormitione Deiparæ. Aderant ergo hi, qui verbum & ipsi viderant, & ei seruierant, eius quoque matri, vt debebant ministraturi: simul autem aderant eorum quoq; asseclæ, & successores. Aderat vero eorum quoque, qui erant in Ierusalem, quicumque erat cætus à Deo electus. Oportebat autem iustos quoque, & prophetas, qui olim fuere, vna sequi, futuros huius sacri conuentus participes; qui prius annunciarunt fore, vt ex ea propter nos carne suscepta, benignus Deus verbum nasceretur. Sed neque cætus Angelorum aberat. Ei omnes aderant resplendẽte face spiritus, & præclaris illustrante splẽdoribus eos, qui reuerentia, & metu, & immobili desiderio sinceros mentis oculos in eam defigebant. Hic fuerũt verba

Hymnorũ forma.

Maria summa diuinorum oraculorum.

Illefonsus.

Damascen.

verba inspirata, & dicta diuinitus. Hic hymni diuini, qui dicuntur in discessu. Oportebat enim propterea quoque laudare Dei plusquam infinitam bonitatem, & quę est omni magnitudine superior, magnitudinem, & infinitam potentiam, & quæ omnem sublimitatem, & altitudinē exuperat eius in nos moderationem, plusquam infinitas diuitias eius, quæ comprehendi non potest benignitatis: inexplebilem abyssum charitatis. Et infra. Sed cum ad excessum è vita festinantem, & illum desiderātem vidissent Dei matrem, conuersi sunt ad hymnos, qui dicuntur in excessu: diuina impleti gratia, & os commendantes spiritui, & à carne excedentes, & vna cum emigrante Dei matre emigrare cupientes, & quo ad eius fieri poterat, vehementi animi studio præmigrantes. SIMEON Metaphrast. oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Cum autem in orbem sanctum Virginis corpus circumdedissent, Apostolorum chorus, & quicquid erat electum ex viris, & mulieribus: & hymnis honorabant, qui illud deducebant, & omnia membra reuerenter, & amanter amplectebantur. *AVCTOR.* Si materia hymnorum, quibus olim fideles eos, qui in Christo dormierunt prosequebantur, erat eos beatos dicere: vt ait diuinus Dionysius lib. de Ecclesiast. hierar. cap. 11. quod ad uictoriæ finem peroptato peruenissent: & victoriæ auctori, gratias cum cantu agere, & præterea similem sibi requiem optare: quam amplus Apostolis ad concentus, & hymnos patuit campus, quibus Deiparæ dormitionem prosequerentur iuxta consuetudinem?

Simeon Metaphrast.

Auctor.

Hymnorum in obitu fidelium materia.

Dionysius.

3 AMPLECTEBANTVR. IOANNES Damascenus, oratione de dormitione Deiparæ. Quid vero hi, qui aderant sanctisimo, & sacratisimo corpori? metu, & desiderio, & lacrimis exultationis diuinisimum, & sanctisimum circumsistentes tabernaculum, amplectebātur, osculabantur, omnibus membris os admouebant, ex contactu repleti sanctificatione, & benedictione. Tunc autem morbi quidem fugiebant, fugabantur turbæ dæmonum, omni ex parte compulsæ ad sola loca subterranea.

Amplexu osculo, & multis aliis corpus virginis prosequebantur.

Damascen.

Beneficia ex contactu corporis Deiparæ.

nea. Aer, æter, & cælum ascensu spiritus sanctificabatur: terra autem depositione corporis. Sed nec aquæ natura erat expers benedictionis: lauatur enim aqua pura, quæ non eam mundabat, imo vero ipsa sanctificabatur. Hic surdis quidem perficiebatur auditus: claudis autem integer reddebatur ingressus, firmæque, & solidæ fiebant bases pedum: cæcis restituebatur visus: accedentibus peccatoribus disrumpebantur Chirographa. Deinde quid? mundum immundis inuoluitur syndonibus, & in lecto rursus Regina ponitur. Deinde lampades, & vnguenta, & hymni, quibus eam prosequebantur, Angelis quidem suis linguis canentibus hymnum eis conuenientissimum, Apostolis autem, & à Deo inspiratis patribus Dei gratia canentibus cantica, & quibus applaudebat spiritus. SIMEON Metaphrastes oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Cum autem in orbem sanctum Virginis corpus circumdedissent, Apostolorum chorus, & quicquid erat electum ex viris, & mulieribus; & hymnis honorabant, qui illud deducebant, & omnia membra reuerenter quidem, & amanter amplectebantur, non solum suum ostendentes desiderium, sed vel extactu credentes percipere vtilitatem. Fidem autem consecuta quoque est operum demonstratio, cæcis oculi illuminabantur: surdis aures aperiebantur; claudis bases pedum confirmabantur, & quodlibet morborum, & ægritudinum genus facile dissoluebatur. Cur non dico quæ sunt perfectiora? Aer quidem, & cælum ascensu Spiritus sanctificabatur, terra autem similiter depositione sacri corporis. Ceterum nec aquæ quidem natura erat expers benedictionis, sed ipsa quoque lauacro purissimi corporis fuit particeps sanctificationis. Neque enim illud habebat opus purgationibus: Quis enim hoc diceret, nisi emotæ mentis? Sed suo contactu potius sanctificabat, id quod attingebatur. Deinde quid? mundis syndonibus mundum corpus inuolutum rursus in lecto ponitur; deinde cum lucernis, & vnguentis, intelligentibus quidem desuper laudantibus virtutibus, Apostolis autem,

Simeon Metaphrast.

autem, & diuinis patribus Deo digna cantica canentibus, exportatur. NICEPHORVS lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22. Apostoli autem, & qui præterea ibi aderant viri egregij, lectum corona circumdantes, reuerenter illam exosculantur. Ad quam deinde quàm plurima fiunt miracula, cœci namque præter spem, expectationemq; omnẽ oculis suis solẽ cernunt: surdis auditus suus datur: claudi gressus recipiunt: &, vt semel dicã, omne morbi genus attactu solo prorsus cedit, & profugit. *Niceph.*

4 DILVCVLO. GREGORIVS Turonens. lib. 1. de gloria Martyrum cap. 4. Diluculo autem leuauerunt Apostoli cũ lectulo corpus eius, posueruntq; illud in monumento. *AVCTOR.* Comprobant hoc etiam, quæ supra adduximus cap. 20. num. 17. *Pompa funebris deducitur primo mane. Greg. Tur. Auctor.*

5 ARCA. IVVENALIS Patriarcha Ierosolymitanus, apud historiam Euthymiacam, libro tertio, capite quadragesimo. Quod vero Deum suscepit eius corpus cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum, iustis ei factis, in loculo fuit depositum Gethsemane. ANDREAS Cretensis, oratione prima de dormitione Deiparæ. Ad quam cum eo quod est aspectabile, quicquid percipitur intelligentia, & quicquid est cæleste, & terrestre simul congregatum, reginam honorat, & deducit ante tabernaculum. O miraculum! quæ Deum, qui est infinita magnitudine, & ab omni circumscriptione seiunctus, in paruo sui vteri spacio cepit super essentialiter, ei hodie circumscripto lecto vectæ sanctis manibus iusta fiunt: quæ in suo sinu habuit collocatum eum, qui tergis vehitur cherubicis, insculptæ petræ sinibus sepelitur, & cuius partum admirati sunt Angeli, huius tabernaculum deducunt Angeli choros ducentes. Et oratione secunda. O terra virginalis, ex qua secundus Adam processit. Quod nam sepulcrum te teget? quę nam te terra accipiet, quæ cæli, & cælorum naturã superasti sanctitate? Quæ nam erunt vestes, quibus sepelieris? quæ nam fasciæ? qui amictus? Quibus nam autem vnguentis vngent tuum corpus odoriferũ, impollutum, & plenũ sanctificatione *Deducitur manibus Apostolorum. Iuuenalis. And. Cret.*

tione; ex quo scatet remissio, & manat immortalitas, ex quo est deificatio. Quæ nam te manus ad sepulcrum com ponent? quibus nam vlnis portabimus eam, quæ eum portauit, qui minime potest contineri? quas nam sepulcrales preces in te fundemus? quibus nam te deducemus canticis? quibus nam autem labiis tuum laudabimus decessum? Qua voce, quibus verbis magnalia tua ornate enunciabimus? IOANNES Damascenus oratione de dormitione Deiparæ. Angelis quidem suis linguis canentibus hymnum eis conuenientissimum, Apostolis autem, & à Deo inspiratis patribus Deo grata canentibus cantica, & quibus aplaudebat spiritus. Tunc tunc arca Domini sublata ex monte Sion, vecta inclytis humeris Apostolorum, in cæleste templum transmittitur per mediam ciuitatem, tamquam quædam spon sa speciosa decorata splendore Spiritus, ad quem non patet aditus: & sic fertur in sacratissimũ prædium Gethsemanes, Angelis præcurrentibus, consequentibus, alis contegentibus, & Ecclesiæ tota congregatione. Et quomodo Rex Salomon propter arcæ requiem in templo Domini, quod ipse construxit, omnes seniores Ierusalem vocauit ad concionem in Sion, vt transferret arcam testamenti Domini de ciuitate Dauid, quæ erat Sion, & sustulerunt sacerdotes arcam, & tabernaculum testimonij; ipsi vero, & Leuitæ, & Rex, & vniuersus populus ante arcam sacrificabant boues, & oues innumerabiles; qui & intulerunt ipsam arcam testamenti Domini in locum eius, in Daber domos, in Sancta sanctorum, sub alas Cherubim: sic tunc propter requiem arcæ intelligentis, non testamenti Domini, sed ipsius hypostasis Dei verbi, ipse nouus Salomon, qui est Princeps pacis, & vniuersi optimus architectus, mentium cælestium supermundanos ordines, & noui testamenti proceres, Apostolos inquã, cum vniuerso populo sanctorum, qui erat Ierosolymis, hodie congregauit: & animam quidem per Angelos in Sancta sanctorum introducit. Portatur autem corpus manibus Apostolorum, rege regum id tegente splendore suæ, quæ sub aspectum

Damascen.

Tota Ecclesia comitatur funus.

Daber quid?

pectum non cadit, diuinitatis: & toto cætu populi precur rente, & sacras voces emittente, & sacrificante sacrificiũ laudis, donec in sepulcro, tamquam in thalamo, & per ipsum in delitiis eden, & in cælestibus repositũ est taberna culis. SIMEON Metaphrastes, oratio. de vita, & obitu Deiparæ. Denique cum lucernis & vnguentis, intelligẽtibus quidem desuper laudantibus virtutibus, Apostolis autem, & diuinis Patribus Deo digna cantica canentibus, diuina arca ex Sion vecta Apostolicis manibus, & humeris, ad Gethsemane sacrum prædium exportatur, Angelis, vt est consentaneum, præcurrentibus, circũcursantibus, sequentibus, angelicis pennis adumbrantibus, longe inquam splẽdidiore, & venerabiliore facta deductione, quã propter translationem veteris illius arcæ testamenti Domini, vt sacra narrant eloquia. NICEPHORVS lib. 2. hist. Ecclesiast. cap. 22. Deinde cereis ardentibus prælatis, & vnguentis, floribusque sparsis, atq; Angelis cælitus feretrum, vel præeuntibus, vel stipantibus, vel etiam consequentibus, diuinis patribus, & Apostolis mirifica quædam carmina concinentibus, intellectualis illa, atque spiritualis arca ex Sion in Gethsemani, Apostolicis eam gestantibus manibus fertur.

Sime. Met.

Nicephorus

6 GRAVE. IOANNES Damascenus, oratione dicta. Aderant autem forte ex Iudæis nonnulli: operepretium enim est tamquam obsonio condimentum, id quod multorum labiis profertur, admiscere narrationi. Aiunt cum fuissent in descensu montis hi, qui tollebant beatum corpus Dei matris, Hebræum quemdam, seruum peccati, & qui fœdus iniuerat cum errore, imitantem seruum Caiphæ, qui Dominico, & Diuino Christi Dei vultui impegit colaphum, cum effectus esset instrumentum diaboli, audaci, & considerato impetu, & infelici impressione irruisse in diuinissimum illud tabernaculum, ad quod timentes accedunt Angeli: & cum ambabus manibus furiose grabatum apprehendisset, id in humũ deiicere voluisse, inuidia illius, qui est auctor malorum. Et hoc quidem fuit eius facinus, sed laborẽ prouenit

Vltio diuina in audacem Iudæum. Damascen.

fructus, & amaram collegit vuam, & dignam sui animi instituto. Aiunt enim ei defecisse manus, & licebat videre eum, qui sua manu audax, & nefarium fecerat facinus repente carere manibus, donec mentem conuertit ad fidem, & pœnitentiam: cum primum enim constitissent hi, qui grabatum portabant, & mutilata brachia imposuisset infelix tabernaculo, quod vitæ dedit principium, & peperit admirabiliter, ex manco manibus sanus, & saluus euasit. Solent enim magna ex parte calamitates quoque, sapientia, & salutaria parere cõsilia. SIMEON Metaphrastes, dicta oratione. Accidit huic pulchræ, & diuinæ rei, graue quidem quid, & odiosum, non tamen silentio, sed memoriæ mandandum, & ad gloriam quidem, & laudem piorum, dedecus autem improborum, qui infidelitatis malum semper sectantur. Cum hoc sacrum, & impollutum corpus in Gethsemane efferretur, vbi sepulcro tradi Deipara ipsa præceperat: Iudæis, qui semper fuerunt repleti inuidia, nec in hoc quidem succurrit tacere, sed ad eius, quod fiebat splendorem, claudere oculos, & ad eis innatum motum animi irrumpere. Qui erat ergo aliis insanior, & impudentior, & is cum venerandũ portaretur grabatum, in id irruit plenus inconsiderato impetu, & furore: eius autem scopus erat, hunc sacrum lectum in terram allidere, & tali afficere iniuria, vt qui esset vir insigni audacia. Non neglexit autem diuina iustitia, sed manus quæ grabatum apprehẽderant, ex vlnis protinus fuerunt abscisæ. Verum quæ in partu gaudio totum orbem terrarum repleuerat, non erat vlli omnino in morte futura causa molestiæ. Cumque qui passus fuerat esset quidem improbus, ne tamen omnino eius improbitas videretur insanabilis, ex his, quæ erat passus, iustam eorũ, quæ malesenserat, petiit pœnitentiam: & quoniam carebat manibus, nec eas poterat ad preces extendere, emittit lacrimas ex oculis, & sic petit curationem. Disciplinam autem vide, simul & medicationem. Statim enim hi quidẽ, qui lectum ferebant, constiterunt: accedit vero is, qui passus fuerat sectionem, & quæ amputatæ fuerant partibus,

Sanitas impio concessa Simeon.

Manus abscise pendẽt ex grabato.

bus, vlnis applicatis, (hoc autem iusserat Petrus) statim consecuta est manuum curatio. NICEPHORVS libro 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. Ceterum in hanc tantam lætitiam molestum, & durum quiddam incidit, quod silentio prætereundum non sit. Cum enim diuinū illud tabernaculum, ita vt dictum est, ad Gethsemani portaretur, vbi Dei genitrix sepeliri se mandauerat: Iudæi inuidia tabescentes, cum occultare non possent eum, qui in mentibus eorum fouebatur, liuoris affectum produnt. Inter quos, aliis quidem confidentior, furibundusque magis (erat autem ex sacerdotum ordine) cum sacrum tabernaculum portaretur, impetu quodam præter rationē percitus in id ferebatur; humi prosternere sacram illam arcā, atque pesundare in animo habens, sed enim vindicta nequaquam moratur: namque ab vlnis manus illius recisæ ex feretro dependent: At quæ diuina natiuitate sua lætitia habitabilem omnem orbem repleuerat, ne in obitu quidem cuipiam molestiæ, aut ęrumnæ alicuius causa futura erat. Porro is, cui hoc contigerat, cum malus quidem, sed tamen non prorsus desperatus, & incurabilis esset, pœnitentiæ rite prætendit remedium: & quoniam manus, quas non habebat prætendere nequit, lacrimas profert, & simul cum ea resipiscentiæ disciplina, cura quoque adest. Feretrum enim consistit, & manus ad resectionem, vnde deciderant accommodatæ, (Petri id iussu factum) confestim pristinum statum suum recuperant.

Nicephorus

Deipara in Gethsemani se iußit sepeliri.

Quæ omnes gaudio viuens perfudit, in obitu nemini tristitiæ causa fuit.

7 PROGRESSI. GREGORIVS Turonensis lib. 1. de gloria Martyrū, cap. 4. Diluculo autem leuauerunt Apostoli cum lectulo corpus eius, posueruntq; illud in monumento. IOANNES Damascen. oratione de dormitione Deiparæ. Hinc ad sacratissimam deducitur Gethsemane: rursusq; amplexus, & rursus encomia, hymni sacri, & genuū inflexiones, & lacrimæ, & ex animi mærore, & desiderio sudorū fontes circumfluentes: licebatq; videre sudores, & lacrymas defluxu contendentes. Sic igitur sanctissimū corpus pręclarissimo imponitur monumēto.

Perueniunt in Gethsemane.

Grego. Tur.

Damascen.

Simeon. to. SIMEON Metaphrastes oratione dicta. Hinc ad sacratissimã abducitur Gethsemane, & illic sanctissimum quidem corpus mandatur sepulturæ. Quid ni enim? cum etiam qui erat Deus eius filius, more hominũ sepelitur?

Nicephor. NICEPHOR. lib. 2. hist. c. 22, vbi autẽ ad Gethsemani peruentũ est, sepulturæ quidẽ illa filiũ imitata, tradituri?

Monumentum Deiparæ. Sophronius. 8 MONVMENTO. SOPHRONIVS serm. de Virginis Assumptione. Monstratur sepulcrum eius cernẽtibus nobis vsque ad præsens, in vallis Iosaphat medio, quæ vallis est inter montem Sion, & montem Oliueti posita: vbi in eius honorẽ fabricata est Ecclesia miro lapideo tabulatu, in qua sepulta fuisse ibidẽ ab omnibus prædicatur, sed nunc vacuũ esse Mausoleum cernentibus ostenditur.

Ecclesia in honorẽ Virginis fabricata. Euthymius. EVTHYMIVS lib. 3. hist. c. 40. apud Damascenũ. Et cum Marcianus, & Pulcharia accersiuissent Iuuenalem Ierosolymitanum Archiepiscopum, & Palestinæ Episcopos, qui in regia vrbe versabantur propter Synodum, quæ tunc facta est Chalcedone, dicunt eis: Audimus esse Ierosolymis primã, & egregiam sanctissimæ Deiparæ & semper Virginis Mariæ Ecclesiã in prædio, quod vocatur Gethsemane, vbi eius, quod vitam portauit, corpus fuit in loculo depositum: volumus ergo eius huc adduci reliquias ad custodiam huius regiæ ciuitatis.

Beda. BEDA libro de locis sanctis cap. 6. In eadem valle Iosaphat sanctæ Mariæ rotũda est Ecclesia, lapideo tabulatu discreta, cuius in superioribus quatuor altaria, in inferioribus vnum habetur in Orientali plaga, & ad eius dexteram monumentum vacuũ, in quo sancta Maria aliquando pausasse dicitur; sed à quo, vel quando sit ablata, nescitur.

Brocardus. BROCARDVS Monachus lib. de terra sancta, in descriptione Ierusalẽ. Sepulcrũ Virginis gloriosæ ostenditur in valle Iosaphat, non in ima eius profunditate, sed in pede montis Oliueti, & in editiori loco, quã sit ipsa vallis. Quod ante subersionem ciuitatis extra terram eminebat, nunc vero est sub terra, vna cum Ecclesia circumsepulcrum extructa. Non longe ab hoc loco ostenditur alia Ecclesia, vbi fuit hortus Gethsemani, quem dominus oratu-

oraturus ante paſsionem ſuam intrauit, iuxta montem Olíueti, cuidam rupi concauæ adhærens, ſub qua diſcipuli ſediſſe memorantur, cum ipſe oraret ad Patrem.

AVCTOR. Ex hac Brocardi relatione iam conſtat cauſa, propter quam, nec Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini capit. 24. Et ſequentibus, aliique hiſtorici, nec Hieronymus Epiſtola 27. præſertim libro de locis Hebraicis, agens de Gethſemani, & de Eccleſia ibi erecta, vbi Dominus in horto orauit, non meminerint huius ſepulcri Virginis, illi ſatis contigui; quia videlicet ruinis erat obrutum: repertum autem creditur paulo ante tempora Iuuenalis, & Marciani, & Pulcheriæ Imperatorum: & nunc dicitur ſub terra adeo reconditum, vt circiter ſexaginta gradibus ſit ad illud deſcendendum. Refert autem Euthymiaca hiſtoria, libro tertio, capit. 40. Et Ioannes Damaſcenus, ſermone de dormitione Deiparæ ad finem. Et Nicephorus, libro decimo quinto, cap. 14. Loculum cum veſtibus Mariæ ſigillo ſignatum miſſum à Iuuenali Ieroſolymis Conſtantinopolim ad Imperatores, & collocatum in templo in Blachernis ædificato.

Auctor.

Cur auctores alij non meminerint Virginis ſepulturæ.

Euſebius.

Hieronym.

Euthymius

Damaſcen.

Nicephorus

Loculus cũ veſtibus Mariæ collocatus in templo Conſtantinopolitan.

9 PER TRES DIES. IVVENALIS Patriarcha Ieroſolymitanus, apud Euthymiacam hiſtoriam, libro tertio, capite quadrageſimo. Quod vero Deum ſuſcepit eius corpus, cum Angelica, & Apoſtolica hymnodia elatum, iuſtis ei factis, in loculo fuit depoſitum Gethſemane: quo in loco Angelorum chorea, & hymnodia manſit tres dies perpetuos. Poſt tres dies autem Angelica ceſſante hymnodia, qui aderant Apoſtoli, cum vnus abfuiſſet, & poſt tertium diem veniſſet, & quod Deum ſuſceperat corpus adorare voluiſſet, loculum aperuerunt: ſed intemeratam quidem, & omni ex parte laudandum corpus, nequaquam inuenire potuerunt: cum ea autem ſola inueniſſent, in quibus fuerat compoſitum, & poſitum, & ineffabili, qui ex his proficiſcebatur, eſſent odore repleti, locum clauſerunt. DAMASCENVS oratione dicta. Quod

Triduo Apoſtoli adſtãt ſepulcro.

Iuuenalis.

Hymnodia Angelorũ triduo perſeuerans.

Thomas funeri non adfuit, ſed poſt tertium diẽ

Damaſcen.

vero, vt ſupra ex Iuuenali. SIMEON Metaphraſtes oratione relata. Quod dicimus confirmat Iuuenalis diuinus Ieroſolymorum Epiſcopus. Fuit autem hic vir ſanctus, & à Deo inſpiratus, qui ab antiqua, & vera traditione narrationem dicens, ad ſe ſic fuiſſe deductam, ait, quod tres totos dies ad ſepulcrum ſancti permanſerunt Apoſtoli, diuinas hymnodias ex alto audientes. Deinde poſt tertium diem cum vnus ex Apoſtolis tardius veniſſet ad exequias, vel quod ita contigiſſet, vel quod diuinum ita prouidiſſet conſilium, vt nota eſſet omnibus tranſlatio admirabilis, tunc & ipſe quidem acceſsit, & vt eſt conſentaneum, magnum ex eo cepit dolorem, quod tanti boni manſiſſet expers, idque omnino tolerare non poterat. Sacer itaque ordo Apoſtolorum non iuſtum eſſe iudicans, vt ipſe quoque viuificum illud corpus non videret, & amplecteretur, iubet ſtatim aperire ſepulcrum: & illud quidem fuit apertum: theſaurus autem nequaquam erat in eo, ſed ſolæ erant veſtes, in quibus fuerat conditus, quomodo etiam eius filij in reſurrectione. Quas cum ipſe eſſet amplexus, & qui cum eo aderant, & repleti eſſent inexplicabili odore, & gratia, rurſus quidem claudunt ſepulcrum. NICEPHORVS libro ſecundo hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 23. Iuuenalis Ieroſolymorum Epiſcopus magnus ſane, diuinoque afflatus numine vir, ex vetuſta traditione rem hanc ſic geſtam ſcriptis ſuis cum fide confirmat. Dicit enim totum triduum Apoſtolos ad monumentum id, diuinorũ hymnorum carmina audientes, perſeueraſſe. Accidit autem rurſum, vt Thomas ab eis abeſſet, videlicet vt nota, perſpectaque diuinæ genitricis fieret aſſumptio, itidem vt antea filij eius, pro eo atque decebat, poſt diem tertium reſurrectio. Ingenti afficiebatur dolore, nec quieto animo eſſe poterat Thomas, quippe qui tanti boni non fuiſſet particeps: ſacer autem ille chorus, iniquum eſſe iudicans, ſi ille quoque diuinum Virginis matris corpus non ſpectaret, atque complecteretur, aperiri monumentum iubet. Quod quidem, vbi ita eſt factum, deſideratum

Thomas adeſt tertio die.

Aperto ſepulcro corpus non inuenitur.

Nicephorus

Thomas adeſt die tertio.

tum illud corpus non comparuit; ſepulcralia tantum lintea rite compoſita loco ſuo manebant, itidem vt filij quoque eius, in ſepulcro relicta. Quæ & ipſe, & qui cum eo aderant cum veneratione exoſculati, incredibilique voluptate, odoriſque ſuauitate repleti, ſepulcrum quidem ad priſtinum conformant modum, miraculum autem ipſum, quaſi per manus ſubinde poſteris traditum, ad nos quoque tranſmiſerunt. Et lib. 15. cap. 14. refert eadem. *AVCTOR.* Incertū ergo eſt, quod nonnulli ſcribunt, reuelatum eſſe cuidam ſanctimoniali Eliſabethæ, corpus Virginis aſſumptum quadraginta fere diebus poſt eius dormitionem; hoc eſt die Septembris viceſimo tertio. *Auctor.*

10 TRANSLATVM. ATHANASIVS Alexandrinus Patriarcha, in Euangeliū de ſanctiſsima Deipara. Nunc adeſt Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumamicta, variegata, eo quod ſecundum ſexū femineum Regina, & domina, & mater Dei appellari debeat, eaque nunc vt Regina aſsiſtens à dextris filij vbiq; regnantis, quaſi in veſtitu deaurato incorruptionis, & immortalitatis circumamicta, & variegata, ſacris, & ſolennibus verbis celebratur; non quidem ſecundum ſpiritualem ſimplicitatem, aut quaſi ſine corpore, & carne aſsiſtat, ſed quod induta ſit, quantum ſpectat ad ſanctiſsimā eius carnem, incorruptibilitate, & immortalitate. Proinde iſta noua Eua, mater vitæ appellatur, variegataque permanet, ad primitias vitæ immortalis omniū viuentium. Dicimus eam igitur iterum, atque iterum, & ſemper, & vndequaque beatiſsimam. SOPHRONIVS ſermone de Aſſumptione. Quamuis nonnulli aſtruere velint eam iam reſuſcitatam, & beata cum Chriſto immortalitate in cæleſtibus veſtiri. Quod & de beato Ioāne Euangeliſta eius miniſtro, cui Virgini à Chriſto virgo commiſſa eſt, plurimi aſſeuerant; quia in ſepulcro eius, non niſi manna inuenitur, quod & ſcaturire cernitur. Legimus quia multa corpora ſanctorum, qui dormierant ſurrexerunt, & venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis

Translatio corporis Deiparæ in cælum.

Athanaſius

Sophronius

Ioannes corporis fruitur immortalitate.

Corpora multa sanctorum gaudent immortalitate.

de quibus profecto nonnulli Doctorum senserunt, & etiam in suis reliquerunt scriptis, quod iam in illis perpetua sit completa resurrectio: fatentur enim quod veri testes non essent, nisi & vera eorum esset resurrectio. Vnde & Beatus Petrus dixisse legitur, cum de Dauid loqueretur in testimonium: & sepulcrum, inquit, eius apud nos est: quasi non sit ausus dicere, quod ipse, aut corpus eius apud nos est, sed tantum sepulcrum, quo conditus fuerat. Hinc autem resurrexisse & eum cum ceteris sanctis, & ideo vacuum remansisse Mauseolum, vt nunc Beatæ Mariæ cernitur. Quod quia Deo nihil est impossibile, nec nos de Beata Maria Virgine factum abnuimus.

Mariæ resurrectio.

Augustinus

AVGVSTINVS lib. de Assumptione Virginis Mariæ, tomo 9. cap. 2. Quid ergo de Mariæ morte, quid de eius Assumptione dicendum est? Vnde diuina scriptura nihil commemorat, nisi quærendum ratione quod cõueniat veritati? Fiatque ipsa veritas auctoritas sine qua, nec est, nec valet auctoritas. Memores enim conditionis humanæ mortem illam subiisse temporalem dicere non metuimus; quam idem certe eius filius, qui & Deus, & homo est, lege sortis humanæ sustinuit. Et hoc quia homo de eius susceptus, & ortus est vtero. Sed si dicimus eam mortis teneri vinculis, & resolutam in communem putredinem, vermes, ac cinerem, deliberandum est, si hoc conueniat tantæ sanctitati, tantæ aulæ Dei prærogatiuæ. Scimus enim dictum primo parenti, quia puluis es, & in puluerem ibis. Quod si de morte dicitur, generalis est sententia, si de resolutione in puluerem, hanc conditionem Christi caro euasit, de carne Mariæ sumpta quæ corruptionem non sustinuit. De hac enim scriptum est per Prophetam dicentẽ. Quoniam non derelinquens animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. De quo autem sancto dictum sit Archãgelus prodidit, qui ad Mariam ait, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et vere sanctum sanctorũ, vnde & illa sancta sanctorum dicuntur, quæ illa seruabant, quibus ille figurabatur, qui veraciter solus sanctus sancto-

Num Maria tenetur mortis vinculis?

Sanctus sanctorum Christus.

ſanctorum dicitur. Hic enim eſt, de quo idem Archangelus Gabriel Danieli loquitur inter cetera, quæ futura oſtēdit, dicens. Et impleatur viſio, & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum. Hic enim ſanctus corruptionem non vidit, qui tertia die cum triumpho de inferis rediens, reſurrexit, caro eius quæ de Maria ſumpta eſt, & ſi mortuus eſt ex infirmitate, reuixit ex Dei virtute. Sed hoc ille qui quando voluit mori, quando voluit reſurgere potuit. Excipitur ergo ab illa generali ſententia de virgine ſumpta natura. Quod ſi non Mariæ congruit, congruit tamen filio, quem genuit, Ieſu. Vocabulum Ieſu glorioſum omni ornatu, cultuque digniſsimum, nomē quod eſt ſuper omne nomen, non decuit ab hominibus appellari, neque ab eis efferri in mundum, ſed ab excellentiori quadam, melioriq; natura. Poſt hæc quæ Adæ dicta ſunt, de quibus excipitur Mariæ filius, contuenda ſunt; quæ etiam Euæ dicta ſunt, ſi cunctis feminis ſint generalia, & ſi in aliquo excipiatur Maria. Scriptum quippe eſt, mulieri quoque dixit Deus, multiplicabo ærumnas tuas, & cōceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. AErumnam Maria ſuſtinuit, cuius animā gladius paſsionis Chriſti pertranſiuit; ſed conceptus non multiplicauit, nec ſub viri, id eſt mariti poteſtate deguit, quæ integerrimis viſceribus de Spiritu ſancto Chriſtum ſuſcepit, & virginitatis integritate manente, virgo permanſit. Quem quia ſine peccati colluuione, & ſine virilis admixtionis detrimento ſuſcepit, ſine dolore genuit, & ſine integritatis violatione, pudore virginitatis integro, permanſit. Hoc enim potuit efficere de matre, quia ſic Deus elegit naſci de homine: Maria ergo & ſi communicat parturiendo cum dolore. Promeruit enim hoc ſingularis ſanctitas eius, & ſingularis gratia, qua ſuſceptione Dei ſingulariter exiſtimanda eſt digna. Non immerito ergo excipitur à quibuſdam generalibus vera æſtimatione, quam tanta ſeruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua. Quantum enim Chriſti poteſtas poſsit, mūdi oſtēdit vniuerſitas; quantum gratia, Mariæ mōſtrat integritas:

Nomē Ieſu cultu digniſſimum.

Maria exēpta à maledictione.

quæ sicut diuersa est à natura, ita diuersa est ab vsu. Quid ergo si in tanta diuersitate eam dicimus humanæ sortis mortem subiisse, nec tamen eius vinculis retineri, per quam Deus voluit nasci, & carnis substantiæ communicare? numquid impium erit? scimus enim Iesum omnia posse, qui de seipso ait, data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Si ergo voluit integrum Mariæ virginitatis seruare pudorem, cur non velit incorruptam à putredinis seruare fœtore? Dicat ergo qui cognouit sensum Domini, & qui consiliarius eius fuit, numquid non pertinet ad benignitatē Domini, matris seruare honorem, qui legem non soluere venerat, sed adimplere? lex enim sicut honorem matris præcipit, ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ ceteris illam gratia sui conceptus honorauit, pium est credere singulari salutatione eam in morte, & speciali gratia honorasse. Potuit enim à putredine, & puluere alienam facere, qui ex ea nascens potuit virginem relinquere. Putredo namq; , & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo opprobrio, cum Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de ea suscepisse probatur. Caro enim Iesu, caro est Mariæ, & multo specialius, quam Ioseph Iudę, ceterorumq; patrum eius, quibus dicebat, frater enim, & caro nostra est. Caro enim Christi, quāuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cælos ascensione glorificata, eadē tamē carnis mansit, & manet natura, quæ suscepta est de Maria. Ipse enim est, qui cōceptus, genitus, atq; à mortuis suscitatus est per gloriā patris; sicut profecto ipse testatur post resurrectionem, quando apostolis dicit, videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Quid enim est, ego ipse sum? nisi quia alter non sum, quam qui tunc eram, quando passus sum. Et hoc siquidē cognoscere potestis qui in manibus & pedibus meis clauorum signa clare videtis. ipse ergo, idemq; cælos ascendit, & carnem, quam de matre suscepit super astra transuexit, honorans omnem humanam naturā, sed multo magis maternam. Si igitur natura matris est filius, conueniens est vt sit & filii

Ratio optima

Honor filii est matris honori prospicere.

Christus super astra euectus humanam honorauit naturam.

mater,

mater, non quantum pertinet ad æquã administrationem, sed quãtum pertinet ad eamdem reciprocã substantiam, vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre, non ad vnitatẽ personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ, & substantiæ: si enim vnitatẽ potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ, quanto magis, vbi gratiæ vnitas, & corporis est specialis natiuitas? vnitas namq; gratiæ est, vt discipulorũ in Christo, de quibus ipse dixit; Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, volo vt sint vnũ, sicut & nos. Et iterum de omnibus istis. Non pro his autẽ rogo tantũ, sed pro his, qui credituri sunt per verbũ eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te: hoc est, vt ipsi sint per gratiam, quod nos sumus per diuinitatem. Hæc quippe gratiæ vnitas, quæ cunctis in Christum credentibus seruatur, si Mariæ etiam minus sapientium æstimatione non tollitur, quanto magis cum gratiæ vnitate ipsa specialitas naturæ vnum efficit matrem, & filium, & filium & matrem? Videndum est etiam quid de his, quos secũ per gratiam vnum esse voluit, cõsequenter adiunxit, ait enim, pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego & illi sint mecum, vt videant claritatem, quam dedisti mihi. O magnã, & inestimabilem bonitatem Dei, qui habere secum suos in gloria vult, vt sua claritate fruantur, qui hic sua fide iuncti vnum cum eo esse digni iudicantur. Si igitur eos secum habere vult, & hoc potest, qui omnia potest, quid æstimandum est de matre, vbi digna sit haberi, nisi in præsentia filii? Quantum igitur contueor, quantum intelligo, quantum credo, Mariæ anima claritate fruitur Christi, & gloriosis conspectibus eum semper videre sitiens, & semper conspiciens, dũ inæstimabiliter pascitur, excellentiori quadã, specialiq; prærogatiua à filio honoratur, possidẽs in Christo corpus suum, quod genuit, clarificatũ in dextera patris: & si non suum per quod genuit, tamen suum quod genuit; & quare nõ suum, per quod genuit? si enim nõ obuiauerit nec dũ perspecta auctoritas, vere credo & per quod genuit, quia tãta sãctificatio dignior cælo

est, quam terra, quoniam thronum Dei, thalamum Domini, domum, atq; tabernaculum Christi, dignum est, ibi esse, vbi ipse est. Tam preciosum enim thesaurum dignius est cælo seruari, quam terra. Tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur. Istud ergo sacratissimũ corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, non amittens quod erat, sed assumens quod non erat, vt verbum caro, hoc est, Deus homo fieret, escã vermibus traditum in communi sorte putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. De quo si nihil altius sentirem, quam de proprio, nihil dicerem, nisi quemadmodum de proprio. Quod absque vlla ambiguitate soluẽdum est in mortem, post mortem, & futurum putredo, post putredinem vermis, post vermẽ vt dignum est, abiectissimus puluis. Quod de Maria credendum non videtur, nec æstimabile; quia æstimationem procul pellit incomparabilis gratiæ munus. Quod me dicere multarum consideratio rerum inuitat: quarũ, & quædam illa est, quam suis alibi ministris ipsa veritas ait, qui mihi ministrat me sequatur, & vbi ego sum, ibi & minister meus erit. Si enim hæc est generalis sententia omnium per fidem, & bonam operationem Christo ministrãtium, quanto magis quodammodo, & specialius est Mariæ? Mariam namque operis exhibitione, & fidei rigidissima veritate ministram Christi fuisse, omnis, qui sane sapit, intelligit. Absque dubio enim omni operi ministratrix extitit, quæ hunc in vtero gessit, partuq; profusum aluit, & fouit, atque, vt euangelium ait, in præsepio reclinauit, & à facie Herodis in AEgyptum fugiens abscondit, & omnem infantiam eius pro matris affectu ita prosecuta est, vt vsque ad crucem, in qua filium iam virum perfectum vidit pendentem ab eius indubitanter ministerio non recessit; consecuta eum, non solum gressibus pedum tamquam pro reuerentia Dei, verumetiam imitationis affectu. Maria ergo ministratrix Christi spiritalium operum quantitatibus, sicut deuotissima extitit, ita absq; dubio

Gratia Mariæ incomparabilis vetat credere corpus eius computruisse.

Maria fuit perpetua filii consectatrix.

dubio religionis fide, id est veræ credulitatis charitate, secutrix fuit. Non enim potuit nisi diuinitatis eius esse credula, quæ se nouerat hunc non virili semine secundum ordinem naturæ, sed diuino spiramine, nunciante archangelo, concepisse: videns semper famulantium angelorum ei adesse frequentiam, vt cócepto, & nato, quando videlicet facta est cũ angelo multitudo cælestis exercitus, clamantiũ, & dicentiũ, gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & in AEgyptũ fugituro, atque inde iterum redituro: quibus liquido cognoscere potuit quia talia obsequia non nisi Deũ decuerant. Vnde & stellæ demonstratio, & Magorũ de longinquis partibus inspirata adductio, quam maxime illi extiterit iudiciũ veritatis. Similiter Simeonis, atque Annæ prophetali dignitate insolitus, ceteris & huic specialis occursus. Quæ omnia profecto Maria cóseruans, his cunctis altius ad fidem roborata, pio corde cóferebat, in tantũ, vt omnino nó nutabunda, sed certa de filii potestate, tãquam de Dei vera virtute, deficiéte in nuptiis vino dixerit: vinũ nó habẽt. Sciẽs plane hoc illũ potuisse, quod eũ mox contigit, diuino miraculo cópleuisse. Ecce igitur Maria fide, & opere Christi administratrix, & deuota vsq; ad eius mortẽ secutrix, non plus gressu, quã imitationis affectu, vt credendũ est, si ibi non fuerit, vbi Christus ministros suos vult esse, vbi ergo erit? Et si ibi erit, nũquid æquali gratia? & si æquali gratia, vbi æqua Dei césura, quæ vnicuiq; reddit secundum sua merita? Si ergo merito Mariæ viuenti præ omnibus donata est gratia, mortuæ erit minuenda? Absit. Quia si omniũ sanctorũ mors est preciosa, Mariæ sane est preciosissima, quam tanta comitata est gratia, vt mater Dei dicatur, & sit. Consideratis igitur his vniuersis, vera ratione consitendum censeo, Mariam in Christo, & apud Christum esse. In Christo, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus: apud Christum, gloriose ad æternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi honoratius susceptam ceteris; quam hic gratia honorauit præ ceteris: nec vsque ad communem humilitatem esse adductam

Maria fide & opere Christi vsque ad crucem secutrix.

Maria viuit animo, & corpore cũ Christo.

post mortem, putredinis videlicet, & vermis, & pulueris, quæ suum, & omnium genuit Saluatorem: in cuius si potestate est sanctorum de capite capillum non perire, est & illam anima, & corpore integram posse seruare. De cuius potestate si nullus dubitet Ecclesiasticorum, quin possit matrem sine corruptione in perpetuum seruare, cur dubitandum est voluisse, quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam? Si elegit diuina voluntas sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas non solum puerorum corpora seruare illæsa, vestimenta seruare inusta, cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena? Ionā seruare in ventre ceti præter naturalē vsum voluit incorruptum, sola misericordia, Mariam incorruptam præter naturalem non seruabit gratia? Seruatus est Daniel ab intemperatissima fame leonum, non seruanda est Maria tātis dotata meritis dignitatum? Hæc cuncta quæ diximus, quia naturam non seruasse cognoscimus, in Mariæ integritate plus potuisse gratiam, quam naturam non dubitamus. Diuinitatis enim sunt opera, quæ dicimus, & ideo possibilia, quia sunt ab omnipotētia. Christus autem Dei virtus est, & Dei sapientia, cuius omnia, quæ patris sunt, sua sunt, & velle: velle autem omnia quę sunt iusta, & digna: sic per hoc digne videtur lætitia inennarrabili anima, & corpore, in proprio filio, per proprium filium, nec vllā sequi debere corruptionis ærumnam, quam nulla secuta est, tantum filium pariendo integritatis corruptio, vt semper incorruptam, quam tanta perfudit gratia, sit integraliter viuens, quæ omnium integram, perfectamq; genuit vitam: sit cum illo, quem in suo gessit vtero: sit apud illū illa, quæ genuit, fouit, & aluit illum Maria Deigenitrix, Dei nutrix, Dei ministratrix, & Dei secutrix. De qua, vt iam dixi, quia aliter sentire non audeo, aliter dicere non præsumo. Suscipiat igitur hunc sensum fraterna charitas vestra, quem Sanctus spiritus per me vobis inspirauit. Ostensa sunt ex parte quæ taliter hortata sunt me dicere. Si quis autem refragari, & his contradicere elegerit, quū dicere non velit, hoc non posse Christum, proferat quare

Ionam seruauit in ceto, ergo & matrem.

Daniel seruatus est, ergo & mater.

Opera hæc possibilia cur.

non conueniat velle; ac per hoc non esse. Et quum se veraciter consilium Dei de his nosse manifestauerit, incipiam credere, de quibus aliter non possum sentire. Mirabor illum altitudinem consilii diuini inuestigasse, quam me, cum Apostolo digna reuerentia videor debere admirari, dicente. O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius; & secundum eumdem Apostolum, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Dixi de his: & si non quantum est, tamen quemadmodum me dicere debuisse credidi. Si ergo vera sunt, quæ scripsi, tibi gratias ago Christe, quia de sancta virgine matre tua, nisi quod pium est, ac dignum visum sentire non potui. Si ergo dixi, vt debui, approba Christe tu, & tui: si autem non vt debui, ignosce obsecro, tu & tui. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis, & regnas per omnia secula seculorum Amen. IVVENALIS Ierosolymitanus Patriarcha in historia Euthymiaca lib. 3. cap. 40. Qui mysterii obstupefacti miraculo hoc solum poterant cogitare, quod cui placuit in propria persona carne indui, & ex sacrosancta virgine homo fieri, & nasci in carne Deus verbum, & Dominus gloriæ, & post partum eius incorruptam conseruauit virginitatem: ei quoque visum est, postquam ea è viuis excessit, intemeratum eius, & impollutum corpus honorare translatione, ante communē, & vniuersalem resurrectionem. LEO Imperator oratione de Mariæ obdormitione. O super omnes benedicta, qui solus magnalia, & potest, & facit, præpotens filius tuus, quid hodie tibi largitur, & præstat? quid agitur? quod spectaculū exhibetur? An non obsecro te sanctificationis arcam, te ornatissimum thalamum, & diuinissimum thronum ad suum diuinum, & augustale templum transponit? An non illam, ex qua carnis indumentum, quo inter homines versari potest, susceperat, carne vestiuit, & ad summa fastigia cælorum euexit? An non omnes, qui illi adsunt, & administrāt, tibi quoque prompta deferunt obsequia? ANDREAS Cretensis Ierosolymitanus Patriarcha, oratione prima de dormi-

De morte Mariæ nisi quod piū est non est sentiendum.

Iuuenalis.

Leo Imper.

And. Cret.

dormitione Deiparæ. Hoc autem aperte ostendit ex eo, quod suam matrem semper virginem, ex cuius vtero, cum esset Deus, formatus est, hodie è terræ locis, vt humanæ naturæ reginam transtulit. Erat ergo tunc quoq; verbum præsens, & legē mortis fecit cessare. Erat autē spectaculū vere nouum: mulier quæ cælorum superauerat naturam puritate, in adytorum, quæ sunt in cælis sancta commeās, & ingrediens: sicut enim non fuit corruptus parientis vterus, ita mortuæ caro non interiit. O miracula, partus effugit corruptionem, & sepulcrum non admisit interitum. Quomodo potest hoc demonstrari? vultis dicam? Quomodo est monumentum inane? Quomodo corpus euanuit? Quomodo non sunt in ea vestes, in quibus est sepulta? nisi effugisset interitum id quod sepultum fuerat, si translatus non fuisset thesaurus? Quod si ita est, quomodo non est vera, & à mendacio aliena trāslatio? Stat enim sepulcrum inane vsque ad hodiernum diem, quod & testimonio est approbatum, & approbat sanctam trāslationem. Et oratione secunda, Te nequaquam potest habere sepulcrum: corpus enim dominicum, non delent ea quæ intereunt. Migra ex his, quæ sunt in natura creata mansionibus. Nam quamdiu quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio: ex quo autem translata es è terra, te vniuersus mundus continet commune propiciatorium. Plaude terra, prosequere laudibus, narra quæ sunt gloriosa virginis, partus, fascias, sepulcri miracula, quomodo sit sepulta, quomodo translata, quēadmodum cernitur inane sepulcrum quod adoratur. Gethsemane suscipe nouam reginam, para sepulcrum, sit arca tibi custos thesauri, caute & diligenter sanctum custodiatur. Si quid contigerit admirabile, & translatum fuerit id, quod est impollutum, esto prædicans miraculum, narrato translationem his, quæ sunt postea consecuturæ, generationibus. GREGORIVS Turon. lib. primo de gloria martyrum cap. 4. Diluculo autem leuauerunt Apostoli cum lectulo corpus eius, posueruntque illud in monumento, & custodiebant, ipsum aduētum Domini præstolantes:

Legē mortis fecit Christus in matre cessare.

Sepulcrum inane repertum.

Greg. Turo.

lantes: & ecce iterum adstitit eis Dominus, susceptumq; corpus sanctum in nube deferri iussit in paradysum, vbi nunc resumpta anima cum electis eius exultans, æternitatis bonis, nullo occasuris fine, perfruatur. Et cap. 9. Maria gloriosa genitrix Christi, vt ante partum, ita virgo creditur & post partũ, quæ (vt supra diximus) angelicis choris canentibus in paradysum, Domino præcedente, translata est. MICHAEL Syngelus in vita Dionysii. Et ipsius delubrum mirandum in modum extructum sanctissimis, diuinisque Apostolorum capitibus, & manibus ex Sion in Gethsemani translatum est. Hinc virgo integerrima, quæ omnibus cælestibus potestatibus sublimior est, & omni creaturæ dominatur, post celebratam eius memoriam, ad sublimiorem cæli requiem est assumpta. IOANNES Damascenus oratione de dormitione Deiparæ. Sic igitur sanctissimum corpus præclarissimo imponitur munumento. Sed hinc tertio die ad cursus cælestes in cælestia transfertur curricula. Non oportebat enim hoc diuinum habitaculum, fontem qui non potest exhauri aquæ remissionis, coercere in sinu terræ. Sed quomodo quod ex ea constitit verbi Dei corpus sanctum, & integrum, & interitui minime obnoxium, tertio die resurrexit ex monumento, ita etiam eripi è sepulcro decebat, & matrem transferri ad filium. Et quomodo ipse ad eam descendit, ita etiam eam illi dilectissimam ad ipsum extolli in maius, & perfectius tabernaculum. Tu vero ò sacrorum sepulcrorum sacratissimum, post Domini quidem sepulcrum, quod vitæ dedit principium; vbi est aurum purum, quod manus apostolorum in te recondiderunt? Vbi est, qui Deum suscepit, thesaurus? Vbi est valde desiderabile, & admirabile corpus Deiparæ? Quid quæritis in sepulcro eam, quæ ad cælestia translata est tabernacula? corpus sacrum, & sanctum, relictis syndonibus, cùm me impertiisset sanctificatione, & vnguẽto, bonoq; odore repleuisset, abii raptũ sublime, comitãtibus angelis, & cælestibus omnibus. Nũc me defendunt angeli, nunc diuina in me habitat gratia,

Corpus nube in cælũ elatum à filio.

Syngelus.

Damasc.

Sepulcri Deiparæ encomia.

Cosmas. ego euasi officina medicinæ ægrotãtibus. COSMAS hymnographus Episcopus Maiumanus. Tu sacra, & casta virgo, quæ præter naturæ ordinem Deum enixa es, chara victoriæ symbola deferens, illumq;, qui te genuit emulata, super naturam naturæ legibus concedis. Nam & moreris, & mortuo cum filio denuo exuscitaris vna cum illo, in

German. omnem victura æternitatem. GERMANVS Patriarcha Constantinopolitanus oratione de obdormitione virginis. Viuit spiritus tuus in omne æuum, & caro tua sepulcralem corruptionem non est experta. Item. Sacratissimę virginis caro ex mortuis iam resuscitata, expedita, & spiritualis effecta est, vt pote ad omnem immortalitatem, & incorruptionem iam transformata. Et, corpus tuum virgineum omnino sanctum est, & humanum quidem, sed quod ad summam immortalitatis vitã peruenerit, adeoq; integrum sit, & absolute viuum, & obdormitioni nõ ob-

Simeon. noxium, quippe quod vas Dei capax fuerit. SIMEON Metaphrast. oratione de vita & obitu Deiparæ. Hinc ad sacratissimam abducitur Gethsemane: & illic sanctissimũ quidem corpus mandatur sepulturæ. Quid ni enim? cum etiã qui erat Deus eius filius, more hominũ sepelitur? per ipsum autem ad cælestia, & diuina transmittitur tabernacula. Atq; viuifici quidem corporis diuinæ sepulturæ ita se habet narratio. Siquidem quod ex ea natum erat, totã eam verbum ad se trãstulit, & voluit eam apud se, & esse,

Michael Glycas. & perpetuo simul viuere. MICHAEL Glycas. 3. part. Annalium. Tametsi virgo mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametsi mortẽ degustauit, tametsi vt homo in sepulcrum est deposita, naturæ tamen fines, atque terminos superauit, & excessit, nec sepulcrum, nec mortalitas eam in potestate sua retinere potuit. Nam & ipsa de sepulcro resurrexit prorsus, vti filius eius, idemq; Deus etiam fecerat, solis sepulcralibus exuuiis in monumento relictis. Consimili nimirum modo, & ipsam Dei matrem ex mortuis resurrecturam fuisse, quo filius resurrexerat, multo ante beatus ille Dauides, huiusmodi verbis significauerat. Surge Domine in requiem tuam, tu inquam ipse, &

arca sanctificationis tuæ. Nam quia norat Dauides eam, quæ Christum vtero suo gestasset, ac illam ipsam ob causam arca sanctitatis esset, atq; nuncuparetur, eodem pacto resurrecturam è sepulcro, quo & natus ex ipsa Christus Dei filius, & Deus resurrexit, idcirco non abs re consimilem vtriusque resuscitationem ex mortuis, multo ante, quasi pictura quadam, expressit. Etenim ni res ita se haberet, non sane posteaquam dixerat, surge Domine, subiecisset, & arca sanctitatis tuæ. Et epistola ad Alipiũ monachum. Qua ratione Maria omnis labis expers per mortem ad vitam corpore simul, & anima transierit, id admirabiliter alicubi disserit Andreas Cretensis. Sed neque minus quoq; perspicue, & clare, isthęc ipsa, ob oculos ponit magnus ille hymnographus Cosmas. Tu inquit ille, sacra & casta virgo, & cetera vt supra. D. RODERICVS Archiepiscopus Toletanus. 58. in Actis Concilii Lateran. 1. de primatu Ecclesiæ Toletanæ. Absit autem, vt propter gloriam huius primatus, asseram corpus B. virginis, quod firmiter credimus in cælestibus cum Domino gloriosum esse, in ecclesia Toletana fuisse aliquando sepultũ, pedibus humanis quotidie conculcandum. NICEPHORVS lib. 1. histor. eccles. cap. 35. Moriturus est Ioannes eo, quo Deigenitrix modo; confestim vero reuiuiscet, atq; resurget, incorruptibili scilicet corpore, alterum magistri expectaturus aduentum. Et lib. 2. cap. 22. sepulturæ quidem illa filium imitata traditur: per illum autem ad diuina tabernacula, ad ipsum scilicet paradysum, vbi & vitæ arbor consita est, ratione ea, quam qui hæc facit, Deus nouit, transfertur. Et cap. 23. Quod vero diuinum hoc Deigenitricis tabernaculum resurrecturũ fuerit, propheta quoq; Dauid prædixit, exurge, inquiens, Domine tu, & arca sanctificationis tuæ. *AVCTOR.* In hac sententia licet non tam clare, videntur esse Bernardus serm. 1. de Assumptione, & serm. de verbis Apocalypsis, signum magnum. Anselmus lib. de excellentia virginis cap. 8. Rupertus lib. 6. in Cantica, in ea verba, quæ est ista, quæ progreditur tamquam aurora consurgens; & Laurentius Iustinianus serm.

Rodericus. Nicephor. Ioannes suscitatus. Auctor. Bernard. Anselm. Rupert. Cant. 6. 9. Iustinian.

de Assumptione, & graues alii, insignesq; scriptores. Est igitur iam tam communis hæc sententia, & ecclesiæ pietate comprobata, vt sine magna temeritate non posit negari. Nec mirum si dubitat hac de re Sophronius in eo sermone, quamuis omnino non neget, imo probabile existimet, & Illefonsus serm. 6. eumdẽ sequens nomine Hieronymi, nam serm. 5. sermonem illum quasi Hieronymi fuerit, refert, & ille qui nomine Augustini circumfertur inter eius sermones de sanctis. 35. nam auctor post Isidorum vixit; quem refert ex lib. de vita & obitu patrũ veteris, & noui testamenti cap. 38. de Beata Maria, & Beda lib. de locis sanctis cap. 6. ad finem, Vsuardus, & Ado Treuerensis in Martyrologiis, qui. 18. Cal. Septembris sic dicũt. Quo autem venerabile illud Spiritus sancti templũ nutu, & consilio diuino collocatum sit, plus elegit sobrietas ecclesiæ cum pietate nescire, quam quid friuolum, & apocriphum inde tenendo docere. Hi enim sermonem illum Sophronii secuti videntur, qui, cum suo tempore nihil compertum inuenissent, nimirum, si dubitarent. Nobis autem clarior illuxit sententia, omnium fere veterum & nouorum auctorum testimonio firmata, & Ecclesiæ Romanæ pietate celebrata.

Sophron. *Illefonsus.* *August.* *Beda.* *Vsuardus.* *Ado.*

STATVRA VIRGINIS, & eius corporis compositio. Cap. XXII.

1 FVIT Deipara virgo, quod quidem ad eius mores attinet, in rebus omnibus honesta, & grauis: pauca admodum, eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem suum, & venerationé omnibus exhibens. Quod attinet vero ad corpus, fuit statura mediocri, quamuis sint qui eam aliquamtulum mediocrem longitudinem excessisse dicant. 2 Nequicquam libera in loquendo, sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maxime. Colore fuit triticum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tamquam oliuæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra; nasus longior; labia florida, & verborum suauitate plena: facies non rotunda, & acuta, sed aliquanto longior: manus simul, & digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers: simplex, minimeque vultum fingens: nihil mollicici secum tra-

hens, sed humilitatem præcellentem colens. Vestimentis, quæ ipsa gestauit, coloris natiui contenta fuit: id quod etiam num sanctum capitis eius velamen ostendit. Et vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gratia. 3 Depinxit eius adhuc viuentis imaginem Lucas pictor insignis, & scriptor euangelicus, in qua posteri intuerentur, reuererenturque hanc virginis formam, 4 filii formam per omnia referentem, mirifice descriptam. Hic ortus, hęc vita virginis, hic decessus eius admirandus, hęc summa, ad quam euecta est super omnes cęlestes spiritus excellentia dignitatis: hoc illi à filio tributum munus, 5 ad solatium nostrę infirmitatis, vt sicut Deus mediatore Christo nos à malis eruit, bonisque cumulat vniuersis, ita nihil sit, quod per nos à Christo suscipiatur oblatum, vel ab ipso nobis conferatur boni, quod per hanc suam genitricem, inter nos, & ipsum singularem mediatricem, non exequatur.

Testimonia.

FVIT. ANSELMVS opusculo de forma & moribus Beatæ Mariæ. Mos suus erat modicæ loquellæ, expeditæ obedientiæ, mũdæ proximationis, sine audacia, sine turbatione, sine ira, benigne salutans: eloquentiam eius homines mirabantur. Fuscos habebat oculos, rectos aspectu, nigra supercilia, mediocrem nasum: vultus eius longus, longæ manus, longi digiti, mediocris staturæ: perseuerãs in orationibus: ferẽs pannũ proprii coloris: lectioni, ieiuniis, & labori manuũ, & omni bonę, virtuosæq; operationi se dederat. GEORGIVS Cedre. in compen. hist. Erat statura mediocri, subfusca, fuluo crine, oculis fuluis, ac mediocribus, magno supercilio, nasu mediocri, manibus, ac digitis lõgis: vestes amplexans, nullo colore tinctas. EPIPHANIVS presbyter Constantinop. in vita virginis. Erat Maria in rebus omnibus modesta, & grauis, & quæ sequuntur in textu. NICEPHORVS lib. 2. hist. ecclesi. cap. 23. Mores autẽ, formæq;, & staturæ eius, modus talis, vt inquit Epiphanius, fuit. Erat in rebus omnibus honesta, & grauis, & cetera quæ supra in textu.

Mores Deiparæ quam insignes. Anselm.

Corporis cõpositio.

Cedrenus.

Epipha.

Nicephor.

2 NEQVICQVAM AVDAX. ANDREAS Cretensis, oratione de Annunciatione Mariæ. Etenim cũ minime esset audax, & ad loquendum velox. ANSELMVS dicto opusculo. Sine audacia. BERNARDVS sermone de verbis Apocaly. signum magnum. Gratissima sane gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An vero quis putat quod hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria; ex euangelio id probamus. Vbi enim aliquando loquax? Vbi præsumptuosa fuisse videtur? Multa quidem à Simeone audiuit, tam de Deo, quam de se ipsa. Ad loquendum tarda, velox ad audiendũ. AVCTOR. Hæc ideo adduxi præter ea, quæ capite tertio, numero. 7. relata sunt, ad explicandam hanc virginis dotẽ verecũdię,

Verecundia virginis. Andreas Cret. Anselm. Bernard.

Auctor.

Virtus virginum propria verecũdia in loquendo. quam Epiphanius Græca dictione, aparrhisiastos expressit, itemque ante ipsum Andreas Cretensis. Quæ hoc tantum significat, non libere loquens, non audens loqui, carens audacia loquẽdi. Quæ virtus virginem exemplar virginum maxime decet.

Lucas depinxit imaginẽ virginis. *Simeon.* 3 DEPINXIT. SIMEON Metaphr. in vita Diui Lucæ. Hoc autem inter cetera gratissimum est, quod ipse quoq; typum assumptæ humanitatis Christi mei, ac signũ eius, quæ illum pepererat, & assumptã humanitatem dederat, primus hic cera, ac lineamentis tingens, vt ad hæc vsque tempora in imagine honorarentur, tradidit. Tamquam non satis esse existimans, nisi etiam per imaginem, ac typum versaretur cum his, quos desiderabat; quod feruentissimi amoris signum est. Nec id solum, sed & fidelibus omnibus, Christique amatoribus hæc, quæ maxima erant

Theodorus. gratiose donauit. THEODORVS Lector in collectaneis historiæ ecclesiast. lib. 1. in principio. Pulcheriæ Eudoxia imaginem matris Christi, quã Lucas Apostolus

Nicephor. pinxerat, Ierosolymis misit. NICEPHORVS lib. 6. eccles. histor. cap. 16. Cũ etiam sanctorum Apostolorũ Petri, & Pauli, ipsiusq; adeo Christi, & quæ eum supra captum mirifice genuit, virginis matris, colores adumbrantes, imagines plurimas adhunc vsque diem conseruatas esse norimus. Ac Lucas quidem Apostolus primus ipsas accurate, opus id exorsus, manibus suis depinxit.

Christi imaginem & Apostolorũ pinxit Lucas. Et lib. secundo cap. 43. Lucas pictor egregius fertur is quoque primus Christi, & quæ eum ita, vt Deum decebat, genuit matris, atque item principium Apostolorum, effigiem, pingendi arte adumbrasse. Vnde in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum, & preciosum opus est illatum.

In templo imago virginis à Luca depicta conseruata. Et lib. 14. cap. 2. Templum item quod Tonodigon, hoc est viæ ducum, cognomine clarum est, (opus Pulcheriæ est) in quo diuinam illius imaginem, quam Lucas Apostolus in tabula depictam reliquit, sacrumque pensum, & seruatoris ipsius fascias, perinde atque thesaurum, quemadmodum Eudoxia Augusta, cum Ierosolyma profecta est, misit, seruandas cura-

curauit. Et lib. 15. cap. 14. Tria quoque Pulcheria Dei matri ex ipsis fundamentis templa erexit, secundum templum, viæ ducum est, vbi Antiochia missam verbi matris imaginem dedicauit, quam D. Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc viuente, & tabulam ipsam vidente, gratiamque adeo illi formæ suæ immittēte. Hæc imago primum in eo loco, qui tribunal dicitur, fuit, vbi ea quæ nunc quoque fiunt miracula peracta sunt. *AVCTOR.* Aliqua huiusmodi miracula, referunt Nicetas Choniatas in Annalibus, & Nicephorus Gregoras.

Tria templa Deiparæ erexit Pulcheria.

Vincentis Lucas depinxit imaginē Virginis.

Auctor.

Nicetas.

Gregoras.

4 FILII FORMAM. ANSELMVS in opusculo de forma Virginis in fine. Iesus Christus homo quidem procerus, mediocris, & spectabilis, vultū habuit venerabilem, quem intuentes possent, & diligere, & formidare: capillos habuit coloris nucis auellanæ præmaturæ, & planos fere vsque ad aures, ab auribus vero circinos crispos, aliquantulum cæruliores, & fulgentiores ab humeris ventilātes: discrimen habuit in medio iuxta morē Nazaræorum: frontem planam, & serenissimam, cum facie sine ruga, & macula aliqua: quam rubor moderatus venustat: nasi, & oris nulla prorsus reprehensio. Barbam habuit copiosam, & impuberem; sed in medio bifurcatam: aspectum habuit simplicem, & maturū, oculis glaucis, variis, & claris existentibus. In increpatione terribilis: in admonitione blandus, & amabilis: hilaris seruata grauitate, qui numquam visus est ridere, flere autem sæpe. In statura corporis propagatus, rectas manus habuit, & brachia, visu delectabilia: in colloquio grauis, rectus, & modestus, speciosus inter filios hominum. THEODORVS lector in collectaneis historiæ Ecclesiasticæ, lib. 1. Sub Gēnadio pictoris cuiusdam manus exaruit, qui loco Iouis seruatorem pingere præsumpserat, quem Gennadius, precibus suis curauit. Dicit autem qui ita scribit, aliam formam seruatoris veritati magis conformē esse, quæ crispis sit, & modicis capillis. NICEPHORVS lib. 1. hist. Ecclesiast. cap. 40. Porro effigies formæ Domini nostri Iesu Christi, sicuti à veteribus accepimus, talis prope mo

Forma filij Dei.

Anselmus.

Theodorus.

Nicephor.

 dum,

dum, quatenus eum crassius verbis comprehendere licet, fuit egregio is, viuidoque vultu fuit: corporis statura ad palmos prorsus septem: cæsariem habuit subflauam, ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem: supercilia nigra, nō perinde inflexa: ex oculis subflauescentibus mirifica prominebat gratia: acres ij erant, & nasus longior: Barbæ capillus flauus, nec admodum demissus; capitis porro capillos tulit prolixiores. Nouacula enim in caput eius non ascendit, nec manus aliqua hominis, præterquam matris in tenera dumtaxat ætate: eius collum fuit sensim decliue, ita vt non arduo, & extento nimium corporis statu esset. Porro frumenti referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paulum deorsum versum vergentem, ac modice rubicundam, grauitatem, atque prudentiam cum lenitate coniunctam, placabilitatemq; iracundiæ expertem, præ se ferentem. Persimilis deniq; per omnia fuit Diuinæ immaculatæ suæ genitrici.

Forma Christus fuit matri persimili.

5 AD SOLATIVM. AVGVSTINVS sermone 11. de Natiuitate Domini, tom. 10. Facta est Maria scala cęlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascēdere mereātur ad cælos. FVLGENTIVS Episcopus Ruspensis, sermone de laudibus Mariæ. Facta est Maria fenestra cæli, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cælos. ANDREAS Cretensis, oratione in salutationem Angelicam. Gaude diuinum inter Deum, atque homines conciliationis perfugium, gaude thesaure vitæ immortalis. Et in encomio de Virginis dormitione. Placa Dominum pro communi figmento. Nam quamdiu quidem versabaris in terris, te habuit parua terrę portio, ex quo autem trsnslata es è terra, te vniuersus mūdus continet commune propitiatorium. IDIOTA lib. de contemplatione Mariæ, in prologo. Accede per deuotam mentis contemplationem ad gloriosissimā Virginem Mariam, quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus, & habiturus est omne bonum, scilicet

Deipara mediatrix inter homines & Christū. *Augustinus* *Fulgentius.* *Andr. Cre.* *Idiota.*

licet superbenedictum filium eius: ipsa preces, & sacrificia seruorum suorum, & maxime, quæ sibi exhibentur, repræsentat in conspectu diuinæ maiestatis, quia est aduocata nostra apud filium, sicut filius apud patrē: imo apud patrem, & filium procurat negocia, & petitiones nostras: quia thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius. Ceteri sancti iure quodam patrocinij pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia altissimi, quam pro alienis: beatissima vero Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic & omnium patrona, & aduocata, & cura illi est de omnibus. GERMANVS Patriarcha Constantinopolitanus homilia de zona, & fasciis Deiparæ. Quis post tuum filium, ita generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit, in nostris aflictionibus? Quis tam cito præueniens nos ab irruentibus liberat tētationibus? Quis in supplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Nullus enim est qui saluus fiat, ò sanctissima, nisi per te: nemo est qui liberetur à malis nisi per te, ò purissima: nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ò castissima: nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ò honestissima: quamobrem quis non te beatam pronuntiabit. ANSELMVS lib. de excellentia Virginis, cap. 12. Benignissimus filius tuus Dominus noster Iesus Christus erit ad concedendum quidquid voles prōptissimus, & exaudibilis: tantummodo itaq; velis salutē nostrā, & vere nequaquam salui esse non poterimus. Vt ergo filium tuum totius mundi saluatorem, & te eius reconciliatricem esse veraciter sentiamus, eo nos propensiori studio iuua precamur, & foue, quos in fecibus mundi natos, & alitos, potiori leuamine prospicis indigere. BERNARDVS serm. 2. in aduentu Domini, de verbis Isaię, pete tibi signū. Sed iā aduertistis, quoniā virgo regia, ipsa est via, per quā Saluator aduenit: tenentes ergo viam studeamus, & nos dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eā venire in gratiā ipsius, qui per eam in nostrā miseriam venit. Et sermone de Natiuitate Mariæ. Altius ergo intueamini, quanto deuo-

Maria gratiarum Dei thesauraria.

Maria omnium est aduocata.

Germanus.

Nullus fit saluus, nisi per Virginē.

Nullum donum conceditur à Deo nisi per Virginem.

Anselmus.

Volente Maria nemo nō potest nō saluari.

Bernardus.

Via ad Christum Maria.

tionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinē posuit in Maria: vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare; quæ ascēdit deliciis afluens? Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies: Tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni, & spaciosi; quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia hæc est voluntas eius, qui totū nos habere voluit per Mariam. Ad patrem verebaris accedere, Iesum tibi dedit mediatorem: aduocatum habere vis, & ad ipsum, ad Mariam recurre, exaudietur & ipsa pro reuerentia sua: exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium pater. Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim, potestne filius, aut repellere, aut sustinere repulsam; nō audire, aut non audiri filius potest? neutrum plane. Et in fine. Ceterum quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Nec enim impotēs erat Deus & sine hoc aquæ ductu infundere gratiam, prout vellet; sed tibi vehiculum voluit prouidere: ideoque modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Et serm. 3. in vigilia Natalis Domini, in fine: sed quia indignus eras, cui donaretur, datum est Mariæ, vt per illam acciperes quicquid haberes, quæ per hoc, quod mater est, genuit tibi Deum: per hoc quod Virgo est, exaudita est pro reuerentia sua in causa tua, & totius humani generis. Cum ergo in prima sit remedium, in secunda adiutoriū est, quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. Et sermo. 2. in die Pentecostes. Merito in te Maria respiciūt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis, quicquid creauerat, recreauit. Et serm. 1. in Assumptione Mariæ. Aduocatam præmisit peregri-

Si quid salutis in nobis per Mariam habemus.

Totum nos habere voluit Deus per Mariam

Non potest filius repellere matrem.

Vehiculum gratiarum Maria.

Deus nihil nos habere voluit, nisi per Mariā.

regrinatio noſtra, quæ tamquam iudicis mater miſericordiæ ſuppliciter, & efficaciter, ſalutis noſtræ negocia pertractabit. Aſcendens ergo in altum Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus. Quid ni daret? ſiquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas, Regina cælorum eſt, miſericors eſt, denique mater eſt vnigeniti filij Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis eius, ſeu pietatis magnitudinem commendare: niſi forte, aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis poteſt omnino in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt charitas nouem menſibus corporaliter requieuit. Et ſerm. 2. Ipſa eſt mediatrix noſtra, ipſa eſt, per quam ſuſcepimus miſericordiam tuam Deus; ipſa per quam, & nos Dominum Ieſum in domos noſtras excipimus.

Nec facultas deeſt Mariæ, nec voluntas dandi.

Mediatrix Maria.

NVM

NVM ALIQVA SCRIPSE-rit Virgo Deipara? Cap. XXIII.

De auctoritate Epistolarum Diuæ Virginis.

NOSTRI muneris est inuestigare, an Epistola illa, quæ ad Ignatium Episcopum Antiochenum à Virgine Deipara circumfertur scripta, alicuius sit auctoritatis; sicut duæ aliæ, vna ad vrbem Messanensem data: altera ad Florentinã: de quibus mox dicemus. Quoniam vero, & duæ illæ ab Ignatio Ioãni scriptæ, Beatissimam Virginem valde cõmendant, non erit ab re huc eas transferre. Sic autem habet prior.

Ioanni sancto seniori Ignatius, & qui cum eo sunt.

Ad Ioannẽ Epistola Ignatij.

FRATER de tua mora dolemus grauiter, allocutionibus, & consolationibus tuis roborandi. Si tua absentia protendatur multos de nostris destituet: properes igitur venire, quia credimus expedire. Sunt & hic multæ de mulieribus nostris, Mariam Iesu videre cupientes: & quotidie à nobis ad vos discurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent, quæ Dominum Iesum aluerunt; & quædam eius secreta percunctentur ipsam Mariam Iesu. Est & Salome, quam diligis filia Annæ Ierosolymis: & quinque mensibus apud eam commorata. Et quidam notificauere eamdem matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum, more virginis, virtutis, & gratiæ fœcundam: quæ, vt dicunt, in persecutionibus, & aflictionibus est hilaris: in penuriis, & indigentiis non querula: iniuriãtibus grata, & modesta in re læta; miseris, & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit. Contra vitiorum autem pestiferos conflictus inpugna fidei disceptãs enitescit:

Desiderium Virginem videndi.

Mores Virginis.

enitescit: nostræ nouæ religionis, & pœnitentiæ est magistra: & apud fideles omnium operum pietatis ministra: humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cum à Scribis, & Pharisæis ei detrahat. Præterea multi multa referunt de eadem, tamen omnibus peromnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre: sed sicut nobis à fidedignis narratur, in Maria matre Iesu, humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur. Et hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum huius, (si fas sit fari) cælestis prodigij, & sacratissimi spectaculi: tu autem diligẽti modo disponas super desiderio nostro, & valeas. Amen.

Mater Iesu instar Angeli in terris.

Maria cæleste prodigiũ.

EPISTOLA POSTERIOR.

Ioanni sancto seniori Ignatius.

MIHI, si licitum est à te, ad Ierosolymæ partes volo ascendere, & videre fideles sanctos, qui ibi sunt, præcipue Mariam Iesu, quam dicunt vniuersis admirandam, & cunctis desiderabilem. Quem enim non delectet videre eam, & alloqui, quæ Deum verum, de se peperit, si nostræ sit fidei, & religinis amicus? Similiter, & illum venerabilem Iacobum, qui cognominatur iustus, quem referunt Christo Iesu simillimum facie, & vita, & modo conuersationis; ac si eiusdem vteri frater esset gemellus. Quem dicunt, si videro, video ipsum secundum omnia corporis, eius lineamenta: præterea ceteros sanctos, & sanctas. Hęc quid miror? cur detineor? Bone præceptor properare me iubeas, & valeas.

Altera Ignatij Epistola ad Ioan.

Desiderium fidelium videndi Mariam.

Iacobus Iesu quam simillimus.

Hæc ad Ioannem ad Virginem autem sic.

Christiferæ Mariæ Ignatius.

ME Neophyrum, Ioannisque tui discipulum confortare, & consolari debueras. De IESV enim tuo percepi innumera dictu, & stupefactus sum ex auditu, & à te autem, quæ semper ei fuisti familiaris, coniuncta, & secretorum eius conscia desidero animo fieri certior de auditis: scripsi tibi alias, & rogaui de eisdem. Valeas, & Neophyti, qui mecũ sunt ex te, & per te, & in te confortentur. Amen.

Sæpe Ignatius scripsit ad Virginẽ.

Cui Virgo in hunc modum respondit.

Mariæ ad Ignatiũ Epistola.

Ignatio dilecto discipulo humilis ancilla Christi Iesu.

DE IESV, quæ à Ioanne audisti, & didicisti, vera sunt; illa credas, & illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas: & mores, & vitam voto conformes. Veniam autem vna cũ Ioanne te, & qui tecum sunt visura: sta, & in fide viriliter age, nec te commoueat persecutionis austeritas, sed valeat, & exultet Spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.

Promittit ad Ignatium se venturam.

Bernardus.

Epistolæ Ignatij ad Virginem missæ, his verbis meminit Bernardus serm. 7. in Psalmum 90. Magnus ille Ignatius, auditor discipuli, quem diligebat IESVS, Martyr noster, cuius preciosis reliquiis nostra est ditata paupertas, Mariam quidem, in pluribus, quas ad eam scripsit, epistolis, Christiferam consalutat. Egregius plane titulus dignitatis, id est, commendatio honoris immensi. Meminit & Dionysius super Dionysium, de diuinis nominibus. Vtriusque vero Marcus Michael presbyter Carnotensis, in lib. de viris illustribus, & alij non contemnendæ auctoritatis viri.

De Epistolis Ignatij ad Virginem.

Christifera titulus egregius.

Dionysius.

Marcus Michael.

Sed tamen, ne vt certa accipiamus, quæ incerta sunt, has epistolas ab antiquiori aliquo, pio, & Virgini dedito, cófictas fuisse, ex ipsa temporũ, rerumq; in eis factarũ serie, facile erit colligere. Ab Ignatio enim Neopyto, & Ioãnis iam tũ discipulo, nõ potuisse scribi, non erit difficile, ex his, quæ de Ignatio ab historiis traduntur, comprobare: cũ non cõstet quando, degẽte in hac vita Deipara, Ioãnis discipulus esse potuerit. Nã vel Ignatius fuit infans ille, quem cõplexus Iesus in exemplũ proposuit discipulis Math. 18. 2. & Luc. 9. 34. dicens, nisi efficiamini, sicut paruulus hic, nõ intrabitis in regnũ cælorum, vt vult Metaphras. in vita Ignatij, & hoc nõ, quia si puer erat quatuor, aut sex annorũ, cũ martyrio coronatus fuerit anno 11. Traiani, & Christi 111. auctore Eusebio in chronico, & Hierony. lib. de scriptorib. Ecclesiasticis, in Ignatio: esset tũc 85. annorum: vt confectus ætate missus fuerit, vt cum bestiis pugnaret. Nec adfuisset Christo resurgenti adhuc puer cum aliis discipulis, ianuis clausis, quod est contra Hieronym. quem mox referemus. Nec 7. anno à Christi Ascensione, cũ Petrus ex Antiochia transtulit cathedram Romam, potuit eligi Episcopus Antiochiæ, à Paulo, vna cum Euodio: vt dicit Anacletus Epistol. 3. & Clemens insinuat in Cõstitutionibus Apostolicis, lib. 7. cap. 47. quia tunc esset quatuordecim annorũ: & quando obiit Virgo esset 26. annorum. In hac ergo ætate, vel degit Ierosolymis, & Ioannem habuit magistrum, & sic vidisset Virginem Deiparam: cum tamen in his epistolis, quasi qui non viderit, rogat concedi sibi facultatem, eam inuisendi: vel extra Ierosolymam; & sic Ioannes ei magister esse nõ potuit, vt statim demonstrabo: vel fuit Christi discipulus, & vidit eum post resurrectionem, vt ipse de se ait, epistola ad Smyrnenses: & referunt Eusebius lib. 3. histor. Ecclesiastic. cap. 30. Hierony. lib. de scriptoribus Ecclesiast. in Ignatio: & Nicephor. lib. 3. cap. 19. dũ inquit. Ego vero post resurrectionẽ in carne eum vidi, & credo quia sit, & quando venit ad Petrũ, & ad eos, qui cũ Petro erãt, dixit eis: Ecce palpate me, & videte, quia non sum dæmonium

De auctore harum Epistolarum.

Ignatius nõ potuit esse Ioannis discipulus Deipara viuente.

Ignatius nõ paruulus Euangelij.

Metaphras.

Hieronym.

Clemens.

Anacletus.

Ignatius nõ fuit Christi discipulus.

Eusebius.

Hieronym.

Niceph or.

incorporale. Et sic immerito in his epistolis vocatur Neophytus, siquidẽ cum aliis discipulis tamquam fidelis conuersabatur. Et sine dubio tunc etiam vidisset Virginẽ Deiparam, quã in eis epistolis adeo exoptat videre, quasi numquam visam. Et nec hoc verum videtur. Quia tunc, vt minimum esset iuuenis 24. aut 25. annorũ, anno 34. Christi, & quando obiit anno 111. eiusdem, esset natus 102. annos, quando adactus est ad pugnandum cum bestiis. Nec illis suis verbis significat se vidisse Christum suscitatũ cũ aliis discipulis, sed nouisse, & credidisse: quod verũ quidẽ est, quia per alios, Apostolos scilicet, aut discipulos id referẽtes, cognouit. Colligitur ergo, Ignatium nõ potuisse esse discipulum Ioãnis, nisi cum fuit condiscipulus Policarpi, & Papiæ, vt ait Eusebius in chronico anno Christi 103. Et Metaphra. in vita Ignatij: & postquã Ioãnes profectus est in Asiam: sed Ioannes nõ est profectus in Asiam ad eã Ecclesiam administrandã, nisi post mortẽ Apostolorum Petri, & Pauli: aut post obitũ, vt minimum, Deiparæ, vt probauimus, cap. 20. n. 4. quo tẽpore 2. anno post necẽ Apostolorum successit Ignatius Euodio, in Episcopatu Antiocheno. Et Policarpus non fuit discipulus Ioannis, nisi ab 85. anno Christi, qui erat 2. Domiciani: nam cũ passus fuerit anno Christi 170. sub Marco Antonino vero 7. eius anno, auctore Eusebio in chronico, dixit, vt ex epistola Ecclesiæ Smyrnensis refert idem Euseb. lib. 4. hist. Ecclesiast. c. 15. octoginta, & sex annis seruio ei, nempe Christo, & nihil mihi læsit: cum iam Ignatius quatuordecim annis fuisset Episcopus Antiochiæ. Ergo nec Neophytus Ignatius, nec Ioannis discipulus potuit esse dũ viueret Virgo. Cũ falsa ergo cõtineant Epistolæ, nec potuit illa à Deipara scribi, nec hæ ab Ignatio; cũ præsertim, in priori illa scripta ad Ioannem meminerit Salomæ filię Annæ, quam probauimus. c. 3. n. 16. nõ fuisse Annę filiã, Deiparæq; sororẽ: quamuis ea verba aliter sic rectius legãtur. Est & Salome, quã diligis filia anno Ierosolymis, & 5. mẽsibus apud eã cõmorata. Et in Epist. à Virgine scripta exortã esse iã persecutionẽ indicatur, cum tamen ante sequentes Neronis

Ignatius explicatur.

Ignatius discipulus Ioãnis existentis in Asia.
Eusebius.
Metaphras.
Ioannes in Asiam profectus post obitũ Deiparæ.

Policarpus quando discipulus Ioãnis.
Eusebius.

Salome filia Annæ.

annos nulla legatur excitata contra Christianos.

Dicamus & de his Epistolis, quas Messanenses, Florētiniq; se accepisse gloriantur à Deipara missas. Est autem ad Florentiam scripta, vt pro concione est interpretatus Hieronymus Ferrariens. in eadem vrbe, die vigesimo quinto Octobris, anni Domini 1495. exemplar huiusmodi. *De aliis Virginis Epistolis.*

Florētia Deo, ac dño Iesu Christo filio meo, & mihi dilecta, tene fidē, insta orationib⁹, roborare patiētia: his enim sēpiternā salutē apud Deū, & apud hoēs gloriā cōsequeris. *Epistola Deiparæ ad vrbem Florētiam.*

Alterius ad Messanēses hæc occasio scribendi fuit; dum Paulus Romā proficiscens, esset Rhegyi, rogatus à Messanensibus, duas habuit cōciones, vnā de incarnatione Verbi, & Mariæ virginitate, adhuc viuentis: qua excitati, duos miserunt nuncios Ierosolymam, protectionē illius deposcentes; per quos illa misit vnā Epistolā Hebraice scriptā manu sua, quā Paulus Græce conuertit, & in Latinum hisce temporibus Constantinus Gascar. Sic autem habet. *Paulus Messanensibus prædicat.*

Maria Virgo, Ioachim filia, Dei humillima Christi Iesu mater, ex tribu Iuda, stirpe Dauid, Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem.

VOS omnes, fide magna, legatos, ac nuncios per publicum documentum ad nos misisse cōstat, filium nostrum Dei genitum Deū, & hominem esse fatemini: & in cælum post suam resurrectionem ascendisse, Pauli Apostoli electi prædicatione mediante, viam veritatis cognoscentes: ob quos, vos, & ipsam ciuitatem benedicimus, cuius perpetuam protectionē nos esse volumus. Anno filij nostri 42. indictione 1. tertio nonas Iunij, luna 27. feria 5. ex Ierosolymis. *Epistola Virginis ad Messanenses.*

Maria Virgo quæ supra.

Epistolæ hu-quantæ au-ctoritatis. Ex his duabus prior illa, pia quidem, incertæ mihi est, & incompertæ auctoritatis; hæc posterior dubia quædam & vt videtur, pugnantia continet. Nam cũ Paulus, anno 42. Christi Tarsi Ciliciæ ageret, vnde Barnabas eum euocauit, vt iret Antiochiam, sicut colligitur ex Actuũ vndecimo: & ante sexdecim annos, nẽpe ante secundum Neronis, & Christi 57. non venerit in Italiam, nisi cum vinctus ductus est Romã, iuxta Eusebium in chronico, Hieronym. libro de scriptoribus Ecclesiasticis in Paulo: & Cassiodorum in chronico; quod ipsum satis ostendit ipse Paulus in Epistola ad Romanos: non potuit illa epistola scribi à Virgine Deipara, anno 42. Christi, postquam Rhegyium appulerat Paulus. Preterea quis non videat nonas Romanorũ esse, non Iudæorum: & indictiones inuentas fuisse anno Christi 313. Constantino, & Licinio 2. Consulibus, vt ex fastis Græcis collegit Onuphrius lib. 3. fastorum: aut sicut Cedrenus cum aliis vult in historia Ecclesiastica, ad Octauium Augustum referamus earum exordium, tertio anno ante Christi natiuitatem: quadragesimus secundus annus Christi nõ potuit incidere in primam indictionem, quæ numerum quindecim cõplectitur annorũ. Nec ergo conuenit tempus, nec Pauli profectio; ideoque pugnantia continet epistola, & propterea à Virgine non est scripta. Nec mireris optime lector, existimans nos Virginis honori detrahere, quam toto hoc opere conati sumus debito prosequi honore: nõ enim honor illi defertur, si falsa affingamus, sed si falsa nõ dixisse probemus; & sibi non coherentia, & in hoc asseramus, sicut & in aliis, filium suum imitatam, vt nihil in scriptis nobis reliquerit, cum nobis esset minime necessarium. Atque de his hactenus.

Paulus ante Neronem nõ venit in Italiam.
Eusebius.
Hieronym.
Cassiodorus
Nonæ non sunt Iudæorum.
Indictionũ initium.
Cedrenus.
Non honorari Virgo nostris mendaciis.
Mater filiũ imitata nihil scripsit.

CHRONOGRAPHIA VITÆ Virginis. Cap. XXIIII.

T quod fuse hactenus de historia Virginis disseruimus ad compendium redactũ, tibi, quasi in tabula depictum ponamus ante oculos, lector optime, singulos eius annos hic distinguere curauimus, vt vno quasi intuitu vniuersam Deiparæ vitam possis intueri. Exordiemur autem ab eo anno, quo concepta fuit. Is autem est, iuxta vetustiorem, hoc est Hebræorum subputationẽ, annus ab orbe condito 4072. Ab initio Regni Dauidis 1152. Danielis 63. hebdomadis annus 4. & demun Herodis Regis Iudæorum annus 17. Iuxta Græcam vero enumerandi rationem Olympiadis 190. annus 3. Iuxta Romanã autẽ V. C. 717. Augusti Cæsaris à primo Consulatu, seu à Triumuiratu annus 27. Ab initio vero Monarchiæ, deuicto Antonio apud Actium annus 14. Denique iuxta rationem nu merandi Hispanorum æra 23.

Compendiũ vitæ Virginis.

Annus quo concepta est Deipara.

CHRONOLOGIA MARIÆ.

ANNI. Olymp.		ANNI. Mar.		ANNI. Her.	ANNI. Aug.	ANNI. V.C.
190	3		MARIA concipitur sexto Idus Decembris Nazarethæ à parẽtibus senibus, & sterilibus Ioachimo, & Anna.	17	14	737.
	4		Maria nascitur Nazarethę sexto Idus Septembris, æra 24.	18	15	738
191						
	1	1	Maria nutritur à matre Anna.	19	16	739
	2	2	Maria nutritur à matre Anna.	20	17	740
	3	3	Maria completis duobus annis, duobus mensibus, & 13. diebus 11. Kalend. Decembris præsentatur in Templo, vbi vndecim annos permansit.	21	18	741
	4	4	Maria degit in templo.	22	19	742
192						
	1	5	Maria degit in templo.	23	20	743
	2	6	Maria degit in templo.	24	21	744
	3	7	Maria degit in templo.	25	22	745
	4	8	Maria degit in templo.	26	23	746
193						
	1	9	Maria degit in templo.	27	24	747
	2	10	Maria degit in templo.	28	25	748
	3	11	Maria degit in templo.	29	26	749
	4	12	Maria degit in templo.	30	27	750
194						
	1	13	Maria dogit in templo.	31	28	751
	2	14	Maria 13. annorum 3. mens, & dierum ferme 18. circum festum Encœniorum mense Decembri Iosepho à Sacerdotibus despondetur.	32	29	752
			Maria anno 14. inchoato per sex			

menses,

ANNI. Olym.	Christ.	Mariæ.		ANNI. Hered.	Aug.	V.C.
			menses, & 17. dies 8. Calen. Aprilis, Christum concipit de Spiritu sancto. Mox digreditur ad Elisabetham, ex Ioanne iam sexto mense grauidam: cum qua peregit tres fere menses.			
			Maria redit Nazaretham appetente Ioannis ortu, & grauida deprehenditur à Iosepho.			
			D. Ioannes Baptista nascitur 8. Cal. Iulias.			
			Maria annorum 14. 3. mens. & 17. dierum Bethlehemi 8. Cal. Ianuarij parit IESVM filium Dei.			
			Maria Cal. Ianuar. Infantem circumcisum vocat IESVM.			
			Octauo idus Ianuar. adoratur a Magis.			
			Quarto non. Februar. à partu 40. purificatur Ierosolymis, & inde cum Infante, duce Iosepho, fugit in AEgyptum.			
3	1	15	Herodes quærens puerum ad perdendum eum, perimit innocentes.	33	30	753
4	2	16	Maria moratur in AEgypto.	34	31	754
195 1	3	17	Maria moratur in AEgypto. Ioannes Theologus nascitur.	35	32	755
2	4	18	Maria moratur in AEgypto.	36	33	756
3	5	19	Maria moratur in AEgypto. Herodi succedit Archelaus nouem annis.	37 arch.	34	757
4 196	6	20	Maria parat reditum in terram Israel.	1	35	758

ANNI. Olym.	Christi	Mariæ		ANNI. Herod.	Aug.	V.C.
1	7	21	Maria cum puero reducitur a Ioseph, qui timens Archelaum, secessit in Galilæam, & habitauit in Nazareth.	2	36	759
2	8	22	Maria moratur Nazarethæ.	3	37	760
3	9	23	Maria moratur Nazarethæ.	4	38	761
4	10	24	Maria moratur Nazarethæ.	5	39	762
197						
1	11	25	Maria moratur Nazarethæ.	6	40	763
2	12	26	Maria annorum 25. & 6. mens. ascendit ad Pascha secundum consuetudinem.	7	41	764
3	13	27	IESVS anno 11. & mens. 3. stupentibus omnibus, disputat in templo, cum Doctoribus. IESV Siæ Pontifice.	8	42	765
4	14	28	Maria degit Nazarethæ.	9	43	766
			Maria degit Nazarethæ.			
			Maria complet 29. annos die 8. Septembris: Christus annos 15. die 25. Decembris sequentis.			
			Rufus procurator Iudeæ pro Archelao.	Rufus		
198						
1	15	29	Augustus obiit die 19. Augusti mensis, cum Monarcha fuisset 44. annos demptis 14. diebus, quos erat completurus, die 2. Septembris. Succedit Tyberius, & imperat annis 21. m. 6. dies 26.	1 Va-le.	44 Ty-be.	767
2	16	30	Maria degit Nazarethæ.	1	1	768
			Valerius Procurator Iudeæ annis. 11.			
3	17	31	Maria degit Nazarethæ.	2	2	769
4	18	32	Christus fabrilem artem exercet.	3	3	770
199						
1	19	33	Maria degit Nazarethæ.	4	4	771

Maria

ANNI.				ANNI.		
Olym.	Chri.	Mar.		Iudæo.	Roma.	VC.
2	20	34	Maria degit Nazarethæ.	5	5	772
3	21	35	Maria degit Nazarethæ.	6	6	773
4	22	36	Maria degit Nazarethæ.	7	7	774
200						
1	23	37	Christus fabrilem artem exercet.	8	8	775
2	24	38	Maria degit Nazarethæ.	9	9	776
3	25	39	Maria degit Nazarethæ.	10	10	777
4	26	40	Maria degit Nazarethæ.	11	11	778
201			Maria degit Nazarethæ.	Pil.		
1	27	41	Pontius Pilatus Procurator Iudęæ, annis.10.	1	12	779
2	28	42	Maria degit Nazarethæ.	2	13	780
			Iosephus circum hęc tempora obiit.			
3	29	43	Maria vidua degit Nazarethæ.	3	14	781
			Ioannes ingressus. 30. annos ab. 8. Cal.Iulii, anno.15. Tyberii, incæpto die.19. Augusti, exorditur suum baptismum in Iordane.			
4	30	44	IESVS Mariæ valedicto secedit ad Iordanem. Vbi ingressus.30.annos per dies.13. sexta Ianuarii baptizatur. Ieiunat.40.dies, vsq; ad.15. Februarii; ac reliquum illius anni priuatus transigit in deserto.	4	15	782
202						
1	31	45	Mariæ precibus conuertit Christus aquam in vinum sexta Ianuarii, in Cana. Et inde cū matre secedit Capharnaum.	5	16	783
2	32	46	Maria à filio in Iordane baptizata integro anno commoratur Capharnai.	6	17	784
			Ioannes coniicitur in vincula ab Herode Antipa mēse Decembri. Christus à Iordane secedit Capharnaū suam ciuitatem: vnde totam per-			

ANNI. Olym.	Chri.	Mar.		ANNI. Iudæo.	Rom	V.C.
			Iuſtrat Galilæam.			
3	33	47	Maria cũ filio degit Capharnaũ vſq; ad Septembrem, quo aſcendit cum eo Ieroſolymam ad feſtum tabernaculorum.	7	18	785
			Ioannes pauloante Paſcha decollatur annorum. 32. menſ. 8. ideo Chriſtus ſecedit trans mare Tyberiadis.			
4	34	48	Maria adſtat filio crucifixo. 7. Cal. Aprilis.	8	19	786
			Mariæ triduo poſt à mortuis reſurgens apparet omnium primæ.			
			Maria adſtat filio. 40. die in cælos aſcendenti. 3. Non. Maii.			
			Maria die. 50. Idibus Maii repletur Spiritu ſancto.			
203			Petrus ſummus Chriſtianorum Pontifex à 25. Martii, quo Chriſtus mortuus eſt vſq; ad. 29. Iunii anni. 13. Neronis rexit eccleſiam annos. 34. menſ. 3. dies. 4.			
1	35	49	Maria degit Ieroſolymis.	9	20	787
			Paulus conuertitur die. 25. Ianuarii.			
2	36	50	Maria degit Ieroſolymis in Sion.	10	21	788
3	37	51	Maria degit in monte Sion. *Marcel.*	1	22	789
			Marcellus Procurator Iudeæ. *Agr.*		*Ca*	
			Maria degit in monte Sion.		*ius*	
4	38	52	Caius mortuo Tyberio. 17. Cal. Aprilis, anno eius. 23. incepto per. 7. fere menſes, imperat annos. 3. m. 10 d. 9. Herodes Agrippæ rex Paleſtinæ à Caio appellatus regnat annis. 7.	1	1	790
			Mariam hoc anno aſſumptam putat Anſelmꝰ, quod Paulus ex Damaſco			

rediens

ANNI. Olym.	Chri.	Mar.		ANNI. Iudæo.	Roma.	V.C.
			rediēs Ierosolymam post annos.3. non inuenit Ioannem.			
204						
1	39	53	Maria degit in monte Sion.	2	2	791
2	40	54	Maria degit in monte Sion.	3	3	792
3	41	55	Maria degit in monte Sion.	4	4	793
4	42	56	Maria degit in monte Sion. *Claud.*	5	1	794
			Claudius Caio occiso die.24.Ianuarii, Imperat annis.13.m.8.d.20.			
			Agrippam appellat vniuersæ Iudeæ regem:& regnat an.3.			
205						
1	43	57	Iacobum fratrem Ioannis altero die paschatis occidit Agrippa,& Petrũ coniicit in vincula.	6	2	795
			Mariam Herodis persecutioni cedēs Ioannes ducit Ephesum.			
			Mariam hoc anno assumptam existimat Hippolitus Thebanus.			
2	44	58	Maria Epheso reducta degit in Siō.	7	3	796
			Agrippa ab angelo percusso Herodes eius frat. rex Chalcidis accipit à Claudio potestatem Pontifices constituendi.	*He.*		
3	45	59		1	4	797
			Mariam hoc anno assumptam putat Euodius.			
4	46	60	Maria degit in monte Sion.	2	5	798
206			Mariam hoc anno assumptam putant			
1	47	61	Onuphrius,& Nicephorus.	3	6	799
2	48	62	Mariā hoc anno assumptā existimāt quidam apud Euseb. in chronico.	4	7	800
3	49	63	Maria degit in monte Sion.	5	8	801
			Herodes rex Chalcidis moritur.			
4	50	64	Maria degit in monte Sion.		9	802
			Petrus, pulsis Claudij edicto Roma Christianis, redit Ierosolymam, & Concilium celebrat.			

ANNI. Olym.	Chri.	Mar.		ANNI. Iudæo.	Rom.	V.C.
1	51	65	Maria degit in monte Sion.	1	10	803
			Agrippa iunior Agrippæ F. Rex à Claudio appellatur, regnat. 26. annis.			
			Paulus Athenis conuertit Dionysiũ Areopag. & Damarim.			
2	52	66	Maria degit in monte Sion.	2	11	804
3	53	67	Maria degit in monte Sion.	3	12	805
			Philippus Apostolus Hierapoli Asię crucifixus.			
4	54	68	Maria degit in monte Sion.	4	13	806
208			Maria degit in monte Sion.			
1	55	69	Bartholomæus Albanopoli paulò post Philippum martyrio coronatur.	5	14 Nero.	807
2	56	70	Maria degit in monte Sion.	6	1	808
			Nero, Claudio mortuo. 3. Idus Octobris, imperat annos. 13. m. 7. d. 28.			
3	57	71	Maria degit in monte Sion.	7	2	809
			Paulus Corintho venit Ierosolymam ad Pentecostem, comprehenditur, & coram Portio, & Agrippa sistitur, & quia Cæsarem appellauit, mittitur Romam, & incipit nauigare prope mensem Augustum.			
4	58	72	Maria virgo Deipara decessit die. 15. mens. Augusti, anno. 72. ætatis complendo die. 8. Septembris mox sequentis.	8	3	810
			Maria. 3. ab obitu die assumitur ab angelis in cælum, vbi exaltata super choros angelorum cæpit viuere, & regnare cum Iesu Christo filio suo. Anno ab orbe condito. 4145. ab			

initio

initio regni Dauidis anno. 1225. Olymp. 208. anno. 4. Ab initio monarchiæ Augusti, victo apud Actiũ Antonio. 87. Coss. Nero. 2. & L. Pisone, æra. 96. Anno à Christo nato 58. currente à Christo vero passo. 24. iam cõpleto die. 25. Martii, qui idem erat Petri Põtificatus annus. 24. cum mens. 4. diebus. 20.

LAVS DEO.

Et

Virgini Deiparæ.

CATALOGVS AVCTORVM, QVORVM TESTImoniis præfatam Deiparæ historiam comprobamus.



VO magis elucescat veritas, & vt omnis dubitationis scrupulus ex animis legentium remoueatur, placuit absoluto operi subiicere, suo ordine, nomina eorum auctorum, quorum testimoniis ea omnia, quæ diximus, cõfirmauimus. Hoc tamen discrimine, vt eos, qui omnibus noti sunt, & quorum auctoritatem temporum vetustate roboratam, nullus sanæ mentis audebit infringere, tantummodo indicemus, illorum ætate declarata: eos vero, qui leues ob causas fortasse, & incertæ fidei, & obscuræ auctoritatis à nonnullis iudicantur, præterea examinemus: ne dum in his, quæ multis etiam doctis, non satis comperta sunt, nostra diligentia desideratur, historiæ veritas, quam peruestigare curauimns, aliqua ex parte labatur. Exordiemur autem ab his, qui Christi aduentum præcesserunt, tum ceteros subiiciemus.

MOSES

1455 OSES Sacerdos,& propheta,legislator, & dux populi Israelitici, auctorq; Pētateuchi, natus. 80, annos antequã educeret Israelem de AEgypto.40.post exitum, & ante Christum natum.1455.120.annorum mortuus est.

705 MICHEAS Morastites prophetauit sub Ioatham, Achaz,& Ezechia, & anno fere. 705. ante Christum natum absoluit munus suum.

670 ISAIAS cœpit prophetare ab extremo tempore Oziç, & per tempora Ioatham, Achaz, & Ezechiæ vsq; ad Manassem per.90.fere annos, à quo tandem serra lignea disectus interiit. Vt ex communi Hebræorum traditione, & nostrorum opinione asserit Hieronymus in.57.cap.Isaiæ ad finem.670. annos ante Christum natum.

586 IEREMIAS sacerdos cœpit prophetare anno.13.Iosiæ Regis Iudæ vsque ad.11.Sedechiæ,quo capta est ciuitas,& vixit vsq; ad.3. aut. 4. annum captiuitatis, quo in AEgypto lapidibus à Iudęis obrutus,interiit anno.586.ante Christum natum.

270 SYBILLA Cumæa Berosi Chaldæi sacerdotis, & historici filia, Cumis in Campania sua oracula edidit. Sic Iustinus Philoso.& M.in parænetico ad gentes, anno ante Christum natum. 270. nam Berosus suam historiam Chaldaicam dicauit Antiocho Seleuci Nicanoris filio, vt ait Tatianus oratione contra Græcos,qui regnabat anno.33.Seleucidarũ, & 47.à morte magni Alexandri, anno ante Christum natũ. 276. Refert eius oracula Virgilius Egloga.4.& ex eo Cõstantinus in oratione habita ad cœtum sanctorum,& Augusti.in expositione inchoata Epistolę ad Romanos:quamuis Ammianus Marcellinus in historia hãc facit Euandri matrem, cuius oracula Iulianus apud Ethnam igni tradidit:atque ita ad tempora Iudicum Israel refert eius ætatem. Et confirmat quod Iustinus eo loci,dicit,Platonem eius meminisse in Memnone; Plato autẽ ex Eusebio in chronico, cũ natus

esset

esset anno.4.Olymp.88. mortuus est. 80. annorum, anno vltimo Olymp.108.ante Christú natum.344.

19 TITVS Liuius Romanus historicus floruit, secundum Casiodorum in chronico, Augusti temporibus, & ad annum eius.41.texuit historiam: decessit autem è vita.4.anno Tyberii,Christi.19.ex Eusebio in chronico.

34 APOSTOLI symbolum constituerunt anno ipso.34. Christi, post Spiritus sancti aduentum, dum adhuc simul essent. Vt probamus c.18.n.6.

41 MATHAEVS Apostolus, & euangelista primus omnium Iudæis euangelium Hebraice conscripsit anno 41.Christi.Euseb.in chronico,& lib. 5.hist. cap. 10. Hieronymus in catalogo.

45 MARCVS Euangelista anno.45.Christi iam iam Alexandriam profecturus Romæ iussu Petri, suum edidit Euang.ex Eusebio in chronico, Athanasio in synopsi,Hierony.in catalogo,Euthymio præfat.in Mathæum. Martyrio est coronatus. 8. Neronis anno, Christi.63.ex Eusebio lib.2.histor.c.23.& Hierony.

57 LVCAS Euangelista scripsit euangelium in Achaiæ, & Beotiæ partibus,auctore Hieronymo præfatione in Mathæú, contra Pseudoapostolos Cerinthú,& Merinthum,auctore Epiphanio hæresi.51. anno. 2. Neronis,Christi.57.Romæ vero Acta Apostolorú vsq; ad 4.Neronis annú. Vixit 84.annos ex Hieronym.in catalogo.

63 IACOBVS frater Dñi ordinatus est Episcopus Ierosolymitanus ab Apostolis anno Christi.34.iuxta Eusebi. in chronico, aut 35.iuxta alios,die 27.Decébris, auctore Beda in Martyrolo. rexit eã ecclesiã 28. annos,vsq; ad 7.Neronis, iuxta Euseb. & Hierony. in catalogo,Christi 63.scripsit liturgiam,quã agnoscit, & probat Proclus Patriarcha Constantinop. qui in synodo Ephesina contra Nestorium dimicauit; & sexta Synodus Constantinopolytana Can. 32.

66 PHILO Iudæus legatione functus pro suis gentilibus

anno 40. Christi ad Caium, vt notat Euseb. in chronico, sub Claudio Romæ cõuersatus est cum Petro, auctore Hierony. in catalogo; & cum ex communi sententia scripserit vitam christianorum sub Marco Alexandriæ degentium, in lib. de vita supplicium, sequitur vixisse, vt minimum; vsq; ad finem Marci. Hic autem creatus est Episcopus Alexãdrinus anno 3. Claudii, Christi 45. & permãsit vsq; ad 8. Neronis, Christi. 64. ex Euseb. in chronico, & Hierony. in catalogo. Ad hũc ergo annum, vel 66. peruenit Philo.

68 PAVLVS Apostolus natus eodem, quo Christus, anno, cœpit scribere ad ecclesias anno Christi 52. & extremam è vinculis scripsit epistolam anno 58. aut 59. decessit autem capite plexus ætate 68. annorum, ãuctore Chrysostomo homi. de principibus Apostolorum, anno 13. Neronis, Christi 68.

70 ANDREAS Apostolus post Petrum martyr est effectus, vt auctor est Chrysostomus oratione in. 12. Apostolos, & sermone de sancto Andrea, ac sic circa annum 70. Christi, quamuis Onuphrius. 7. Neronis anno, Christi 62. adsignat Andreæ necem. Referuntur aliqua eius dicta in epistola scripta à presbyteris, & Diaconis Achaiæ de eius martyrio.

71 EVODIVS Primus post Petrũ episcopus Antiochiæ, tenuit episcopatũ 26. annis, ab anno 45. Christi, vsq; ad 71. quo sucessit ei Ignatius, ex Eusebio in chronico. Scripsit commentaria quædam, & epistolam Phos dictam. quæ refert Nicephorus lib. 2. histor. ecclesf. c. 3.

97 IOSEPHVS sacerdos natus anno Christi. 42. vixit 56. annos, vsque ad 14. Domitiani, vt ipse ait libro vigesimo Antiquita. in peroratione: qui erat annus Christi iuxta Euseb. 97. eius scripta notissima sunt.

102 IOANNES Apostolus, & Euangelista natus anno 3. Christi: reuocatus ab exilio. 1. Neruæ anno, Ephesi conscripsit euangelium cum 90. esset annorum, ex Euseb.

Euseb.lib.5.histor.c.8.Epiphan.hæresi. 51. decessit anno 3.Traiani,68.post passioné Domini, & 102. à natiuitate,ex Eusebio in chronico, & Hierony. in catalogo.Vixit ergo 99.annos.

103 CLEMENS Romanus, iuxta Hierony. in catalogo peruenit ad 3.annũ Traiani,Christi.103.quãuis Onuph.obiisse dicat anno Vespasiani 7. Christi 77. fertur auctor constitutionum apostolicarum, quarum auctoritatem noster tuetur Turrianus.

111 IGNATIVS Euodii successor tenuit Episcopatum Antiochenũ 41. annos à 71.Christi vsq; ad 111.Traiani 11.auctore Euseb.in chronico,& Hierony. in catalogo.Fuit cũ Papia, & Polycarpo Ioannis auditor, vt notat idem Eusebius anno 103.scripsit,præter 14. epistolas, quarum inconcussa est auctoritas, & alias quasdam ad Ioannem,& B.virginem,quas refert Tritem.de quarum auctoritate in vicesimo tertio huius operis capite late diximus.

111 CORNELIVS Tacitus sacerdotis, & Prætoris munere functus est sub Domitiano,vt ipse ait li.11.Annal.pag.292.fuitq; orator clarissimus sub Adriano: & Plinio secundo familiaris.Hic autem Traiano cóciliauit Christianos anno Christi 111.vt ait Eusebius in chronico. Ad húc ergo annum putatur Cornelius peruenisse.

114 DIONYSIVS Areopagita natus est anno 10. Christi,siquidem 25.annum agebat cum vidit eclipsim in morte Christi anno eius trigesimo quarto,vt ipse ait in epistola ad Apolophanem. Conuersus est à Paulo anno Claudii decimo,Christi 52. cum esset 43. annorum, ex Eusebio in chronico. Adfuit decessui virginis 48.annorum,anno Christi 58. Occiso Petro profectus Romam à Clemente Pontifice missus est in Gallias, Galliarum apostolus factus ab anno 78.Christi,vt vult Onuphrus,vel à 103.mortuo Clemente,vt colligitur ex Eusebio, vsq; ad martyriũ Ignatii anno Christi 111. nâ lib. de diuinis nominibus

cap.4.affert teſtimonium ex epiſtola, quam Ignatius ex itinere miſit ad Romanos, anno.11. Traiani. Vixit ergo vt minimum, vſque ad 112. aut 113. annum Chriſti, & Traiani 14. cum eſſet. 105. annorum.

122 PLVTARCHVS Cheronæus cœpit inſignis haberi anno 14. Neronis, Chriſti 70. fuitque Traiani magiſter, qui cœpit imperare anno Chriſti. 101. viuebat anno Chriſti 122. Adriani. 7. ex Euſebio in chronico.

140 SVETONIVS Tranquillus ſcripſit vitam Domitiani, fuitque magiſter literarum Adriani, qui cœpit imperare anno Chriſti. 120. vſque ad 140. ex Euſebio. Adhunc ergo annum creditur perueniſſe.

142 LVCIVS Florus in prologo ſuæ hiſtoriæ ſic ait; ab Auguſto in ſeculum noſtrum ſunt non multominus anni. 200. quibus inertia Cæſarum, quaſi conſenuit, atque decoxit, niſi quod ſub Traiano principe mouet lacertos. De imperio loquitur. Videtur hæc ſub Traiano ſcripſiſſe, qui imperauit, iuxta Euſebium, vſque ad annum Chriſti. 119. qui eſt annus. 158. ab initio Monarchiæ Auguſti, à primo vero eius ſeu conſulatu, ſeu Triumuiratu. 160. completur autem annus. 200. à primo conſulatu Auguſti, anno Chriſti. 159. qui erat decimus nonus Antonini Pii, vſque ad cuius initium videtur Florus vixiſſe, nempe ad annum Chriſti 142.

170 IVSTINVS Philoſophus, & martyr, auctore Hieronymo in catalogo, librum aduerſus gentes obtulit Antonino Pio, filiis eius, & ſenatui, in quo mentionem facit anni. 150. Chriſti, qui eſt 12. Antonini Pii Coſſ. Orfito, & Priſco. Dedit aliam orationẽ M. Antonino vero, & Lucio Aurelio Commodo, ſub quorum perſecutione excitata ad annum Chriſti. 170. vt notat Euſebius in chronico, dolo Creſcentis

Cynici

cynici martyr effectus est, vt habet Romanum Martyrologium.

175 TATIANVS Iustini discipulus Encratitarum erroris auctor, floruit sub Antonino vero, & L. Aurelio Commodo, ad annum illorum. 12. Christi. 175. iuxta Euseb. & Hieronym. in catalogo. Scripsit concordiam quatuor Euangeliorum, Diatessaron appellatam, vt referunt Epiphan. hæresi. 46. & Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum, quam agnoscit, & probat Victor Episcopus Capuanus in eius præfatione.

180 EGESIPPVS degit Romæ cum Pontifice Aniceto, & vt ait Hieronymus in catalogo, peruenit vsque ad Eleutherium, qui fuit Pontifex ad annũ. 180. Christi, vt signat Eusebius. Fragmenta eius quædã refert Eusebius, & ex ipso Nicephorus. Putatur à multis, vt à Tritemio, auctor librorum de excidio Ierosolymitano: Eius fragmenta quamuis Iunioris alterius eiusdem nominis esse docti existimẽt, qui post tempora Constantini Græce scripsit.

205 IRENEVS Lugdunensis Episcopus floruit sub Commodo Imperatore ad annum. 185. & 199. vt notant Eusebius in chronico, & Hieronymus in catalogo. Passus autem est in Seueri persecutione, vt dicitur in martyrologio Romano, excitata anno decimo Imperii, Christi. 205. vt notat Eusebius.

219 CLEMENS Alexandrinus Pantheni discipulus, floruit Seueri, & Antonini filii eius temporibus, auctore Hieronymo in catalogo, ad annum Christi. 197. & 206. vt signat Eusebius, peruenit ad finem Antonini, Christi. 219.

221 TERTVLLIANVS Afer natus est sub Antonino Imperatore, & Aniceto Pontifice, anno Christi. 159. Anno. 198. iam quadragenarius conuersus est ad fidẽ Christi, sub Seuero Imperatore, & Victore Papa. Habebatur insignis ad annũ Christi. 210. iuxta Eusebiũ,

cum esset.52. annorum. Peruenit ad.63. annos, Christi.221. vt colligit Pamelius in eius vita, imo ad ætatem decrepitam ait Hieronymus in catalogo. Multi dolent eum in hæresim lapsum: sed consolatur eos Pacianus Barcinonensis Episcopus, qui epistola tertia ad Sympronianum, ad fidem reuersum ait confessum fuisse, posse Ecclesiam peccata dimittere. Quanti autem sit faciendus Pacianus docet Hieronymus in catalogo.

224 IVDAS HAKADOS scripsit librum, seu epistolam mysteriorum ad Antoninum vrbis Romæ consulem. Quem librum hac leui ratione quidam reiiciunt, quod nullus consul in fastis reperiatur eiusmodi nominis, eo tempore, quo liber dicitur scriptus. At certe etiam si cum Galatino dixerimus libro septimo de arcanis catholicæ veritatis capite duodecimo ante Christum hunc auctorem vixisse, non est quod ea ratione reiiciatur, cum ex Suetonio in Domitiano, & Dione Casſio lib. 43. & aliis, constet, duplices fuisse Romanis consules, ordinarios quosdam, qui creabantur ex more, Calendis Ianuariis; & quorum nomina designabantur in fastis: & honorarios alios, qui in locum illorum, aut alicuius demortui sufficiebantur, & horum in fastis nulla mentio fiebat. Potuit ergo quispiam huiusmodi consul fuisse Antoninus nomine, qui, quod non subputetur in fastis, ideo non nominetur. Si vero, quod certius est, dicamus nepotem fuisse Gamalielis, vt notat Genebrardus in notis chronicis in secundo seculo, & scripsisse illam epistolam ad annum.120.ab vrbis excidio, Christi. 190.vt ex Sederolam, & aliis, notat idem in chronographia libro secundo, pagina.152.& libro tertio, pagina.198. cõstat per ea tempora multos gesſisse consulatus, qui hoc nomine vocabantur, vt fuere Commodus Antoninus, & AElius Adrianus Antoninus, ad quorum vnũ potuit eum librũ scribere. Fuit enim Charus Seuero,

& Antonino Imperatori, qui Iudæos plurimum dilexerunt, vt scribit Hieronymus in.11. Danielis. Et vixisse videtur tempore Aurelii Antonini Caracallæ ad annum Christi. 224. non ergo ob dictam rationem, fas est eum reiicere, quem honoris gratia Rabbenu HaKadosch, hoc est magistrum nostrum sanctum, Hebræi nominant.

224 IVLIVS Africanus legatione functus est pro condenda Emmaus sub M. Aurelio Antonino, vt ait Hieronymus in catalogo, anno eius.4. Christi. 224. secundum Eusebium. Huius epistolam ad Aristidem de genealogia Saluatoris refert Eusebius lib.6. historię eccles. c.24. & se eam legisse ait Hieronymus in catalogo.

232 DION Casſius Sempronianus scripsit historiam Romanam ab V. C. vsque ad annum Christi. 232. qui erat nonus Alexaudri Mammeæ filii, cum quo fuit consul ordinarius, vt ipse dicit in fine vitæ Alexandri, nempe anno eius octauo, vt signat Onophrius; vel septimo, vt Casſiodorus; cum prius fuisset etiam consul cũ Mar. Attilio, anno.12. Antonini Pii, Christi.192.

242 AMMONIVS Alexandrinus Origenis præceptor, auctore Porphirio apud Euseb. lib. 6. historiæ c.15. & Nicephorum lib.5. cap. 13. floruit sub Alexandro Mammeæ filio, anno Christi.224. aut. 225. aut sub Gordiano, vt vult Onuphrius, anno Christi.242. Hieronymus in catalogo eodem cum Origene tempore ait vixisse. Victor Episcopus capuanus prefatione in harmoniam euangelicam Tatiani, tom.7. bibliothecæ sanctorum, refert Eusebium in epistola ad Carpianum, scribentem, ab hoc Ammonio contextam quatuor euangeliorum harmoniam. Quod ipsum affirmat Tritemius in Ammonio.

258 ORIGENES natus est anno.7. Commodi, Christi 189. nam.10. Seueri Christi. 205. à patre relictus est annorũ.17. peruenit vsq; ad Gallum, & Volusianum;

imo vſque ad ſecundum Valeriani, & Gallieni, qui erat Chriſti.258.quo compleuit. 69. annos, & mortuus eſt Tyri. Ex Hieronymo in catalogo.

259 CYPRIANVS Carthaginenſis Epiſcopus paſſus eſt anno.3.Valeriani,& Gallieni,Chriſti. 259. ex Euſebio in chronico,Hieronymo in catalogo.

260 ZENO Epiſcopus Veronenſis,& martyr paſſus eſt in perſecutione Valeriani, & Gallieni, quæ contigit anno quarto Imperii eorum, Chriſti. 260. iuxta Euſebium. Scripſit multos ſermones ad populum: quos alteri Zenoni, Veronenſi item Epiſcopo, qui viuebat tempore Ambroſii, vt conſtat ex ipſo, lib. 6.epiſto. 46. ad Syagrium Veronenſem Epiſcopum illius ſucceſſorem,nonnulli tribuunt:alii aliis auctoribus.

317 PETRVS Alexandrinus Epiſcopus, creatus eſt Epiſcopus anno.17. Diocletiani, Chriſti. 304. ſecundum Euſebium; martyrio coronatur ſub Maximino, anno perſecutionis. 9. Chriſti. 317. iuxta eumdem. Scripſit canones eccleſiaſticos, quos refert Theodorus Balſamon,receptos in ſexta ſynodo Actione prima.

340 CONSTANTINVS Magnus natus eſt anno 5.Aureliani Imperatoris,Chriſti.278.cœpit imperare anno Chriſti.312.imperauit.32.annos,paucis menſibus exceptis,vt ait Euſeb.lib.4.vitæ Conſtantini c. 53.finiuit anno.340.cum.64.vixiſſet annos ſecundũ Euſebium ibi,& in chronico,aut.66.vt ait Hieronymus in chronico. Extat eius oratio habita ad cœtum ſanctorum,apud Euſebium in fine lib.4.de vita Cõſtantini.

346 EVSEBIVS Cæſarienſis Conſtantini familiaris, vixit & ſub filio eius Conſtantio, ſecundum Hierony.in catalogo,prope annũ eius.4.aut ſextum Chriſti.346.

356 EVSEBIVS Emiſſenus floruit ſub Conſtantio, anno eius decimo,& ſub eo mortuus eſt ſecundum

Hieronymum in chronico, & in catalogo. Vixit vltra annum 16. Constantij, Christi 356. Hic breues, sed plurimas, edidit homilias in Euãgelia, vt ait ibi Hieronymus, & eius nomine circumferuntur, vt notat Tritemius: aliqui tamen existimãt esse Eucherij Lugdunensis Episcopi: sed cuiuscumque sint, magnã ab auctore suo nasciscuntur auctoritatem.

366 DOROTHEVS Episcopus Tyri, anno 6. Valeriani, & Gallieni, Christi 262. natus est, & sub Iuliano 150. annorum, anno Christi 366. martyrio est coronatus, secundum Anastasium in chronico. Fertur auctor libri, qui Dorothei synopsis dicitur, cum in Grę corum Menologio 18. cal. Maij, à Romano quodam Dorotheo liber scriptus dicatur.

370 TITVS Bostrensis Episcopus floruit sub Iuliano, & Iouiniano, & mortuus est sub Valente, meminit eius Hieronymus in catalogo, & Nicephorus lib. 14. cap. 52. obiit ad annum 369. aut 370. scripsit commentaria in Euangelia, vt ait Tritemius, & præcipue in Lucam, quæ extant.

372 HILARIVS Pictauiensis Episcopus, natus est sub Cõstantino, factus Episcopus in exilium missus est anno Constantij 18. Christi 358. vbi anno 361. composuit libros de Trinitate. Dedit librum Constantio anno eius 24. Christi 364. mortuus est Valentiniano, & Valente regnantibus anno 5. & Christi 372. ex Hieronymo in chronico, & catalogo.

377 ATHANASIVS Alexandrinus Episcopus creatus est 24. anno Constantini, Christi 333. functus sacerdotio 46. annis, obiit anno 10. Valẽtis, Christi 377. ex Hieronymo in chronico, & in catalogo. Extat huius sancti Patris sermo de sanctissima Deipara, qui tamquam nothus reprobatur, quod in eo mentio fiat erroris Nestorij, duas personas in Christo statuentis: quem scimus multo post, tempore iunioris Theodosij vixisse, & hanc hęresim vomuisse. Verum præterquam quod Michael Glycas ante 500. annos, & Ro-

maña Ecclesia, in officio de Assumptione, Athanasij eum sermonem agnoscit, lenis hæc ratio est, propter quam reiicitur, cum potuerit hæc hęresis à tempore Athanasij pullulare, & postea à Nestorio roborari, ac demum damnari in Concilio tot Episcoporum, vt re ipsa contigisse vnus testis est fidelissimus Ambrosius, qui libro de Dominicę Incarnationis sacramento, cap. 6. huius hæresis meminit, & eã refutat: vixit autem Ambrosius multo ante Nestorium, vt constat: non mirum ergo si dum Nestorium non nominat, hęresis tamen ante subortę meminerit Athanasius.

Ambrosi⁹ hæresis Nestorij meminit.

379 VALENTINIANVS Imperator, cœpit imperare anno Christi 368. & mortuus est anno 379. secundú Hieronymum in chronico, refert eius Epistolam ad Episcopos Asiæ, Theodoretus lib. 4. hist. Eccles. c. 7.

380 EPHREM Syrus Iacobi Nysibeni discipulus, & Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, mortuus est sub Valente Imperatore: ex Hieronymo in catalogo, ad annum 380.

382 BASILIVS Magnus cepit Episcopatum Cesareæ, anno 374. sedit annos 8. & 9. inchoato, secundum Gregoriũ Nyssenum epistol. ad Olympiũ Monachú de vita S. Macrinæ, & Nazian. in epitaphio; extincto Valēte moritur sub Gratiano, vt ait Hieronymus in catalogo, nempe anno 382. secundum Prosperum in chronico: in exordio enim Theodosij Helladius Basilij successor erat in Cōcilio Constantinopolitano.

389 CYRILLVS Episcopus Ierosolymitanus creatus est anno Domini 352. & cum per 38. annos sæpe fuisset à sua pulsus Ecclesia, per 8. extremos annos durauit inconcussus vsque ad 8. Theodosij, Christi 389. quo mortuus est. Ex Hieronymo in chronico, & catalogo, & Onuphrio.

390 GREGORIVS Nazianzenus natus est sub Diocletiano, anno 300. Christi, obiit anno 13. Theodosij ad 90. annos, & vltra prouectus, vt ait Philostorgius

gius in historia, relatus à Suida, qui est Christi 391. quamuis Hieronymus in catalogo, loquens de se, anno 14. Theodosij, Gregorius, inquit, Nazianzenus decessit ante hoc ferme triennium, sub Theodosio Principe, nempe anno 12. Christi 390. aut 391.

394 GREGORIVS Nyssenus Episcopus, frater Basilij, anno 14. Theodosij florebat, vt indicat Hieronymus in catalogo: vixit, vsque ad vltimam senectutem, interfuit enim illi synodo Constantinopolitanæ, quæ celebaata est anno 16. Theodosij Imperat. qui erat annus Domini 394. vt patet ex actis illius apud Theodorum Balsamonem in nomoca. Photij.

391 PRVDENTIVS Poeta Hispanus, floruit sub Gratiano Imperatore, anno 380. secundum Tritemium, vel ad finem Theodosij, anno Domini 395. secundũ Onuphrium.

399 AMBROSIVS matura ætate ordinatus Episcopus Mediolanensis, Gratiano, & Equitio Coss. anno 11. Valentiniani, Christi 378. secundum Hieronymum in chronico: florebat anno Theodosij 14. eodem auctore in catalogo. Tenuit Episcopatum 21. annos, nam obiit Cæsario, Attilioq; Coss. quos Prosper adsignat anno Christi 399. quo ait Onuphrius successisse illi Simplicianum.

399 EVAGRIVS Monachus Macharij AEgyptij discipulus vixit longa ætate, vt ait Gennadius in catalogo: floruit anno 399. vt notat Prosper in chronico. Censetur auctor lib. 1. vitas Patrum, qui Hieronymo falso tribuitur, vt satis plane colligitur ex ipso Hieronymo Epistola ad Ctesiphontem, & nos alias cõprobauimus: & agnoscunt Gennad. & Tritemius. Et si non immerito integrũ librum illum Petronio Bononiensi Episcopo nonnulli tribuant, tamquam cõpilatori vt nos disserimus in Apologia pro libro illo.

400 SOPHRONIVS Hieronymo familiaris, cũ in Græcam linguam transtulerit illius opuscula, etiam catalogum, vt ait ipse Hieronym. qui ad 14. Theodosij perue-

peruenit, ad eum annum, vt minimum, vixit, Christi 392. imo ad 400. librum, seu epistolam de Assumptione Mariæ ad Paulam, & Eustochium scriptam, à veteribus, vt Illefonso serm. 5. de Assumptione Virginis, & Tritemio lib. de scriptoribus Ecclesiastic. Hieronymi putatam, recentiores Sophronio tribuerunt; quod ab stylo Hieronymi longe absit: at non desunt, qui nec Sophronio velint tribui, sed impostori alicui, tum quod Nestorij hæresis meminerit, qui postea vixit; & sepulcri Virginis, cuius nulla apud Hieronymum reperitur mentio: tũ quod de Mariæ Assumptione dubitet. Verum hæ rationes non cogunt auctoritatem adimere libro illi. Nam quod Nestorij hæresis meminerit, non nominati, nihil repugnat, vt supra in Athanasio probauimus. Nec quod Hieronymus sepulcri Virginis vsquam meminerit, cum nec in locis Hebraicis, nec in Epitaphio Paulæ, vbi ex professo de his agit, vllam fecerit mentionem Christi sepulcri adeo noti: nec opus est rerum omnium meminisse. Quid vero mirum si de Assumptione Virginis dubitauerit tunc Sophronius, cum adhuc incerta res erat? Dubitauit Illefonsus eum secutus, sermon. 6. de Assumptione: dubitauit & Fulpertus Carnotensis Episcopus, qui vixit anno 1010. Christi, vt notat Tritemius, sermo. 35. de sanctis, Augustino falso tributo, nam in eo facit mentionem Isidori, qui multo post vixit: dubitauit & Beda libello de locis sanctis cap. 6. & Ado Treuerensis, & alij. Sic enim etiam in rebus fidei res fert, vt quæ dubia prius circumferebantur maiori luce diuinitus concessa, explicentur postea.

De Assumptione Virginis dubitatum olim.

404 ANASTASIVS Pontifex, cepit Pontificatum anno 402. & finiuit anno 404. secundum Prosperum in chronico. Refertur eius ad Vrsinum Epistola in additionibus ad breuiarium liberati de causa Nestoriana 2. tomo concil. pag. 124. sub Vigilio Papa, qui vixit anno Christi 540.

Paula

406 PAVLA cum Eustochio scripsit vnam epistolam, inter epistolas Hieronymi 17. obiit Paula Honorio 6. & Aristeneto Coss. auctore Hieronymo Epistol. 27. ad Eustochium: qui iuxta Prosperū in chronico fuerunt Consules 9. Archadij, & Honorij, anno Christi 406. Eustochium autem obiit anno 419.

406 EPIPHANIVS Episcopus, natus est sub Diocletiano, anno Christi 295. natus 65. annos creatur Episcopus Salaminę Cypri, sub filiis Constantini, anno Domini 357. Anno 14. Theodosij, auctore Hieronymo in catalogo, Christi 394. in extrema erat senectute. Obiit in via, cum, Constantinopoli redibat in Cyprum, ipso anno, quo Chrysostomus in exilium actus est, qui erat 9. Archadij, & Honorij, Christi 406. cum Episcopus fuisset 50. annos, & tres mēses, natus 115. annos. Ex Ioāne eius discipulo, in vita illius, & Græcorum menologio.

409 IOANNES Chrysostomus tertio anno postquam ex actus est Episcopatu, Honorio 7. & Theodosio 2. Coss. auctore Socrate lib. 6. histor. Eccles. cap. 19. & Christi secundum Prosperum 409. obiit in exilio, natus 53. annos.

410 AVCTOR Imperfecti in Mathęum vixit eo ipso tēpore, quo Chrysostomus. Insinuat homil. 37. & 49. se post tempora Theodosij scripsisse, nempe sub Archadio, & Honorio, forte ad annum 410.

420 SEVERVS Sulpitius Martini Turonensis discipulus claruit sub Archadio, & Honorio Principibus, anno Domini 420. secundum Tritemicum, scripsit inter alia chronicon, vt ait Gennadius.

422 HIERONYMVS Presbyter natus est sub Constantio Imperatore, vt ipse asserit super 3. cap. Habacuch: obiit pridie Cal. Octobris, Honorio 13. & Theodosio 10. Coss. anno Christi 422. vt notat Prosper in chronico. Hieronymo tribuunt multi, vt Anselmus lib. de excellentia B. Mariæ, cap. 2. Tritemius lib. de scriptor. Eccles. & qui sacrum sanctæ Annæ officiū

compo-

composuere, deniq; vulgus vniuersum, librum illũ, qui sub nomine Epistolæ ad Heliodorum, & Chromatiũ Episcopos scriptę, in tom.4. operũ illius olim, nunc in tom.9. continetur, de ortu, seu de natiuitate Mariæ: quem vindicare operæprecium est, à quocumque tandem confectus sit, à morsibus eorũ qui eius auctoritatem eleuare contendunt. Insurgit Canus, lib. 11. de locis, cap.6. fabulam vocans insulsam æque, ac barbaram. Senensis libro secundo Bibliothecæ in Mathæo, commenta dicit esse Valentinorum, & Gnosticorum, & aniles illas fabulas, quas Ireneus, & Epiphanius contra illos hæreticos differentes, ex ipso volumine refellunt; & Gelasius Pontifex in celebri illo decreto, sancta Romana, hac nota hũc librum inurit: liber de Natiuitate Saluatoris, & de sancta Maria, & obstetrice Saluatoris, apocriphus: vt merito imperitiæ damnetur auctor, qui in eo condendo, & conscribendo non nouerit aperta vitare mendacia, dum inquit, illis temporibus, quibus ea acciderunt, Issachar summum fuisse Pontificem, cum clarius ipsa luce habeatur notum ex Iosepho lib. 15. antiquitat. cap.12. Simonem Boethi Alexandrini filium, Herodis socerum, tunc functum pontificatu. Hæc sunt, vt arbitror, quæ libri huius derogant fidem, & reddunt obscuram auctoritatem. Verum, vt demus his, librum hunc à maioribus, à viris religiosissimis, vt habetur in præfatione, per manus acceptum, à beato Hieronymo non fuisse traductum, sed ab ignoto quodam, & innominato auctore, pio illo quidem, & satis vetusto, & in hoc non minus prudenti, quod cum historiam dubiam esse pronunciet, at liquido falsam non audeat affirmare: quæ ratio patitur vt insulsa fabula nominetur, ac barbara; & anialia hæreticorum continere figmenta existimetur libellus hic, si de eo loquuntur, in quo nihil legitur modo, vel à ratione alienũ, vel quod sanctissimorum, & grauissimorum Patrum non possit illustri

Liber de Natiuitat. Mariæ cur renciatur?

Liber de natiuitate Mariæ defenditur.

illustri auctoritate firmari: Epiphanij videlicet, Gre-
Epiphan. gorij Basilij fratris, Auctoris imperfecti in Mathæũ,
Nyssenus. Germani, Damasceni, Simeonis, & aliorum, quos
Auctor in suo loco retulimus: quorum testimoniis, dum hanc
perfecti. nostram historiam comprobamus, illam simul com-
German. probari gaudemus. Sane cum Epiphanius heresi 79.
Damasce. sic loquitur. Tametsi enim historia Mariæ, & tradi-
[illegible] tiones habent, quod dictum est patri ipsius Ioachim
in deserto, vxor tua concepit: & cum Gregorius Nys
senus oratione in diem natalem Domini, sic ait, Vir-
ginis pater, vt ex historia quadam incerti auctoris
accepi, fuit insignis quidam ciuis: & cum referens
Simeon Metaphrastes, oratione de ortu, & dormi-
tione Mariæ, audiui, inquiens arcanam quamdam,
& occultam historiam de ea hæc narrantem: & de-
mum cum Auctor imperfecti in Mathæum, sic dicit
homilia prima. Nam sicut historia quædam non in-
credibilis, neque irrationabilis docet, quando gesta
sunt quæ refert Lucas, Ioseph absens erat: non aliam
significant historiam quam hanc, in qua omnia illa,
quæ referunt, proculdubio reperiuntur. Cum au-
tem cetera, quæ in hac historia leguntur, omnia pe-
ne, vno, aut altero excepto, a grauissimis auctori-
Euodius. bus referantur, Euodio, Andrea Cretensi, Georgio
Andreas. Nicomediensi, Germano Constantinopolitano, Da
Georgius. masceno, Simeone, & Nicephoro, aliisque supra re-
Germanus latis, vt per sex priora huius operis capita poteris
Damasce. animaduertere: non est cur fabula nominetur, &
Simeon. figmentum hæreticorum iudicetur; sed historia di-
gna, vel in primis, cui fides iure optimo tribuatur:
ex Hebræo à Græco aliquo Græcis communicata,
& Latinis à Latino, qui Hieronymus esse existima-
tur. Esse vero hanc ab illa diuersam historiam, quæ
aniles hæreticorum fabulas continet, vel ex hoc vno
certum fit, quod Epiphanius, qui loco dicto histo-
riam Mariæ refert, & probat, hæres. 26. aduersus Gno
sticos, refert librũ alium dictũ, styrps Mariæ, ex quo
horren-

horrendum illud recenset de nece Zachariæ patris Ioannis, quod populo detexerit hominem asini forma in templi adytis confidentem: impiam certe fabulam ex Cornelio Tacito ortam, vt auctor est Tertullianus in apologetico ad gẽtes, cap. 26. aut potius ex Posidonio, & Apollonio; quos mendacij redarguit Iosephus lib. 2. contra Apionem. Ex quo etiam videtur desumpta anilis illa confictio, quam refert Irenæus lib. 1. aduersus hæreses. c. 17. de Christo puero sub magistri ferula discente alphabetum; & quam ex Zenone referimus in hac historia cap. 7. num. 9. de obstetrice. Ex quo manifeste colligitur eum librum, in quo eiusmodi figmenta narrãtur, esse quem Gelasius damnat, vt apocriphum, non hunc, de quo decertamus. Alias autem multi sunt libri de hac re compositi, vt auctor est Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus, de vita Virginis, sed parum sincere, quos reprobare posset Gelasius, vt liber Iacobi cuiusdam Hebræi, qui auctor existimatur pseudoeuangelij de natiuitate Mariæ, continentis eius historiam, vsque aduentum Magorum, cuius meminit Sixtus lib. 2. in Iacobo: & indignum illud refert ex eo, Iosephum nẽpe, & Mariam stupri, & sacrilegij accusatos, ex decreto sacerdotum fuisse adactos ad bibendum poculum redargutionis, quo Moses iussit explorari feminas innocentes de adulterio suspectas. Et liber Aphrodisiani Persæ, Ioannis Tessalonicensis, & alterius Ioãnis falso cognomento Theologi: scripsit etiam, & Seleucius Manichæus, & passiones Apostolorum, & librum de natiuitate Mariæ, in quo multa non vera de corde suo confinxit. Leucium vocat Gelasius, dũ damnat omnes eius libros in capite dicto: & Innocẽtius Epistol. 3. ad Exuperium, itemque Augustinus lib. de fide contra Manichæos cap. 38. ex quo Faustus, & ipse Manichæus, suos de Maria Virgine, quod fuerit de styrpe Leuitica, apud Augustinum lib. 23. cõtra ipsum, cap. 9. mutuatus videtur errores. A quibus

Cornelius Tacitus. Tertullia. Iosephus. Ireneus. Zeno. Libri varij de histor. Mariæ reprobi. Gelasius. Innocenti. Augustin.

bus omnibus quam sit liber hic diuersus, qui historiam Mariæ contextam habet, aut traductam, de qua est nobis sermo, ipsemet auctor eius, satis superque, & ipsa narratio manifestat. Quod vero tandem imperitiæ damnatur, quod manifesta non nouerit vitare mendacia, iniuste quidem cum auctore agitur, cum Issacar non summum esse dixerit, sed Pontificem: at multos præter summum ex Sacerdotibus dictos Pontifices, & ex Euangeliis satis compertum est, & ipse qui damnat id indubie fatetur. Erat ergo non summus Pontifex, sed ex Sacerdotum fortasse Principibus, qui propterea Pontifex appelletur. Ecce igitur libellum à multis hactenus despectum, ab omni iniuria vindicatum, & suæ fidei restitutum, vt noueris eum esse, qui posit merito afferri ad ea, quæ dixerimus confirmanda.

424 MACROBIVS Aurelius Theodosius vir consularis, & illustrissimus vixit post AulumGellium, quem refert lib.2. Saturnal. c.2. & lib.19. c.1. & alias sæpe. Viuebat auté Gellius V.C. anno 1000. vt ipse ait lib. 20. c.1. hoc est, anno Christi 248. vixit etiã ætate Seruij cõmentatoris Virgilij, quem frequentissime loquentem secum introducit. Seruius autem refert sępe Donatum B. Hieronymi magistrũ. Cum vero anno 410. ab Honorio Imperatore Macrobius quidam Africæ Proconsul factus fuerit, Theodosio patri illius affinitate coniunctus, quam ob rem Theodosius nominatur, vir cõsularis, & illustrissimus, merito quidam existimant hunc esse illumSaturnalium scriptorem, qui tempore hieronymi iam senescentis floruerit; viuebat igitur anno Domini 424.

426 PAVLVS Orosius Hispanus, obiit extremo tempore Honorij Imperat. vt ait Gennadius in catalogo, nempe anno Christi 425. aut 426. iuxta Prosperũ in chronico; quáuis Onuphrius collocet sub iuniore Theodosio, anno Domini 436.

430 SEDVLIVS Presbyter floret sub Theodosio anno

Domini 430. ex Tritemio, vel 450. ex Onuphrio: meminit Isidorus lib. de ſcriptor. Eccleſ. capite. 7. trium librorum metro ab eo compoſitorum.

430 ISIDORVS Peluſiota Chryſoſtomi diſcipulus claruit ſub Theodoſio Iuniore ad annum 430. meminit eius Euagrius lib. 1. cap. 15. & Nicephorus lib. 14. c. 53. quo ipſo anno coacta eſt ſynodus 3. vniuerſalis contra Neſtorium 200. Epiſcoporum.

433 AVGVSTINVS Hipponenſis Epiſcopus, natus eſt anno 18. Conſtantij, Chriſti 358. conuerſus eſt ad fidem annos 30. natus, anno Chriſti 387. ordinatus eſt Epiſcopus anno 397. tenuit Epiſcopatum 36. annos, nam moritur anno 7. Theodoſij, Chriſti 433. ſecundum Proſperum in chronico, anno ætatis 76. auctore Diacono lib. 14. & Poſidonio in vita eius, cap. 31.

434 PAVLINVS Nolanus Epiſcopus clarus erat ſub Honorio, & Valentiniano, auctore Gēnadio: obiit Coſſ. Baſſo, & Antiocho, vno poſt Auguſtinum, anno Chriſti 434. ſecundum Proſperum.

436 IOANNES Caſsianus Chryſoſtomi diſcipulus, & Diaconus ab eo ordinatus, & apud Maſsiliam Presbyter, poſtquam Leonis Archidiaconi, poſtea vrbis Romæ Epiſcopi, rogatu, libros de Incarnatione aduerſus Neſtorium ſcripſit, moritur Theodoſio, & Valentiniano regnantibus, iuxta Gennadium; anno 436. inſignis habetur ſecundum Proſperum in chronico, 438. ſecundum Onuphrium.

438 SOZOMENVS ſuam dicauit hiſtoriam Theodoſio Iuniori, & floret ſecũdum Onuphrium, anno Theodoſij 31. Chriſti 438.

445 PROCLVS Chryſoſtomi diſcipulus, ex Epiſcopo Cyziceno, factus Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno Domini 434. charus fuit Theodoſio Iuniori, vt refert Nicephorus lib. 14. cap. 37. 38. 39. finiit anno 445. ſecundum Onuphrium.

446 CYRILLVS Alexandrinus ſucceſsit Theophilo patruo

truo suo iuxta Sozomenum lib.7.cap.7. Honorio 9. & Theodosio 5. Coss. anno 414. vt signat Prosper. Sedit annos 32.vt habent actaConcilij Chalcedonésis Actio.3.in libellis Athanasij Presbyteri,& Theodori Diaconi, & Nicephorus in chronologia, finiit anno 446.

450 ANTIPATER Bostrensis Episcopus refertur in synodo Niceno.2.actio.4. ex oratione de muliere sanguinis fluxu laborante, anno Christi 789. post Basilium, vtrumque Gregorium, & Cyrillum: vixit forte horum temporibus ad annum 450.

450 MAXIMVS Taurinésis obiit sub Honorio,& Theodosio Iuniore, secundum Gennadium in catalogo. Finiuit Theodosius anno 450. Onuphrius collocat Maximum, anno 454.peruenit ad tempora Valentiniani,& Marciani ad annum 465. vt notat Cæsar 25, Iunij.

456 EVCHERIVS Episcopus Lugdunensis meminit Epistola ad Valerianum anni ab. V. C. 1185. hoc est Christi 433. interfuit Concilio 3. Arelatensi, Opilione,& Vincomalo Coss.anno Domini 453.Génadius ait obiisse Valentiniano, & Marciano regnantibus.Meminit Marcellinus in chronico Eucherij, sub Consulatu Ioannis, & Verari, sub anno 456. Christi, vno anno ante mortem Marciani Imperatoris.

458 HILARIVS Arelatensis moritur Marciano, & Valentiniano Imperatoribus, auctore Gennadio, ad annum 456. vel 458. vt ait Ado Vienensis, quamuis Onuphrius collocet anno 462.fuit Augustini discipulus.

460 THEODORETVS Episcopus Cyri, florebat secundum Onuphriũ, anno 445. sub Leone 1. ad quẽ scripsit: adfuit synodo Chalcedonensi anno 451. vt constat ex Actio. 8. peruenit ad tempora Leonis Senioris Imperatoris, sub quo moritur, auctoreGennadio, ad annum 460.

462 LEO Magnus cœpit Pontificatum anno 443. secundũ Prosperum: sedit annos 20. menses 11. vsque ad annum 462. quo moritur, imperantibus Leone, & Maiorano, secundum Gennadium.

464 IVVENALIS Ierosolymitanus Patriarcha, cœpit anno 18. Theodosij Iunioris, & primo Valentiniani, Christi 425. per 29. annos, durauit vsque ad 8. Leonis Imperatoris, Christi 464. secundum Onuphriũ. interfuit Synodo Chalcedonensi contra Eutichem, sub Leone Magno, anno 451. secundum Onuphrium.

474 THEODORVS lector videtur vixisse sub Leone primo Imperatore, cuius annos 17. refert, quasi viuẽtis, sine nomine: & ait à Gennadio Patriarcha Constãtinopolitano coronatum, & sic finit librum 2. collectaneorum, quasi de re præsenti loquens. Cœpit autem Imperator anno 457. vsq; ad 474. & Gennadius esse vigesimus Patriarcha, anno 458. vt notat Onuphrius. Refertur in 7. synodo, actione 5.

500 PETRVS Chrysologus Episcopus Rauennantes, mẽtionem facit serm. 145. anni 500. Christi, prope quẽ loquebatur.

500 PROCOPIVS Gazeus, cóiectura quadam à Genebrardo, & Sixto refertur ad tempora Anastasij Imperatoris, qui cœpit anno 491. secundum Onuphrium: vixit ergo prope annum Christi 500.

500 FVLGENTIVS Episcopus Ruspensis floruit sub Symmacho Papa, Anastasio Imperatore, Trasimũdo Rege Vandalorum, à quo in Sardiniam relegatus est, auctore Isidoro libro de viris illustribus, cap. 14. vltra annum 500.

523 HORMISDA Pontifex, cum sedisset 9. annos, obiit anno Domini 523. secundum Onuphrium. Cuius extant Epistolæ in primo tomo Conciliorum, quarum prima data est ad Iustinum Augustum, Valerio Coss. cum Iustiniano, vt signat Onuphrius, anno Domini 521.

Andreas

550 ANDREAS Ierosolymitanus Antistes Cretẽsis, collocatur, sub Iustiniano Imperatore à Canisio in chronico, & lib.5.de Maria Deipara, cap.30. §. prodeant igitur: qui cœpit anno Christi 528.à Genebrardo vero lib.3.chronographiæ sub Tiberio Anicio Constãtino, & Pelagio 2.Papa, qui cœpit anno 580.floruit ergo circa annũ 550.celebratur à Grçcis in Menologio 4. nonas Iulij. Multæ eius orationes referuntur à Simeone Metaphraste. Fecit eius mentionem honorifi cam Michael Glycas lib.3.Annalium.

576 AVRELIVS Casiodorus natus est Zenone Imperatore, anno 480. scripsit chronicon ad Attalaricum Regem: vixit 97. annos, & obiit anno, quo & Iustinus Iunior, nempe Domini 576.ex Tritemio, Sixto, & Onuphrio.

584 MICHAEL Syngelus Presbyter Constantinopolitanus collocatur à Canisio, & Genebrardo sub Mauritio Imperatore, & Pelagio 2. Papa, nempe ad annum Christi 584. secundum Onuphrium.

590 LEANDER Archiepiscopus Hispalensis, sub magno Gregorio præfuit primo Concilio Hispalensi, habito anno 5.Reccaredi Regis, æra 628. idest, anno Christi 590. scripsit libellum de institutione Virginum, ad Florentinam sororem, vt ait Isidorus lib. de scriptor.Eccles.cap.28.qui seruatur in Ecclesia Ouetẽsi gothicis literis scriptus.

594 GREGORIVS Turonicus, cœpit Episcopatum anno Domini 575. sedit 21. annos, obiit 4. Gregorij magni, anno Christi 594. ex Cçsare in Martyrologio.

600 EVTHYMIVS historicus, quia lib.3.cap.40. refert colloquium Iuuenalis Ierosolymitani Patriarchæ, in Synodo Chalcedonensi. habitum cum Marciano, & Pulcheria Imperatoribus, anno Domini 451. de venerando corpore Virginis Deiparæ: & id ex hac historia referunt Nicephorus, Simeon Metaphrastes, & Ioannes Damascenus, qui floruit ad annum

num 750. videtur scripsisse circum annum 600.

612 ANTIOCHVS Monachus, vixit prope tépora Phocæ, & Heraclij Imperatorum, ad annum 612. quo tépore à Rege Cosdroa crux erepta est Ierosolymis: ait enim in exomologesi. Fortitudinem nostram, ornamentum, ac decus, salutis in quam nostræ spem, néPe crucem Christi tradidisti fidei aduersariis.

604 GREGORIVS Magnus electus est Pontifex anno Christi 590. post 13. annos obiit, sub Mauritio, & Phoca, anno Christi 604. vt signat Onuphrius.

638 SOPHRONIVS sexagesimus tertius Patriarcha Ierosolymitanus, creatus est anno Domini 630. finiit Episcopatũ sub Honorio Papa, anno 636. vt cõstituit Onuphrius. Sed peruenit ad tempus Ioannis 4. Pontificis, nempe ad annum Christi 638. ad quem scripsit synodicam Epistolam, quæ probatur in 6. synodo Actio. 13. est auctor libri dicti, Pratum spirituale, quod citatur a 2. synodo Nicena Actio 4. & à Damasceno, oratio. 1. de imaginibus in fine: & Ioannes Diaconus in lib. 4. vitæ Gregorij cap. 63. refert cap. 151. huius libri.

638 ISIDORVS Hispalensis, post Leandrum fratrẽ creatus est Episcopus, anno Christi 599. iuxta Onuphriũ sedit annis 40. vt ait Illefonsus, lib. de viris illustribus. Adfuit synodo Toletanæ 4. & Hispalensi 2. anno, secundum Onuphriũ 634. obiit sub Heraclio Imperatore, auctore Braulio Episcopo Cæsaraugustano in eius vita, anno 638.

669 ILLEFONSVS Toletanus Archiepiscopus natus est anno Christi 610. sub Bonifacio Papa, & Phoca Imperatore, anno vitæ eius 50. & Christi 659. qui erat 8. Regis Recensuinthi, celebrata est synodus Toletana 10. cui præfuit Eugenius Toletanus Archiepiscopus, vt refertur in ipsa synodo: anno sequenti, qui erat 9. Recensuinthi, & Christi 660. creatus est Episcopus 51. annos natus. Sedit annos 9. & duos menses vsque ad annum Recensuinthi 18.

exactum, anno Christi 669. obiit 60. fere annorum: ex Iuliano, & Cyxila in vita Illefonsi, & libro eius de viris illustribus, collatis Conciliis 10. & 11. Toletanis.

691 IVLIANVS Archiepiscopus Toletanus Quirici successor, qui Illefonso est subrogatus: præfuit Concilio Toletano 12. anno primo Regis Eringij, Christi 681. Et Concilio 13. anno eiusdem Regis 4. Christi 684. Absoluit librum contra Iudæos, quem Regi Eringio dicauit, anno Domini 686. vt ipse dicit in fine libri: sedit annos 10. mensem vnũ, cum septem diebus, ab anno 681. quo 12. synodus celebrata est, vsque ad annum 691. ex ipsis Conciliis, Felice Episcopo Toletano successore, & Onuphrio. Diuersus ergo est hic à Iuliano Pomerio Mauro, qui vixit tempore Gelasij Papæ ad annum Domini 495. de quo Gennadius, & Isidorus, lib. de scriptoribus Eccles.

730 GERMANVS 71. Patriarcha Constantinopolitanus, ex Episcopo Cyzici factus, anno Domini 715. secundum Onuphrium, tenuit sedem annis pene 15. auctore Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, in chronologia Tripartita, in enumeratione Pontificum Constantinopoleos; sub Leone Isaurico Iconomacho, & Gregorio 2. Pontifice: ad quem tres scripsit Epistolas, & vnam accepit: quæ referuntur in synodo Nicæna Actio. 4. Hic cũ nollet consentire synodo Cõstantinopolitanæ cõtra imagines coactę, Imperatori se se opponens, vna cũ Damasceno, coactus est abdicare, anno Domini 730. vixit 90. annos ex Diacono lib. 21. & Græcorũ Menologio: huius Patris orationes aliquas de B. Virgine adducit Simeon.

740 COSMAS Ierosolymita, Maiumanus Episcopus, Ioannis Damasceni magister, & excellẽtissimus hymnographus, vixit tempore Leonis Isaurici, & Constãtini Copronymi eius filij, obiitq; ante Damascenũ ad annum 740. ex Ioanne, & Suida in vita Damasceni.

750 IOANNES Damascenus vixit sub Leone Isaurico, & filio eius Iconomachis, ad annum 750. Ioannes in vita eius. Tritemius signat annum 731. eius quasdam orationes refert Simeon Metaphrastes.

766 BEDA Venerabilis, natus est anno Domini 673. septennis traditus est à parentibus instituendus cœnobio S. Benedicti, anno 679. anno 19. Christi 691. fit Diaconus, anno 30. Christi 702. fit Presbyter, anno 731. cum ageret 59. annos absoluit historiam Anglorum, vt ipse dicit in fine historiæ, & in Epistola post epitomem: In epitome meminit anni 766. qui erat ætatis 94. ex ipso Beda, & Tritemio lib. 1. de viris Illustribus S. Benedicti, cap. 6. & lib. 2. cap. 21. & lib. 3. cap. 155. quamuis in eo erret, quod ait obiisse anno Domini 733. & ætatis 72. nam si meminit anni 766. vlterius vixit.

795 IOANNES Ierosolymitanus Patriarcha 52. iusta Nicephorum Episcopum Constantinopolitanum, in chronologia Tripartita, creatus ab Adriano primo, anno vltimo Pontificatus, qui erat Domini 795. sumptus de monasterio montis Carmeli; scripsit inter alia, librum, seu Epistolam ad Caprasium Abbatem montis Carmeli, de institutione monachorum: quam refert & probat Tritemius in Carmelitana Bibliotheca, & Vualdensis tomo de Sacramentalibus, Tit. 9. cap. 89. num. 5. quamuis in eo errant quod putant esse 44. Patriarcham, in quem inuectus est Hieronymus.

800 ALEXANDER Monachus scripsit vitam sanctæ Barnabæ, & refert corporis eius inuentionem factam sub Zenone Imperatore, vt ipse ait, & Nicephorus lib. 16. cap. 37. ad annum 489. vt signat Sigebertus, aut 483. vt alij: at Simeon Metaphrastes refert hunc Alexandrum 11. Iunij, anno 1000. quo ipse vixit, quare eo tẽpore intermedio Alexander floruit ad annum forte 800.

815 THEODORVS studitus floruit circa annum 815. nam

ñam vna cum Nicephoro Patriarcha Constantinopo litano,& aliis,in exilium actus est à Leone Armeno Iconomacho, quod imagines tuerentur, vt constat ex Nicephoro in argumento lib. 21. suæ historiæ. Cæpit autem Nicephorus Patriarchatum, anno 806. & tenuit per nouem annos: Leo autem cœpit anno 813.vt constituit Onuphrius. Huius aliquas orationes refert Simeon.

834 HAYMO Episcopus Halberstatensis Alcuini vna cũ Rabano auditor, moritur sub Ludouico Imperatore filio Caroli magni, anno Domini 834. ex Tritemio.

840 STRABVS Monachus Fuldensis, Rabani auditor,& Glossæ ordinariæ auctor, floruit anno Domini 840. ex Tritemio.

850 CHRISTIANVS Druthmarus floruit circa annum 850.ex Sixto. Genebrardus libro 4.chronographiæ constituit sub Gregorio 4.

854 IDIOTA sub Leone 4.Pontifice constituitur à Genebrardo libro 4.chronographiæ; qui pontificatum rexit ab anno 847. vsque ad 854. secundum Onuphrium.

883 THEOPHYLACTVS Episcopus Bulgariæ missus ad Bulgaros à Photio Patriarcha Constantinopolitano,vt ait Genebrar.lib.4.chronograpriæ,iam suę sedi post Ignatium restituto,anno Domini 877. floruit ergo ad annum 883.vt signat Onuphius,sub Marino Papa,& Basilio Pio Imperatore.

884 REMIGIVS Monachus Antisiodorensis Episcopus vixit tempore Caroli calui, & Ioannis octaui Pontificis,anno 880.vt ait Tritemius:ad annum 884.constituit Onuphrius.

1000 SIMEON Metaphrastes eo tempore vixit,quod medium est inter annum 962. & annum, vt minimum, 1100. Posset aliquis existimare fuisse vetustiorem, quod in vita sanctæ Theochtistæ Lesbiæ, quæ celebratur die 10. Nouembris,se ait, legatum missum ad

Arabas ab Imperatore, qui in titulo vitæ nominatur Heraclius; & vixit anno Domini 612. dicit præterea se fuisse discipulum Alipii Columellæ in vita eius, die 26. Nouẽbris, cognouisseq; Ioannẽ Calybitam, seu in Tugurio die 15. Ianuarii, quem tẽpore Leonis Imperatoris vixisse colligitur ex Nicephoro lib. 15. c. 23. sed in Codice manu scripto sub Theodosio collocari adnotat Cæsar in illũ diẽ. Verũ fuisse posteriorẽ ex hoc facile constabit, quod ipse orationem quãdam affert à Constantino 3. Imperatore, cognomento Porphirogenito confectam, de Christi imagine ex Edessa Constantinopolim translata, in qua refert historiam de miraculo ad eamdem edito, missam à tribus Patriarchis, Iob Alexandrino, Christophoro Antiocheno, Basilio Ierosolymitano, ad Theophilum Imperatorem sacras imagines iniuria afficiẽtem, qui ante 90. annos imperauerat, anno Domini 829. Imperauit autem dictus Constantinus, vt notat Onuphrius, ab anno 909. quinquaginta, & quinque annos vsque ad 962. Itaque Simeon ante hoc tempus non vixit. Ex alia vero parte, cum Theodorus Balsamon eius mentionem fecerit, qui vixit, iuxta eumdem Onuphrium, anno Domini 1186. & ante hunc Psellus, qui vixit paulopost annum 1000. Cumque, quod potius est, in vita Clementis, & in narratione pueri ab eo liberati 23. Nouembris, ipse dicat, vsque ad suum tempus durasse miraculum retracti maris, vt per siccum fideles ingrederentur ad sancti corpus venerandum, & corpus S. Clementis, ex Martyrolog. sciamus inde Romam translatum per Cyrillum, & Methodium, qui 9. Martii celebrãtur, tempore Pontificis Nicolai primi, qui rexit Ecclesiam ab anno 858. vsque ad annum 866. sequitur Simeonem prope hoc tempus floruisse, inter annum nempe 900. & 1000. Sed quanta sit huius viri auctoritas videamus; nam ex eius auctoritate eorum pẽdet auctoritas, quorum refert orationes; dum certos

certos nos reddit ab illis habitas. Adducit ad hoc comprobandum Lipomanus multos testes, probos illos quidem, & graues, nec minus antiquos, vt Psellum, qui ante 500. annos eius vitam vt sancti conscripsit, nam à Græcis celebratur die 27. Nouembris: Theodorum Balsamonem Antiochenum Patriarcham, qui ob magnos labores in vitis sanctorum ab ipso collectis perlatos, tamquam felicis, & beatæ memoriæ viro gratias agit, agendasq; fatetur quammaximas: Theodorum etiam Prodronomum, qui tempore Andronici Iunioris imperatoris ad annum Domini 1334. grauissimis sanctissimisque patribus, qui suis scriptis ecclesiam illustrarunt, Dionysio Areopagitæ, magno Athanasio, Basilio, vtriq; Gregorio, Chrysostomo, Cyrillo, Maximo, Ioanni Climaci, Nilo, & Ephrem Syro connumerat Simeonem: Nicephorum quoque Callixtũ, qui lib. 18. c. 24. eius mẽtioné facit, sub nomine Simeonis magistri, Græce Metaphrastis, sic enim vocatur, honoris gratia, & doctrinæ, qua erat præditus. Sed quod magni ponderis est, Concilium Florentinum sub Eugenio 4. ses. 7. habita Ferrariæ die 25. Octobris anni Domini 1438. sic de eo loquitur. Nonnullos vestros doctores in medium producemus. In primis igitur Symeon Metaphastes vestris in ecclesiis celeberrimus accedat, qui in B. Dionysii vita, & sequentia. Et subditur, ex huius sancti sententia, præstantissimi patres, apparet Spiritũ sanctũ ex filio quoq; procedere: deniq; sic eũ & honorifice nominat Gẽnadius Scholarius Patriarcha Constantinop. in defensione Concilii Florentini; vt iam impium sit tantum virum non reuereri, & eius scripta cum honore non referre.

1018 SVIDAS vixit ad annum Domini 1018. quem ipse in verbo, Adam ita enumerat, à Christo ad Constantinum anni sunt 318. à Constantino ad Michaelem Theophili filium 555. à Michaele ad Romanum Constantini Porphirogeniti filium 120. à Por-

Porphirogenito vſque ad obitum Ioannis Tzimiſci 25. quo ipſe vixiſſe videtur; qui in ſummam redacti ſunt 1018.

1084 PETRVS Damianus Cardinalis Oſtienſis, cũ ſcripſerit apologias, in quibus cauſam reddit, cur deſerto epiſcopatu ad monachatum reuerſus fuerit, ad tres pontifices, Nicolaũ 2. qui cœpit anno Domini 1057. & Alexandrum 2. & Gregorium 7. qui finiuit anno 1084. ex Tritemio, & Onuphrio; ad hũc annum perueniſſe putatur.

1085 ADO Treuirenſis vixit ſub Gregorio 7. auctore Platina, & Cæſare in prefatione Martyrologii cap. 9. qui iuxta Onuphrium cœpit anno 1073. & finiuit anno 1085.

1100 EVTHYMIVS Monachus Zigabenus vixit tempore Alexii Comneni, vt ipſe ait P. 2. Panopliæ tit. 23. qui cœpit imperare, ſecundum Onuphrium, anno Domini 1081. & imperauit 38. annos vſque ad annum 1118. quare Euthymius florebat ad annum 1100.

1100 ZACHARIAS Chryſopolitanus claruit prope annũ 1100. ex Sixto Senenſi, & Caniſio. Scripſit monoteſſaron, ideſt, vnum ex quatuor euangeliis.

1100 GEORGIVS Cedrenus monachus Græcus ſcripſit chronicon ab orbe condito vſq; ad Nicephorum Botoniatem, qui tres annos tantum imperauit, vſque ad annum 1081. & floruit ſub ſequenti Alexio Comneno, qui imperauit 37. annis, nempe vſq; ad annũ 1100. ex Balthazare Colmarienſi in additione 2. ad Tritemium.

1109 ANSELMVS Cantuerienſis epiſcopus floruit ab anno Domini 1080. auctore Tritemio lib. 2. de viris illuſtribus S. Benedicti c. 101. & 1090. vt ait lib. 4. c. 122. & 1100. vt lib. 3. c. 327. deceſsit anno 1109. vt ait Edinerus auctor vitæ eius, & Sigebertus in chronico, ſub Paſchali ſecundo Pontifice.

111 MICHAEL Glycas locatur à Caniſio ſub Calixto 2.

&

& Ioanne Iuniore Comneno Imperatore, prope annum 1119. iuxta Onuphrium.

1120 SIGEBERTVS Gemblacensis monachus absoluit historiam anno Domini 1111. scripsit contra epistolas Paschalis Pontificis tunc gubernantis, & apologiam ad Henricum 4. Imperatorem, sub quo floruit, ad annum 1120. vt ait Tritem. lib. de scriptor. & lib. de viris illustribus c. 112.

1124 HONORIVS presbyter Augustudunensis claruit sub Henrico 4. anno Domini 1124. secundum Onuphrium, aut 1120. secundum Tritemium.

1130 RVPERTVS Abbas Tuitiensis claruit sub Hérico 4. anno 1124. & sub Lotario 3. moritur, secundum Tritem. lib. de scriptor. & lib. 2. de viris illustribus cap. 109. iuxta Onuphrium imperauit ab anno Domini 1125. vsq; ad 1138.

1140 R. ABRAHAM leuites vixit prope annum 1140. iuxta Genebrardum in notis chronicis, seculo 12. pag. 134.

1153 BERNARDVS Abbas Clareuallensis natus est anno Domini 1091. cum esset 32. annorum, anno Domini 1123. iuxta Onuphrium, recusauit episcopatum Mediolanensem. Clarus erat anno 1140. iuxta Tritemium. Obiit 63. annorum anno 1153. ex Godefrido in vita eius; quo anno obiit Eugenius, vt signat Onuphrius.

1163 ARNOLDVS Carnotésis Abbas Bonæ Vallis Bernardo fuit familiaris, ad eum enim scripsit epistolam 310. scripsit tracta. de laudibus virginis. Viuebat anno 1163.

1186 THEODORVS Balsamon Græcus Iurisconsultus, & Theologus, Patriarcha Antiochenus creatus est anno Dñi 1186. vt ex Niceta lib. 3. de Isaacio refert Genebrar. lib. 4. chronographię, & Onuphrius in chronico.

1204 NICETAS Choniates vixit ab anno 1143. quo cœpit imperare Emanuel Comnenus, cui⁹ scriba fuit, &

per

per tempora sequentium imperatorum Alexii, Andronici, Isaaci, Angeli, Alexii 3. angeli, Alexii 4. & 5. Ducæ vsque ad annum 1204. quo à Venetis, & Francis translatum est orientis imperium ad Balduinum: imo & vlterius vixit, ex oratione funebri fratris eius Michaelis choniatis, facta collatione ex Onuphrio.

1215 RODERICVS 58. Archsepiscopus Toletanus egit causam de primatu ecclesiæ Toletanæ in Conc. Lateranensi 1. sub Innoc. 3. octauo Idus Octobris, anno Incarnationis Dominicę 1215. Pontificatus D. Innocentii Papę 3. anno 18. vt habetur in libro manuscripto Bibliothecæ Ecclesiæ Toletanæ. Vixit & sub honorio, & Gregorio successoribus.

1250 EPIPHANIVS Presbyter Constantinopolitanus nescitur vtrum ante hæc tempora vixerit, cum nulla eius facta mentio reperiatur: quia vero citatur à Nicephoro Callixto lib. 2. historiæ eccles. cap. 23. Hic eum ante ipsum collocamus, ad annum 1250. scripsit hic vitam virginis, magno studio vsus in Græcis auctoribus relegendis, & excutiendis, vt de Mariæ vita non solum credibilia, sed etiam certa, firmaq; proferret; vt ipse de se ait.

1259 NICEPHORVS huius nomins 2. Constantinopolitanus Patriarcha centesimus sextus, vixit anno Domini 1259. iuxta Onuphrium. Meminit eius Callixtus lib. 14. historiæ cap. 39. scripsit chronologiam Tripartitam, & catalogum suorum pręcessorum vsq; ad 82. Ignatium, contra quem intrusit se Photius, vt ille enumerat, aut 59. vt enumerat Onuphrius anno Christi 847. cumque nullus huius nominis inueniatur post dictum Ignatium, ante quem fuit primus Nicephorus, ordine. 77. cuius supra meminimus in Theodoro studito; nisi hic. 2. videtur sine dubio illius chronologiæ auctor. Quare falso hæc historia translata dicitur in Bibliotheca sacra ab Anastasio Bibliothecario, qui vixit multo ante tempore, quo

Ignatius

Ignatius dictus, anno 899. vt notant Tritemius, & Onuphrius.

1283 BROCARDVS Dominicanus ſcripſit librum deſcriptionis terræ ſanctæ, ſub annum Domini 1283. cuius ipſe meminit 1.P.c.7.

1311 NICEPHORVS Callixtus viuebat anno Domini 1311. qui erat 29. Andronici ſenioris Paleologi imperatoris, & 7. Clementis quinti, quo anno poſt Nicephorum, & alios ſuperiori tempore Conſtantinopolim translatos, Nipho ex Heleſponti Cyzico translatus eſt ad eccleſiam Conſtantinopolitanam, ipſo Nicephoro vidente, & referente lib. 14. hiſtor. eccleſ. c. 39. vt ſignat Onuphrius in chronico. Quare recte Genebrardus libro 4. chronogtaphiæ aſſerit Nicephorum ſuam dicaſſe hiſtoriam Andronico ſeniori, qui, vt conſtat ex prologo, longa ætate imperauit, annis nempe 50. non ergo dicauit Emanueli Paleologo, qui 38. imperauit ab anno 1143. vſque ad 1180. vt Nicephori interpres, & Sixtus exiſtimarunt. Quantam vero diligentiam adhibuerit in ſua hiſtoria componenda, qua ſibi non modicam vendicat auctoritatem, & fidem, ſatis ipſe explicat in hiſtoriæ prologo.

1455 LAVRENTIVS Iuſtinianus Patriarcha Venetus natus eſt anno Chriſti 1383. & 4. Vrbani ſexti. Accepit epiſcopatū iuſſu Eugenii 4. anno eius 2. & Chriſti 1434. cum ageret annum vitæ 51. tenuit eum annos 25. vſque ad annum vitæ 74. & Chriſti 1455. ex vita eius c. 5. & 10. & Palmerio in chronico.

INDEX TESTIMONIORVM SCRIPTVræ ſacræ hoc libro explicatorum.



TSI enim multa alia elucidentur, vel ipſo hiſtoriæ curſu, vel aliorum teſtimoniorū collatione, ad eamdem ſententiam pertinentium, hæc ſola indicaſſe viſum eſt, ex quibus cetera intelligentur.

EX LIBRO GENESEOS.

EX LIBRO EXODI.

EX LIBRO LEVITICI.

EX LIBRO NVMERI.

EX LIBRO IOSVE.

EX LIBRO IVDICVM.

EX LIBRIS REGVM.

2.Regum.8.18. Filii autem Dauid sacerdotes erant, cap.1. num.5.pag.17.

1.Paralip.18.17. Porro filii Dauid primi ad manum regis, ibidem.

EX ISAIA.

Isaiæ.2.4.Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in fasces,&c.cap.7.num.1.pag.208.

Isaiæ.4.5. Aprehendent septem mulieres virum vnum dicentes,aufer opprobrium nostrum,cap.1.pag.52.

Isaiæ.7.14.Ecce virgo concipiet, & pariet filium , & vocabitur nomen eius Emanuel,cap.9.num.5.pag.287.

Isaiæ.11.1.Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet,cap.1.num.3.pag.6.

Isaiæ.19.1.Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur AEgyptum, & commouebuntur simulacra, &c.cap.7.nu.10.pag.233.cap.10.num.7.pag.301.

Isaiæ.53.2.Et ascendet quasi virgultum coram eo , cap.7. num.10.pag.233.

EX IEREMIA.

Ierem.31.22.Creauit Dominus nouum super terram,femina circumdabit virum,cap.5.num.14.pag.164.

EX DANIELE.

Daniel.2.34.Videbis ita,donec abscisus est lapis de monte sine manibus,& percussit statuā in pedibus eius, & comminuit eos,cap.7.num.10.pag.233.

EX MICHEA.

Micheæ.4.3.Et concident gladios suos in vomeres , & hastas suas in ligones : non sumet gens aduersus gentem gladium,& non discent vltra belligerare,cap.7. num.1. pag.208.

EX HABACVC.

EX LIBRIS MACHABEORVM.

EX MATHAEO.

EX MARCO.

EX LVCA.

EX IOANNE.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

EX PAVLO.

Priori ad Cor. 14. 26. Cum conuenitis vnuſquiſque veſtrũ Pſalmum habet,&c.cap.13.num.5.pag.346.

Priori ad Cor.15.6. Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul,cap.17.num.6.pag.414.

Ad Hebræ.7.13. Manifeſtum eſt enim quod ex Iuda ortus eſt Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotio Moſes locutus eſt,cap.1.num.5.pag.15.

FINIS.


AVE·GRACIA·PL
ENA·DOMIN
DN

INDEX RERVM HVIVS LIBRI PRÆCIPVARVM.

A.

Apo-

Caphar-

Hebron

I.

Maria

N.

Valenti-

V.

Z.

Compluti, ex Officina Ioannis Gratiani. Anno 1605.

